XVI 6.

Aug 17

~~B B 2 II~~

The Library of the
Wellcome Institute for
the History of Medicine

MEDICAL SOCIETY
OF
LONDON
DEPOSIT

Accession Number

Press Mark

PHARMACOPOEIAS,
Prague

XV6

NATURA
ET
ARTE
DISPEN
SATORI
UM
ME DI
COPHAR
MACEV
TICUM
PRA
GENSE
Thomas Schmuth debit;
Birckhart Sculp
Pragæ.

DISPENSATORIUM MEDICO-PHARMACEUTICUM PRAGENSE,

JUXTA QUOD

PER

TOTUM REGNUM BOHEMIÆ

MEDICAMENTA USUALIA

PRÆPARANDA ET DISPENSANDA VENIUNT.

AUTHORITATE ET MANDATO

ILLUSTRISSIMORUM

AC

EXCELLENTISSIMORUM

INCLYTI REGNI

PROCERUM,

IN BONUM PUBLICUM AD NORMAM ALIORUM DISPENSATORIORUM CLASSICORUM.

A

FACULTATE MEDICA PRAGENSI juxta Ordinem Alphabeticum congestum.

In quo

Tam necessariæ, quàm utiles Animadversiones ad genuinam Medicamentorum Præparationem, & Usum complectuntur.

VETERO-PRAGÆ,

TYPIS ANNO SALUTIS MDCCXXXIX.

SOCIETY OF LONDON MEDICAL

COLLEGIUM MEDICUM PRAGENSE *BENEVOLO LECTORI SALUTEM*

QUod alijs in Regnis, boni publici incremento, à Viris in medendi Scientia & Arte peritiſſimis, non abſque fructu & plauſu factum accepimus; id nos quoque ex ſummorum Regni Procerum arbitrio ſapientiſſimo, tuæ, Lector benevole, valetudinis ſivè conſervandæ, ſivè reſtituendæ causâ, communi populorum intenti commodo, tandem confecimus. Utque mentem noſtram vel primo aſpectu cognoſceres, eandem in ipſa operi præfixa imagine luculenter expreſſimus. Ubi, quemadmodum in Diſpenſatorio Vieñenſi, libri totius baſim in *Ratione*, & *Experientia*, Medici ſtatuerunt Auſtriaci; ità à nobis

bis in *Natura* & *Arte* totum voluminis hujus jactum esse advertes fundamentum. Et quidem ad hoc assumendum, eâ potissimùm ratione perducti sumus, quód tanta *Naturam* inter, & *Artem* esset connexio, & necessitudo, ut neque *Natura* sinè *Artis* consortio, nec ista sinè illius auxilio, ad salutaria mortalibus medicamina comparanda possit conducere. Nam, etsi *Natura* sæpe numero remediorum materiam præsentet saluberrimam; modum tamen, quo illius utare, *Ars* medica definiat, est necesse. Nihil sanè in agris, & pratis, in hortis & sylvis, sub ipsis etiam Oceani fluctibus, sub ipsis terræ viscеribus nihil denique è triplici Regno mundus educat, quod corporum nostrorum salubritati non esset accomodũ: adeò nec Granũ in campo, nec herbam in prato; radicem in sylvis nullã, nullũ in hortis florem; nec quidquid sub undis, aut terra latitat, usquam repereris; quod *natura* parens, hominũ incolumitati non procreâsset. Nostræ valetudini decurrunt flumina, fluctuant æquora, virent montes, rident prata, floresçunt horti; ipsa animantia mortalium saluti volant, natant, currunt, repunt; ipsa sidera ad eorundem conservandas, aut renovandas vires corporis, benignis conspirant influxibus. Hæc nihilominus universa, nisi *Arte* instructus *naturæ* Minister manum admoveat, modum dictet, certámque præscribat Regulam; tantum abest, ut cuipiam medelã conferant, quin potius vel firmissimã corporis constitutionẽ in extrema valetudinis conjiciant pericula. Sint plurima suapte natura saluberrima: *Artem* tolle; ipsa pharmaca abibunt in toxica: contrà simul *Ars* accesserit Moderatrix, continuò etiam venena audient Medicamina. Præstolare syderũ benignitatem; nisi *Ars* diem determinet, laventem rebus tuis non sentiesastrorum opem. Nempe medendi materiam *Natura* suppeditat; *Ars* Modum docet, circumscribit Tempus, pondus decernit, numerum statuit, definit Mensurã. Hacdecausa Naturã in Emblemate,

Ovum

Ovum ſpei Symbolũ, præſentantem depinximus, quo incolumitatis ſpem indicaret; ſi modò *Artis* induſtria ſuam adjungat operam: *Artis* verò genium fixo in *Naturæ* munera obtutu adumbravimus, veluti meditantem, quænam ex his ad optatum finem ſeligenda eſſent, & quo pacto adhibenda. Addidimus Geniolos, in Veris, Æſtatis, & Autumni Donis non tã conquirendis, quàm diſcernendis cautè ſollicitos, & crudiora ad hyemalem foculum temperantes.

In *Natura* igitur, & *Arte* fundatum *Leo Patrius*, Tibi, benigne Lector, defert *Diſpenſatorium Medico-Pharmacevticum Pragenſe*. Cui evulgando cùm operã noſtrã impenderemus, utebamur quidẽ interim alijs diverſarũ Provinciarũ Diſpenſatorijs, eorúmque uſum Regni hujus Pharmacopolis impensè coñendavimus; quia tamẽ iſtud quoque exploratum habuimus, in diverſis per Regnũ Bohemiæ Pharmacopoliis non eandem in conficiendis Pharmacis ſervari regulã, ſed ab his ad Auguſtani, ab alijs ad alterius cujuſpiã Diſpenſatorij, aut privatæ Deſcriptionis normã medicamenta præparari, utì & variorum medicorũ diſcrepabant arbitria, ità inter ſe differre medicamina, neque rarò contigiſſe, ut optatus medicinæ effectus minimè votis reſponderet, cùm ab uno Medicorum juxta cujuſdã Diſpenſatorij aut privatæ Deſcriptionis methodũ præſcripta pharmaca, à Medicamentarijs ad alterius mentem conficerentur: ea propter visũ eſt, ut ex variarum Nationum Diſpenſatorijs, & Manuſcriptis authenticis illa præcipuè ſeligeremus, quæ Climati noſtro optimè conducerent, & compertè per tot annos conſentirent experientiæ; ea inſuper, quæ à Viris per Bohemiam in Arte & ſcientia medica celeberrimis, Facultati noſtræ, ac poſterorum utilitati tranſcripta ſunt, in certum ordinem cum annexa Taxa cuivis Medicinæ pretio æquiſſimo, ad æqualitatem redigeremus, qua demum medendi concordiâ, omnium incolumitati meliùs conſultum eſſet.

Hac

Hac ratione, Lector Benevole, Tuo & Populorum emolumento providere ſtuduit Facultas Medica: Supereſt, nè tam ſinceris conatibus ipſe obicem ponas, ſed, ad temperantiæ ſtatuta, valetudini tuæ diligenter proſpicias; ſecus ſi egeris, nullum toto orbe Diſpenſatorium, nec ullius Æſculapij te juverit Doctrina. Quare perperam nonnulli (quibus te nolim accenſere) ſi, poſt adhibita cordati Medici ſtudia, ſalubritas deſiderata non ſequatur, mali totius originem ſive medicamentorum licèt nondum, prô dolor, ad perfectionis apicem evectorum defectui, ſive Medicorum ſolertiorum adſcribunt negligentiæ; cùm ipſi & horum conatui & illorum virtuti, ſuâ vivendi obſiſtunt intemperantiâ.

Horum errorem meritò reprehendit Cordubenſis Stoicus, graſſantes ſua ætate morbos cum antiquorum conferens ſanitate.

Nunc, inquit ille, *quàm longè proceſſerunt mala valetudinis? has uſuras pendimus voluptatum, ultra modùm fáſque concupitarum. Innumerabiles eſſe morbos miraris? Coquos numera.*

Seneca Epiſt. 95. *Simplex* (ità idem Philoſophus eadẽ loquitur Epiſtolâ) *erat antiquis ex ſimplici cauſa valetudo: multos morbos, multa fercula fecerunt. Quomodo iſta perplexa ſunt, ſic ex iſtis* (ſinè judicio & moderatione ſumptis) *non ſimplices morbi naſcuntur, ſed inexplicabiles, diverſi, multiformes, adversùs quos & medicina ſe cæpit multis generibus, multis obſervationibus.* Quapropter ut Diſpenſatorium noſtrum, bono Tuo multis vigilijs ac laboribus comparatum, Tibi emolumento ſit, diligentiæ noſtræ tuam adjunge ſolertiam, & quantùm nos ſtudemus Tuo, tantùm tu ipſe propriæ incolumitati Fave, & Vale.

PRO-

PROLEGOMENA.

CAPUT I.

DE COLLECTIONE MEDICAMENTORUM SIMPLICIUM.

MUltum intereſt Rei Medicæ, ut cuncta exotica in ſua tam recenti quàm debita perfectione pro poſſibili in inſtructa Pharmacopæa publica habeantur, defectuoſa in tempore amoveantur, ſeparentur, bona verò ſuô locô pro uſu mundè ſerventur, tandem ut indigenæ Radices, Herbæ, Flores, Semina, & alia ex regno vegetabili petita debito tempore colligantur, ut innatam ſibi qualitatem, virtutémque ſummè vigentem poſſideant, nam ſi quis ex: gr: Folia Herbarum, maturatô jam jam ſemine pro uſu medio decerperet, magnã ſanè quantitatem labore & pretio leviſſimo acquiret, effectu verò medico privabitur, tunc enim jam qualitas eorum in flores & ſemina deceſſit. Verum quidem eſt in quibuſdam exoticis certum tempus collectionis nos latere, horum tamen ad nos delatorum color, ſapor, odor, ac ſpecies debitum collectionis factæ tempus efficaciter manifeſtat. Quæ verò noſtris terris innaſcuntur, ea, in uſum medicum colligi debent, dum maximè vigent, aut matura ſunt, vel ad propriæ virtutis perfectionem plùs magìs accedunt; ſic:

Radices effodi debent, potiſſimùm tempore vernali antequam in ſtolones vis Plantæ abeat, eligantúrque plenæ & ſucculentæ, haud exſuccæ aut rugoſæ, quæ à fibrillis purgatæ, & lavatæ pro ſui conditione in umbra exſiccentur; aliæ námque ſiccantur integræ, utpotè

minores ex: gr: Gentiana, Satyrion, Hermodactylus &c. aliæ majores in taleolos diſſectæ, ùt Calamus aromaticus, Iris, Bryonia &c. aliæ denique exempta matrice lignoſa ſeu corde ſiccantur, utpotè Petroſelini, Apij, aut Fœniculi Radices. Dantur equidem etiam Radices, quæ excepta hyeme quovis ferè anni tempore effodi poſſunt, ùt Acetosæ, Bugloſſi, Apij, Ruſci, Althææ Cyclaminis, &c. hæ enim ſemper vegetæ ſunt ac ſucculentæ, etiamſi caulis jam exciverit, & areſcat, plenioris attamen qualitatis exiſtunt, dum vernali tempore evelluntur. Pœoniæ Radix communiter luna decreſcente ad inſultus epilepticos effodienda eſt.

HERBÆ aut FOLIA in media cujuſque Plantæ ætate, dum nimirùm florem emittere incipit, colligenda, eo enim tempore magnitudinem debitam, colorem, odorémque adipiſcuntur, præcipuè quæ cacumini proximiora naſcuntur.

FLORES decerpendi ſunt quandoque, dum adhuc in gemmis verſantur; cæterùm antequam marceſcant, aut ſpontè decidant.

SEMINA colligenda, cùm ſiccari cœperint, antequam excidant.

FRUCTUS ubi maturuerint, niſi ſpecialior intentio immaturos requiſiverit.

SUCCI è Plantarum tenerioribus Folijs, ac germinantibus caulículis exprimendi.

Siccandæ autem ſunt non modò Radices, verùm etiam Herbæ in loco ſublimi perflabili, non pulverulento, aut fumoſo, ſed puro, ſicco, umbroſo ſeptemtrionem vel ortum ſpectante, atque hæ præſertim, ſi auſtrina tempeſtas, aut cœlum nubilum fuerit, ſæpiùs verſandæ, nè mucoſæ fiant, aut putridæ, præſertim quæ multum ſuccoſæ & craſſæ ſunt.

CAPUT II.

DE REPOSITIONE, ET ASSERVATIONE MEDICAMENTORUM.

QUàm utilis & neceſſaria in tempore inſtituta ſimplicium collectio eſt, non niſi neminem latere poteſt, ſiquidem exinde ſub varijs formis parata compoſita eaſdem, ex qualibus facta ſunt, virtutes ſecum ferunt; præſertim dum in debito loco reponuntur, & aſſervantur, ſecùs vel rancéſcunt, putreſcunt, vel teredine conſumuntur, aut aliter corrumpuntur.

Reponuntur verò *Radices*, *Herbæ* ac *Flores odoratiores* in arculis mundis tiliaceis locô ſiccô pro aſſervatione, quanquam Radices craſſiores odoris expertes trajectô filô, libero Aëri ſuſpenſæ exponantur: *Succi*, *Liquores*, & *Aquæ deſtillatæ* in vitris, aut vitreatis Vaſis depurantur & detinentur; *Succi* autem priùs depurati, defœcatique

utì&

utì & *Vina Cydoniorum, Granatorum*, aut ſimilia in vitris anguſti orificij ſuperfusô *Oleô Amygdalorum dulcium*, aut *Oleô Olivarum* puriſſimo aſſervantur, nè ab aëre ſubintrante corrumpantur.

Syrupi etiam ex *Succis* vel *Liquoribus* quoquô modô parati itidem Vitreis, teſtaceis, aut figulinis vaſibus vitreatis inditi reponuntur, præcipuè qui per ſe acidi ſunt, aut acetum recipiunt, quî etiam in ſimilibus vaſibus decoqui ac deſpumari debent; nã aliàs à lebetibus è cupro aut aurichalco confectis ſapore nativo privantur, ac coloris amittunt gratiam, mineralémque quandam noxam ventriculo abominabilem contrahunt. Quod idem de Aquis deſtillatis notandum eſt.

Cortices autem, *Gummi*, *Animalium* partes, *Trochiſci*, & *Corallia* arida in pixidibus ligneis commodè reponuntur.

In qualibus etiam *Tabulæ*, *Confectiones* ſolidæ, & omnia Sacharo obducta in loco ſicco conſervantur.

Ungventa in figulinis, aut ſtanneis pyxidibus cuſtodiuntur.

Species aromaticæ in vitreis aut eburneis vaſculis providè aſſervantur.

Condita, *Conſervæ*, *Electuaria*, & *Looch* potiùs in figulinis vaſibus reponenda, quamvis & in ſtanneis citrà noxam ſervari queant.

Olea cocta aut expreſſa in vitris aut ſtanneis thecis munita manent, deſtillata verò in vitris anguſti orificij, quæ arctè obligari & ab effluvio ac exſpiratione promptè cuſtori poſſunt, in annos conſervantur.

Pilularum Maſſæ, *Cerata* & *Emplaſtra* comuniter chartâ ceratâ obvoluta in arculis vel pyxidibus ſiccis incluſa ſervari ſolent.

CAPUT III.

DE MEDICAMENTORUM QUORUMLIBET DURATIONE.

QUamvis generaliter loquendo tam certum durationis Medicamentorum tempus definiri nequeat, dum etiam unum præ altero citiùs matureſcat, citiuſque terminum corruptionis attingat, præcipuè dum quandoque indebito tempore colligitur, aut negligentiùs reponatur, vel cum minori induſtria præparetur, unde pro cujusvis temperatura & conditione ùt plurimum reſpiciendum eſt; Communiter tamen *Herbas*, *Flores ac Semina* præſertim frigida minora, radicéſque teneriores quovis Annô noviter colligere oportet; Semina verò calida, acria, aromatica & radices ſolidiores per duos aut tres Annos ſalvis viribus perdurant, proùt & fructus quidam exotici duriori cortice aut cruſtâ veſtiti, ùt *Myrobolani*, *Nux indica &c.*

Syrupi ſimplices, *Mella*, & *Roob* ſingulis annis commutantur; compoſiti

positi verò Syrupi præsertim Aromatici ad biennium perdurant.

Conservæ & Looch, maximè quæ *Amygdalas*, *Pineas*, *& Semina* frigida rancori obnoxia in sui constitutionem admittunt, vix ultrà annum conservari possunt.

Condita verò pleráque, præcipuè Cortices ad plures Annos conservantur.

Aquas destillatas, præter quasdam aromaticas quæ ad duos Annos immunes manent, quovis Annô novas destillare necesse est.

Trochisci, qui semina non recipiunt, *Sieff & Pilulæ* cùm durioris sint compaginis, ac ob vim quoque Aloës corruptelæ obstantem, etiam tribus annis immunes perseverant, præsertim quas Opium subingreditur.

Ungventa, *Cerata*, *& Emplastra*, duobus annis conservari possunt.

Theriaca verò & *Mithridatium* ad triginta annos in sua bonitate persistunt.

Oleum Amygdalorum, aut ex *Nucibus Pineis* expressum interno usui destinatum vix uno mense sinè rancoris nota conservatur; *Olea* verò *frigida* unô annô, *calidiora* autem & *aromatica* per tres annos & ultra vires suas retinent, præsertim destillata.

Electuaria lenitiva intra annum ferè imbecilliora evadunt; *Hieræ* autem & *Electuaria* amara ad duos annos servari possunt.

Species aromaticæ singulis annis renovari expoſcunt:

Animalium partes, quamdiu haud verminosæ & incorruptæ conservari possunt, vires suas retinent. In omnibus & singulis autem in debita repositione conservatio & perduratio consistit; in multis enim aëris accessus medicamentorum balsamicas particulas agitat, & abducit, vel etiam humidas alienas immittendo corruptionem accelerare fas est. Universale tamen signum *Color*, *Odor*, *& Sapor*; aliæque qualitates bonitatis medicamenti suppeditat.

CAPVT IV.

NOnnunquam contingere solet, ut in præscribendis medicamentorum formulis simplex aliquod solo nomine ponatur, absque sexûs, loci, formæ, coloris, aut propriæ partis alicujus determinatione compræhensum; Unde dubium oritur: Sítne radix, an semen, vel folia, aut flores; aut simplex aliquod aliud sub diversis formis ac qualitatibus in Officinis prostans. Pro cujus rei notitia sciendum in unoquoque Medicamenti genere illud assumendum, quod optimum est ex: gr: si Aloë occurrat simpliciter scripta, intelligatur succotrina, sin sandalum, sumatur citrinum, &c. Sunt autem plantæ nonnullæ, quarum sola Folia in usum medicum expetuntur: aliæ ob flores duntaxat usitatæ, prout in quibusdam radix aut semen tantùm cæteris partibus totius stirpis præfertur.

ITA-

ITAQUE SI SIMPLICITER OCCURRAT:

Absinthium, Acetum.	Sumatur	Ponticum. Ex Vino.
Agaricum.		Album & fœmineum.
Agnus caſtus,		Semen ejuſdem.
Aloë,		Socotrina,
Alumen,		Sciſſile,
Amomum,		Scythicum,
Ammi,		Illyricum, aut Ægyptiacum.
Ariſtolochia,		Rotunda.
Balſamum,		Opobalſamum, vel ejus ſuccedaneum
Bryonia,		Alba.
Calamintha,		Montana,
Capparis,		Cortex radicis.
Cardamomum,		Minus.
Centaurium,		Minus.
Cichorium,		Sativum.
Corallium,		Rubrum.
Coſtus,		Amarus.
Cupreſſus,		Conus ejuſdem in adſtringentibus, folia aut lignum in diureticis.
Daucus,		Semen Dauci Cretici.
Dictamnus;		Cretenſis.
Eruca,		Sylveſtris.
Gummi,		Arabicum.
Granatum pom.		Acidum.
Helleborus,		Niger.
Hepatica,		Lichen.
Hyoſcyamus,		Albus
Hyſſopus,		Montana.
Iris,		Illyrica, vel Florentina.
Lilium;		Album.
Marrubium,		Album.
Medulla,		Cervina, vel ſi deſit, Vitulina.
Mentha,		Rubra & hortenſis vera.
Nymphæa,		Candida.
Oleum;		Olivarum.
Opium,		Thebaicum, i.e. ſelectius ac optimum.
Paſſulæ,		Minores, Corinthiacæ dictæ.
Papaver,		Album.
Pœonia,		Maris ſemen, aut radix.
Petroſelinum,		Macedonicum.
Piper,		Album.
Pix,		Liquida in ſuppurantibus, ſicca in glutinantibus.
Plantago,		Major.
Polypodium;		Quernum.
Prunum,		Damaſcenum, vel Hungaricum.
Reſina,		Larigna vel Terebinthina.
Rhus,		Cortex fructus Sumach.

Rosa,	Sumatur	Rubra.
Sandalum,		Citrinum.
Scordium,		Creticum.
Scorzonera,		Sativa.
Spica,		Indica.
Stœchas,		Flos Stœchados Arabicæ.
Styrax,		Calamita,
Sulphur,		Vivum.
Thymus,		Creticus.
Veronica,		Mas.
Viola,		Nigra, seu cœrulea.

Nosse quoque Pharmacopœos oportet, plura quandoque simplicia uno titulo simul comprehendi, utpote cùm scribitur: Accipe quinque herbarum emollientium, singularum manipulum, sumantur sequentes, nempe

Quinque herbæ emollientes	Malva,
	Althæa,
	Violaria,
	Mercurialis,
	Parietaria.

His alij Brancam Ursinam, Betam & Atriplicem adscribunt.

Quatuor semina calida majora.	Anisi,
	Fœniculi,
	Carvi,
	Cumini.
Quatuor Semina calida minora.	Ammeos,
	Amomi,
	Apii,
	Dauci.
Quatuor Semina frigida majora.	Cucumeris,
	Cucurbitæ,
	Citrulli,
	Melonum.
Quatuor Semina frigida minora.	Endiviæ,
	Scariolæ,
	Lactucæ,
	Portulacæ.
Quinque radices aperientes majores.	Apii,
	Fœniculi,
	Asparagi,
	Petroselini,
	Ruscі.

Quin-

Quinque radices aperientes minores.	Graminis, Rubiæ, Eryngii, Capparis, Ononidis,
Quinque genera Myrobalanorum.	Citrinæ, seu flavæ, Chebulæ, seu Cepulæ, Indæ, seu nigræ, Emblicæ, Belliricæ,
Quatuor flores cordiales.	Boraginis, Bugloſſi, Roſarum, Violarum
Fragmenta quinque lapidum pretioſorum	Saphyri, Granati, Smaragdi, Hyacinthi, Sardi, seu Carneoli.
Quinque herbæ capillares	Adiantum nigrum, seu Capillus Veneris, Adiantum album, seu Ruta muraria, Polytrichon aureum, Trichomanes, Aſplenium, seu Ceterach.
Quatuor aquæ pleuriticæ	Cardui B. Mariæ, Taraxaci, Cardui Benedicti, Scabioſæ.
Tria Olea ſtomachica	Abſinthii, Cydoniorum, Maſtichinum.
Quatuor ungventa calida	Arêgon, Martiaton, Althææ, Agrippæ.
Quatuor ungventa frigida	Album Camphoratum, Roſatum Meſues, Populeum, Infrigidans Galeni.

Hæc autem omnia ac ſingula à Pharmacopœis ad amuſſim tenenda ſunt, nè in his error obtingat, qui vel Medici intentionem præpediat, vel ægro damnum adferat; cum adprimè cavendum ſit, nè quis ab ea arte, quæ omnibus bene facit, per operarii eam tractantis, aut exercentis, vel inſcitiam vel incuriam, lædatur.

CA-

CAPUT V.

DE SUCCIDANEIS QUORUNDAM MEDICAMENTORUM.

EVenit perſæpe, ut in tanta tam diverſorum Medicamentorum farragine, ſimplex aliquod medicamentum deſideretur, vel quia id omnino deeſt, ac comparari vix poteſt; vel quia vis ejus ob loci unde id peti debet diſtantiam, & itineris prolixam moram, exoletum ut plurimum ad nos devehitur, ac viribus expers; vel quia de ejus ortu, an nimirum legitimum id ſit vel ſpurium, adhuc dubitatur; unde nè ægri ſuo commodô priventur, aliud quodpiam viribus æquipollens huic ſubſtituendum, quod ejus defectum ſimili temperaturâ, ac facultate reſarciat. Talia ſubrogata medicamenta Latinis Succedanea & Subſtituta, Officinis verò, licèt ſatis barbarè: Quid pro Quo, vocari conſveverunt. In ijs autem deligendis, utpote quidnam cuíque commodè ſubrogari queat, cùm nonniſi peritiſſimi Medici, minimè verò Pharmacopœi judicare ac decernere poſſint ac debeant, idcircò præcipua eorum complexi, hæc ipſa in ſeriem Alphabeticam ſic digeſſimus, ut è dextro ſubjecti *C*atalogi latere vera & legitima, ex ſiniſtro verò ſuccedanea promptè conſpicerentur.

ITAQUE PRO

ACacia,	}	{Hypociſtis, aut ſuccus Prunorum ſylveſtrium.
Acantho,		Malva.
Ammi,		Aniſum.
Amomo,		Calamus arom: aut grana Junip. vel ſemen Citri, ac Hyperici, æquali
Ammoniaco,		Bdellium. (pondere.
Amygdalis amaris,		Nuclei Perſicorum,
Ariſtolochia rotunda,		Longa vel Piſtolochia,
Aſpallatho,		Lignum Aloës.
Balauſtio,		Malicorium.
Cardamomo,	Subſtit.	Cyperus.
Carpobalſamo,		Cubebæ.
Caſſia lignea,		Cinnamomum optimum.
Citri ſucco,		Succus Limonum.
Coſto,		Zedoaria, vel Angelica.
Dictamno,		Scordium.
Doronico,		Galanga cum corticum Citri parte.
Folio,		Macis & Ciperi partes æquales.
Galbano,		Sagapenum.
Herba Paris,		Umbilicus vener. aut Sedum minus.
Lacca,		Styrax,
Lapide Armeno,		Lapis Lazuli,
Mandragora,	}	{Hyoſciamus, Solanum, Papaver, Meo,

Meo,	Substit.	Angelica, aut Ostrutium.
Oesypo,		Medulla cruris Vituli.
Omphacio,		Succus Granatorum, aut Ribiũ.
Opobalsamo,		Oleum Nucis Moschatæ.
Opopanace,		Ammoniacum, vel Galbanum.
Osse è corde Cervi,		Cornu Cervi crudum.
Phu,		Valeriana.
Polytricho aureo,		Trichomanes.
Rhapontico,		Rhabarbarum selectum.
Saxifragia,		Pimpinella.
Terra sigillata Turcica,		Terra sigillata Silesiaca.
Xylobalsamo,		Lignum Aloës,

CAPUT VI.

DE PONDERIBUS ET MENSURIS MEDICIS, SIGNISQUE CHIMICIS.

NOn immeritò hucusque communis Philosophorum Schola omnia Pondere, Numerô, & Mensurâ contineri docuit; Siquidem *Pondere*, *Mensurâ*, *Numerô*, Deus omnia fecit; hæc enim agendorum sunt quasi quidam limites ac regulæ, quibus ea, quæ præstanda sunt ad justitiam & æquitatem pensantur, adeò ut his vel posthabitis, vel neglectis, in Medicina facienda periculi plenus labor sit futurus, cùm cujusque medicamenti vis & energia, ad subjecti seu patientis ægri vires aut tolerantiam comparatione factâ, horum adminiculo, eliciendæ debitæ dosis causâ, trutinetur, nè aut medicamentum in minori quám par est quantitate exhibitum, effectu exspectato frustretur; aut in ejusdem proportionis excessu porrectum, corpus vel lædat, vel omnino pessundet.

In ponderibus autem enumerandis à minutioribus, tanquam à partibus majora constructuris, initium ducimus; è granis enim scrupuli, ex his Drachmæ, hinc unciæ, ac tandem libræ consurgunt, habentque se scrupuli instar literarum, drachmæ instar syllabarum, unciæ instar dictionum, libra instar orationis; unde cùm Fannius Poëta notâsse, tot unciæ inesse scrupulos, quot Alphabetum Græcum literas continet, nempe viginti quatuor, tali id metro expressit:

Uncia fit drachmis bis quatuor, unde putandum,
Grammata dicta quod hæc viginti quatuor in se
Uncia habet; tot enim formis vox Græca notatur,
Horis quot mundus peragit noctémque diémque.

Granum minimum pondus est, quo utimur, albi piperis granum pondere adæquans, ejus viginti scrupulum, sexaginta Drachmam constituunt.

Scrupulus pendit grana viginti.

Drachma continet Grana ſexaginta, ſeu tres Scrupulos: & eſt octava pars Unciæ.

Uncia duodecima pars libræ, conſtat drachmis octo.

Libra duplex in uſu eſſe ſolet: Publica, ſeu Civilis, pendens uncias ſedecim, vel drachmas 128. & Medicinalis, duodecim unciarum vel 96. drachmarum pondere circumſcripta; & hæc Officinis eſt uſitata, ſemper adhibenda, ubi ſimpliciter Libræ pondus ponitur, cùm priori illi: p. c. *ponderis civilis* addi ſoleat.

NOTANTUR AUTEM PONDERA HIS SIGNIS.

Gr. gr:		Granum.
℈. ß.		Dimidium ſcrupulum.
℈. 1.		Scrupulum.
ʒ. 1.		Drachmam.
℥. ß.		Unciam dimidiam.
℥. 1.	deſignat	Unciam.
lb. ß.		Libram dimidiam.
lb. 1.		Libram.
M.		Manipulum.
N.		Numerum.
P.		Pugillum.
ANA. ãã. ã.		Æquale pondus, aut menſuram duorum vel plurium medicamentorum.

Liquida, præter uncias, Menſuris ſic dictis diſpenſari ſolent.

Inſuper notamus, conſultius eſſe in definiendis, aut præſcribendis medicamentorum formulis, ac ſignando numero, priſcorum Romanorum notis uti, quæ ſic pinguntur: I. II. III. IV. V. VI. VII. VIII. IX. X. XI. XII. &c. quàm alijs characteribus 1. 2. 3. 4. 5. 6. 7. 8. 9. 10. 11. 12. ſic enim ob notarum diverſitatem non tam facilè error committitur, qui characterum ſimilitudine forſan ſubrepere poſſet; cùm v. g. 3. & drachmam, pondus; & numerum ternarium deſignet.

Uſitatiora denique Chimicorum ſigna, quæ pro ſcribendi quodam compendio haberi poſſunt ac ſolent, hiſce ſubnectare, nè, ſi quæ horum aliquando occurrant, errorem pariant, conſultum duximus. Denotatur itaque per:

✝. Acetum.	♁. Antimonium.
✠. Acetum deſtillatum.	▽. Aqua.
🜁. Aër.	🜄. Aqua fortis.
🜪. Alembicus.	🜅. Aqua Regia.
O. Alumen.	⁘. Arena.
aaa. Amalgama.	☽. Argentum.

Argen-

☿. Argentum vivum.
♁. Arſenicum.
⚮. Auripigmentum.
☉. Aurum.
B. Balneum.
MB. Balneum Mariæ vel Maris.
VB. Balneum Vaporis.
Ψ. Calx viva.
♋. Cancer.
♋. Caput mortuum.
♆. Cineres.
♋. ♒. Cinnabaris.
C. C. Cornu Cervi.
✠. Crucibulum.
♀. Cuprum.
♂. Dies.
♂. Ferrum.
♓. Hora.
△. Ignis.
⍟. Ignis rotæ vel circularis.
☿. Mercurius ſublimatus.
☿. Mercurius præcipitatus.
☒. Menſis.
☉. Nitrum.
☍. Nox.
Oleum.
♄. Plumbum.
Præcipitatio.
Q. E. Quinta Eſſentia.
♑. Retorta.
♕. Regulus.
⊖. Sal.
⊖*. Sal ammoniacum.
☿. Sal Gemmæ.
Sp. ^. Spiritus.
♃. Stannum.
S. S. S. Stratum ſuper ſtratum.
♎. Sublimatio.
♎. Sulphur.
♆. Tartarus.
▽ Terra.
℞. Tinctura.
♈. Vini Spiritus.
⊕. Viride æris.
⊕. Vitriolum.
⊡. Urina.

APPENDIX.

DE TERMINIS IN OPERATIONIBUS SEU PRÆPARATIONIBUS MEDICAMENTORUM USUALIBUS.

A *Cuere*, denotat Virtutem menſtrui vel medicamenti intendere, vel ſtimulum addere, ex: gr: dum Pilulæ unô aut alterô granô Diagrydij acuuntur.

Alcoholiſare eſt, vel Spiritum Vini ità dephlegmatiſare, & rectificare, ut pulverem pyrium accendat: vel quoſcunque pulveres in ſubtiliſſimum pollinem impalpabilem redigere.

Amalgamare eſt quodcunque Metallũ per Mercurium corrodere.

Calcinare, eſt in calcem redigere, vel friabile reddere, fitque per *ignem*

ignem incinerando, vel reverberando, vel per *Mercurium* amalgamando, vel per *Aquam fortem*, aut *Regiam* in calcem ſolvendo.

Candiſare, in pharmacevticis notat ſacharô cantô obducere ex: gr: fructus, cortices, &c.

Cementare ſeu *ſtratificare* eſt corpus metallicum cemento ſtratificatim impoſito aliquamdiu igni exponere.

Circulare, eſt Liquorem in digeſtionem collocare, ut volatilior & ſpirituoſior pars elevetur, recidat, & quaſi circulum faciat, ſubtiliórque evadat.

Clarificare eſt Decocta aut Succos depurare: quod fit tripliciter; 1ò. per albumen ovi conquaſſatum inſtar ſpumæ, cui, facta levi ebullitione, omnia craſſiora, & impura adhærent, quæ deſpumando, vel colando facilè ſeparantur. 2dò. per digeſtionem. 3tiò. per filtrationem.

Coagulare denotat fluidum corpus concentrare, ſeu evaporando inſpiſſare.

Cohobare eſt repetitim deſtillare, dum videlicet liquor deſtillatus, menſtruo ſuo reaffunditur, & porrò deſtillatur. Germ: öffters überziehen.

Colare eſt per colum trajicere, colum autem eſt linteum, pannus aut manica Hyppocratis. Germ: durchſeigen.

Condire eſt Radices, aut alia condienda ſacharo ſyrupiſato, vel Melli calidè immergere, ut à corruptione præſerventur. Germ. Einmachen.

Conficere ſeu *confectare* eſt ſacharo obducere & incruſtare. überziehen.

Conquaſſare eſt (Viridia maximè) piſtillô tundere.

Cryſtalliſare, eſt Salia priùs ſoluta & eouſque cocta, donec pellicula appareat, ope frigoris in cryſtallos figurare.

Decantare vel *decupelare*, eſt Liquorem per vaſis inclinationem defundere. Abgieſſen

Decrepitare, de Sale & ſimilibus dicitur, quæ dum ad Ignem ſinè fuſione collocantur, ſtrepitum edunt.

Deliquare ſeu per Deliquium ſolvere, eſt ſal vel aliud ſimile ſolvendum in locum humidum, vel cellam collocare, ut per ſe in liquorem vertatur: ſic ſal culinare ſolvitur: ſic etiam nitrum: Item ſic paratur Oleum Tartari per deliquium.

Dephlegmare, eſt Phlegma ſeparare ſeu abſtrahere, vel deſtillando vel evaporando, ùt fit in Spiritu Vini &c.

Deſpumare, id eſt, ſpumam demere. Abſchaumen oder abpfaumen.

Deſtillare eſt partium humidarum vel oleoſarum in halitus & fumos vi ignis extenuatarum atque elevatarum extrahere. Modi deſtillationis uſitatiſſimi ſunt; *Primò* ratione vaſorum per Veſicam, Cucurbitam, Alembicum, & Retortam. *Secundò* ratione graduum calo-

caloris. 1ò. per Balneum Roris ſeu Vaporis. 2dò per Balneum Maris vel Mariæ. 3tiò. per Cineres. 4tò. per Arenam. 5tò. per Ignem nudum.

Detonare eſt cum deflagratione & ſtrepitu calcinare, ùt dum Antimonium aut Tartarus cum dupla vel tripla portione Nitri exſiccati igne aperto calcinantur, & detonantur. Abpuffen und verpuffen.

Digerere eſt blando calore res fovere, ut meliùs extrahantur, & depurentur.

Dulcorare ſeu *edulcorare* dicitur *primò* quando calcinata ſale imprægnata aquâ, plerumque calidâ abluuntur ſæpiùs, quouſque ab aqua omnis acredo aufferatur. *Secundò*, dicuntur dulcorari potiones, pulveres, &c. additô Syrupô, aut Sacharô.

Evaporare, ſeu *exhalare*, eſt Liquorem calori exponere, ut humiditas exhalet.

Exaltare, id eſt rei potentiam augere & ſublimare.

Extrahere, eſt ipſam animam ſeu Eſſentiam, ſeu partes Scopo & intentioni magis accomodatas, proportionato & debito Liquore (quod menſtruum dicitur) proportionaliter affusô elicere. Unde extrahere ſ. A. id eſt extractionem novis affuſis menſtruis reiterare, ídque toties, quoties menſtruum adhuc imprægnari ſentitur, aut tingitur. Sic omnia Reſinoſa Spiritu Vini, gummoſa & ſalina aquâ extrahi ſolent. Dantur & alia ex: gr: Myrrha, quæ potiùs Vinum pro menſtruo affectant.

Fermentare, iſt eſt, quando res in ſe evidenter movetur ſinè adminiculo caloris, ex ſe incaleſcit, rareſcit, reſolvitur, & maturatur, quod fit inteſtino particularum, ſeu principiorum tam activorum, quàm paſſivorum motu.

Figere ſeu *Fixare*, eſt volatile ligare & fixum reddere, nè in auram abeat, vel illud cicurare, ut vim cauſticam deponat: fitque id iteratis deſtillationibus & ſublimationibus, aut alia re figente; ùt dum quoddam Sal volatile Spiritu Salis figitur.

Filtrare, fit vel beneficiô chartæ bibulæ, vel panni lanei, factô quaſi ſacculô inſtar pyramidis, & infusô liquore, ut in ſuppoſitum vaſculum filtretur.

Fundere, idem eſt ac liquare ſeu ad ignem liquefacere, & propriè de metallis & ſalibus dicitur.

Granulare, id eſt in grana redigere.

Imbibere, *Imprægnare*, *Incerare*, eſt rem humiditate per vices potare, ſeu humore rem humectare.

Impaſtare, eſt miſcere, ut fiat inſtar paſtæ ſeu maſſæ.

Inaurare, & folijs auri abducere, præſertim Pilulas, quandoque etiam Panem Martium.

Incidere, id eſt forfice vel cultrô Herbas, Radices, Cortices, &c. conſcindere.

Incinerare, eſt comburere, ac in cinerem redigere.

Infundere, eſt Materiam Liquori immergere.

Inſolare, eſt macerare vel Solis, vel alio calore temperato.

Interpaſſare medicè eſt ſacculum medicatum aut Cucuphas trajectis ordine filis ità conſuere & firmare, ut contenta æqualiter ubique diſtribuantur. Durchnähen.

Lævigare, eſt ſuper Porphyritem in leviſſimum ſeu ſubtiliſſimum pulverem redigere, affusâ ſubinde Aquâ deſtillatâ, & talia ordinariè vocantur præparata.

Limare, eſt rem, ex: gr: Martem, Cornua, aut Ligna duriora Limâ in ſcobem redigere. quæ *Limitura* dicitur.

Liquare, idem eſt ac fundere.

Macerare, idem eſt quod digerere.

Malaxare dicitur de Emplaſtris durioribus, quando cum Oleis ad debitam mollitiem revocantur, ut Alutæ vel Linteis ſuperinduci poſſint.

Menſtruum Chymicis eſt Liquor conveniens, quo mediante ſolutiones & extractiones corporum perficiuntur; éſtque vel *Univerſale*, vel *Particulare*, priùs titulô *Alcaheſt* venire ſolet, alterum verò dividitur in *Aqueum*, *Sulphureum* ùt Spiritus & Olea; & *Salinum* idque vel *acidum*, ùt acetum, aut Spiritus acidi, vel *lixivioſum* ùt Sal Tartari, Spiritus ☋*ci, vel Spiritus *CC.* &c.

Nutriri dicuntur aliqua, ſi præparatione convenienti ſucco inebriantur, ſic Lithargyrium nutritur acetô, ità ungventum nutritum eſt ex Lithargyrio, acetô & oleô Roſar: priùs imprægnato paratum.

Præcipitare, eſt ſolutum, è ſolventis gremio excutere, ut fundum petat: attendendum autem eſt in hac operatione ad ſolvens, ſive menſtruum, & etiam ad ſolutum: quæ enim ſolvuntur ab acidis, illa præcipitantur ab alkalinis: ſic *Luna* ſolvitur *Aquâ forti*, & præcipitatur *cineribus clavellatis*; quæ verô reſinoſa & ſulphurea Spiritu Vini ſoluta ſunt, præcipitantur Aquâ fontanâ, ſic paratur Magiſteriũ Jalappæ.

Præparare Pharmacopœis eſt rem minutiſſimè levigare, & Aquâ aliquâ cordiali imbuere: Idem dicitur de nonnullis radicibus, quæ in Aquis vel Aceto macerantur.

Purificare, eſt à ſordibus ſeu inquinamentis ſeparare vel lavando, clarificando, filtrando, vel digerendo.

Radere, fit aliquô inſtrumentô acutô, v. g. Cultrô, Vitrô, Limâ, aut ſimili. German. Schaben. Unde Raſura dicitur ex: gr: Cornu Cervi, Eboris, Ungulæ Alcis &c.

Rectificare, eſt Liquorum deſtillationes repetere, ad eos magìs exaltandos, & purificandos ‘ relictô in fundo phlegmate.

Refinare, idem eſt quod depurare, competit potiſſimùm ſacharo.

Re-

Reverberare, eſt rem vi flammæ cremare, quæ infrà & ſuprà illam ambiat.

Separare, eſt res heterogeneas, mixtas & confuſas ſegregare v. g. Oleum ab aqua, quod fit *primò* per tritorium anguſti orificij in fundo, quod orificium aqueo liquori utpotè graviori, primúmque defluente aperitur, & poſtmodum obturatur, Oleúmque reſtans ſigillatim colligitur; *ſecundò*, per Goſſypium ſeu Lanam, nimirùm: repletur vitrum anguſti orificij Aquâ & Oleô confuſis ad ſummum uſque & finitur, ut Oleum ſupernatet: hinc apponitur vitrum humilius & goſſypium, ſeu lana utríque imponitur, ut uno termino Oleum tangat, altero in vas appoſitum dependeat, ſic delabitur Oleum per goſſypium in appoſitum vaſculum humilius, *tertiò*, per *Chartam bibulam*, per quam Aqua tranſit, & Oleum reſtat.

Sigillare hermeticè,, eſt vitrum fuſione claudere.

Stratificare, eſt metalla per pulveres corroſivos corrodere, dum nimirùm crucibulum metallô laminatô & pulveribus corroſivis alternatim repletur, faciendo S. S. S. ſeu Stratum ſuper ſtratum, hoc eſt ponendo aliquid de pulvere corroſivo in crubiculum, & huic ſuperſternendo tenuem laminam corporis metallici, & ſic pergendo, donec vas impleatur, poſtea ponuntur carbones per circuitum, vel datur ignis reverberij paulatim augendo, ùt res poſtulat.

Sublimare, eſt rem volatilem ſiccam per ignem in ſublime elevare, utì Flores Chymici ſublimantur.

Torrere, eſt in patella vel ſartagine ferrea igni expoſita medicamenta continuò agitare, ut humiditas abſumatur. Sic fit Rhabarbarum toſtum.

Volatiliſare, eſt volatile reddere.

CENSURA.

ITà Jubente MAGNIFICO DOMINO RECTORE & AMPLISSIMO SENATU Academico Legi & Relegi neo-elaboratum Opus *Dispensatorium Medico-Pharmaceuticum Pragense*, & in eo non solùm sinceras Descriptiones Formularum à Gravissimis Practicis receptarum, sed & præparandi, & Chymicè parandi Methodum genuinam reperi nec non in utilitatem Operantium & Practicantium doctissimas notas & animadversiones virium & usûs remediorum usitatorum, & singulariter nobis usu propriorum & comprobatorum fideliter appositas, itáque Opus integerrimè instructum ut prævia Facultate Rectoris Magnifici Typis evulgetur Dignissimum Censeo. Pragæ in Musæo meo die 15. Januar. 1739.

JO. IGNATIUS MAYER AA. LL. PHIL. & MEDIC. DOCTOR PRAXEOS PROFESSOR. REG. PUBL. ET ORDINAR.

DIspensatorium Medico-Pharmaceuticum Pragense à supra-scripto Domino Professore, aliísque Collegiatis relectum Typis mandare posse judico. Datum die 18. Januarij 1739.

JACOBUS SMITH FACULT. MED. SENIOR, & p. t. DECANUS.

IMPRIMATUR.

P. JOANNES HEILMANN è SOC. JESU, SS. THEOL. DOCTOR, CÆSAREO-ACADEMICI COLLEGIJ EJUSDEM SOCIETATIS AD S. CLEMENTEM VETERO-PRAGÆ NEC NON CÆSAREÆ, REGIÆQUE CAROLO-FERDINANDEÆ UNIVERSITATIS p. t. RECTOR MAGNIFICUS.

DISPENSA-TORIUM Medico-Pharmaceuticum Pragenſe.

DE ACETIS.

QUid ſit Acetum? notiſſimum eſt, etiam in vulgus; inter Doctiores tamen non nihil de ejus natura & geneſi diſceptatur. A Literatioribus definitur, quòd ſit: *Liquor acidus ex fermentato quodam ſucco productus.* Num autem id fiat novo quodam fermentationis actu, aut aliô corruptionis modô? ſub judice lis eſt. Juxta Recentiorum ſaltem doctrinam probabiliorem, *illud omne, quod ex vinoſa, in acetoſam tranſit fermentationem, acetum* fit, & hoc omne, unicè ac ſtrictè *acetum* nuncupandum videtur.

Acetum parari poſſe tam ex *cereviſia*, quàm ex *vino*, conſtat æquè coquis, ac mulierculis, œconomis ac œnopolis; ac indè etiam in officinis noſtris uſuale eſt utrumque *vini* ſcilicet, & alterum *cereviſiæ*. Quæ verò differentia, &

& quàm grandis illa exiſtat inter illud *vini* & alterum *cereviſiæ*? modò non vacat diſquirere. De cætero alia inter Doctiores agitatur

Quæſtio, nempè: An liquores, quercûs, betulæ, tiliæ, &c. nec non ſucci pomorum, pyrorum, cydoniorum, poſt certos gradus fermentationis perpeſſæ, ac dein aceſcentiam contrahentes, imò &: dum mel ac ſaccharum c.ſ.q. aq. com. fermentata, in liquorem vinoſum æquè ac acetoſum abeunt, an non pariter etiam eodem modô acetum acerrimum, & veriſſimum liquores hi ſuppeditare queant? & videtur *nobis*, quòd ità; cùm tamen ejusmodi aceta in uſu pharmaceutico officinali non ſint, licèt ad operationes chymicas, alchymicas, & metallurgicas, eadem frequentiùs & utiliter adhiberi noſcamus. De iis plura ſuperaddere non lubet.

Succus berberum, *ribium*, & qui nobilioris ac frequentioris usûs eſſe ſolet, *ſuccus pomorum citri*, etiam ad plures operationes pharmaceuticas adhiberi ſæpè conſueverunt; *aceta* tamen *vera* non ſunt, licèt ſint acida genuina; imò & *ſuccus citri* paſſim reputatur ſaltèm aceto communi multò ſalubrior, tam in uſu culinari, quàm etiam ſæpè quoad uſum medicum; cùm, ùt diximus, *aceta vera* non ſint, quæ fermentationem non ſubiverunt; ſed num ſucci hi ſint acetis veris meliores ac ſalubriores in uſu medico? decidant Medici practici. Hoc ſaltem ex parte noſtra hìc non veremur aſſerere, & aſſecurare: *aceta* in communi non eſſe ità nociva, ac inſalubria, ùt paſſim in vulgus ipſum exiſtimatur; dum autem hìc loci nobis tantummodò incumbit pro inſtructione pharmaceutica officinarum noſtrarum dare informationem, hæc pro directione damus:

Quotiescunque *acetum* à Medicis præſcribitur, *ſimpliciter tale*, dandum eſſe, *acetum cereviſiæ*. Si expetitur aliud, addendum eſt: *acetum vini*, &c. Cùm autem & ex his proſtet utrumque vel *ſimplex*, vel *deſtillatum*, hoc pro regula ordinamus:

Qui voluerit *deſtillatum*, hoc ipſum exprimat in Recipe ſuo, aliàs tantùm *acetum ſimplex* aſſumi ſciat; ubi tamen acetum deſtillatum præſcriptum fuerit, *acetum vini* intelligendum eſſe volumus, nisi aliter & per expreſſum præſcribenti præplaceret.

An verò *Acetum* illud *vini deſtillatum*, ex albo vel rubro vino fuerit, dummodò extiterit legitimæ qualitatis, indifferens eſto!

Qui verò *Acetum ſimplex vini rubrum*, expreſsè aliquando deſideraret, id ipſum etiam manifeſtè & ſtudiosè exprimere dignabitur.

Num verò *Acetum vini ſimplex* præſtet, an verò præ eo *deſtillatum* prærogativam habeat, pro uſu rerum pharmaceuticarum? videbimus mox, ubi de *Aceto deſtillato*.

usus

USUS ACETORUM.

Aceta *per ſe non tantùm adhibentur uſibus culinariis & œconomicis; verùm etiam inſerviunt præparationibus pharmaceuticis & curationibus multis medicis.*

In genere: *Aceta omnia reſiſtunt putredini, eámque arcent à corporibus animalium; eodem modo venena corrigere, cicurare & infringere dicuntur, ſed fortè cum grano ſalis ea intelligenda ſunt. De reliquo certum eſt, quòd bilem exaltatam & acrem temperent, ſalia alcaleſcentia edoment, & putrido tam nato, quàm naſcendo medeantur. Hinc tam inquàm ex-ternè adhibentur proficuè. Valent ſic tam ad extra in ulceribus putridis, affectibus ſerpiginoſis, ac leproſis, aliisque hujus generis, quàm etiam ad intra in febribus malignis, ad putreſcentiam, ac in aliis ad alcaleſcentiam tendentibus. Conferatur Dioſcor. Lib. V. Cap. XVII. & Hippocr. cui* poſca & oxycratum *ideo in uſu frequentiſſimo fuerunt. Ex Recentioribus meretur legi H. Boerhaven in Element. Chem. Edit. Lugdunenſis de Anno 1732. in 4to, Tom. 2. Proceſſ. 50. p.m. 207. nec non ea, quæ mox de Aceto Bezoard. ſubjungemus. In rabie canina & morſibus animalium venenoſorum etiam ſpecificè convenire dicuntur aceta, ob vim illatæ reſolutionis putredinoſæ inhibendam; inde fortè acida omnia coagulare creduntur, ſed econtra Acetum verum, ſanguinem, ac præſertim lympham ex ſpontaneo glutinoſo coagulatam, nec non polypos abinde generatos, potiùs diſſolvit, quia coctionem alcaleſcentem tollit, licèt cruditates à viſcido inconcocto ortas potiùs acida adaugeant.*

De reliquo, *inſerviunt plerumque aceta odoratui, & præſertim refocillationis causâ, in deliquiis & anguſtiis ac debilitatibus; adhiberi ſolent etiam pro epithematibus cordis, hepatis, pulſuum, aliisque, dubiô procul tam ob vim irritantem, quàm caloris attemperantem, putredinis coërcentem, imò & refrigerantem, ac dolores & calores ab alcaleſcentia & humorum motu orgaſtico natos, ſopientem & refrœnantem.*

Vapor Aceti, *ſi laminis candentibus illud inſpergitur, ad affectus uteri & diſcutiendos tumores; item, ſi ad nares vel os admittitur, ad alias affectiones laudatur, ebrietatem domat, ac, quod mirum eſt, dum ſpiritus vini, homines reddit* vino ſomnóque ſepultos, *acetum & ejus vapor illos reſuſcitat; languentes debilésque confortat, lethargicos, ſoporoſos & ſyncopticos excitat; prodeſt ſæpè vomiturientibus, imò & convulſis, nec non ſæpè hyſtericis. Quæ plura & ſpecificè in febribus malignis, peſtilentialibus præſtet, videbimus infrà, ubi de* aqua prophylactica *Sylvii.*

Uſus Acetorum pharmaceuticus *eſſe ſolet, quòd iisdem tam extractiones, quàm ſolutiones & correctiones variorum medicamentorum fieri ſoleant, & præſertim cum acetis fieri ſolent extractiones herbarum & radicum, quas* Aceta medicata ac compoſita *appellare ſolent, nec non extractiones mineralium, ùt fit*

cum ſaccharo Saturni, aliisque, de his ſuô locô & tempore. Subſequitur ergo in ordine:

ACETUM DESTILLATUM.

℞. Aceti vini optimi q. p. imple cucurbitæ vitreæ (vel lapideæ, ſi bonæ terræ vitreſcentis, & bene uſta fuerit, aliàs huic uſui non commodè inſerviet) tertiam tantùm partem; deſtilla ex arena vel igne congruo, gradatim, ſic primo leni ſub igne phlegma ſeparabitur, dein ſenſim augendo ignem, acetum prodibit, cavendo ſub finem, empyreuma.

ANIMADVERSIO.

I. *Notandum eſt pharmaciæ tyronibus in deſtillatione aceti primô locô non prodire ſpiritum, ùt fit in aliarum rerum fermentatarum liquoribus; ſed tranſit ex retorta primò phlegma, ſeu pars aquoſior, dein ſubſequitur portio acida, ſeu* acetum *ipſum, & in fine dein liquor acidiſſimus, qui ab aliis quidem* Spiritus Aceti *dicitur, plerumque empyreumate infectus; ſed ex noſtra ſententia: Acetum omne deſtillatum,* Spiritus aceti *dici poſſe videtur, & liquor ille quidem prior* Spiritus aceti purior, *poſterior empyreumaticus, jam parte ſulphurea infectus, exiſtit, extractionibus metallicis, aliisque fortè etiam congruus & magis deſtinandus.*

Sunt nonnulli, qui acetum deſtillari jubent per alembicum ex cucurbita, ſed difficilis ac laborioſa admodùm eſt operatio. Alii ex veſica cuprea, ſtanno probè obducta; & adhuc alii: ex vaſe purè ſtanneo aceta deſtillari volunt, ſed neutra approbamus. Alii jubent ad unam 3tiam acetum priùs evaporari, quia aquoſa tantùm portio in auras avolat, reliquum deſtillationi ſubjiciunt, id fortè potiùs permittendum.

Spiritum vinoſum inflammabilem, *ex Aceto ipſo adhuc parari poſſe, adeóque Spiritum verum vini, in aceti generatione nec abiviſſe, nec periviſſe, docent Chemici, prout videri poteſt apud Boerhav. loc. cit. aliósque.*

II. *Quæſtio eſt ſolemnis ac inter Authores plurimùm controverſa:* Num acetum vini ſimplex, num verò acetum deſtillatum prævaleat, ad uſus tam medicos, quàm pharmaceuticos? *Zwelff. in pharmac. Aug. ref. approbat magis officinis* acetum deſtillatum, *quàm* ſimplex, *ex eo, quòd tam efficaciam, quàm durabilitatem majorem habeant* aceta deſtillata. *Sed Frid. Hoffmann. in clav. ad Schrœder. admittit quidem,* aceta hæc eſſe durabiliora, at non efficaciora; *Et J. H. Juncken in Corpore pharmaceut. Chym. Medic. 1711. Ffurti ad Mœnum ſumptibus Frid. Knochii in fol. Typis Nicolai Weinmanni edito, p. m. 17. b. non tantùm* Aceta medicata meliùs parari cum aceto ſimplici, quàm cum deſtillato, *ibidem aſſerit; verùm etiam vim efficaciorem ex aceti Lemeryana deſtillatione iſti attribuere videtur. Clariſſ. Schultzius in* Prælectionib. de virib. & uſu medica-

dicamentor. officinal. Berolinenſ. *Norimberg. 1736. in 8vo impreſſis, deſtillatum ſimplici poſtponit in uſibus medicis, ob vires nimiùm penetrantes, & nervoſas partes ſtringentes, citátque G. E. Stahlium, quòd paucæ guttæ deſtillati aceti, quoties tales deguſtaverit, raucedinem ei induxerint. Illuſtris Lucas Schrœckius in Pharmac. Aug. reſtituta p. m. 13. contra Zwelfferum probat: Acetum ſimplex eſſe majoris efficaciæ ob ſal fixum, ſeu tartarum, in aceto ſimplici contentum; & curioſum eſt: in generatione aceti omnem tartarum, quem vinum priùs depoſuerat, planè diſſolvi, ac in acetum tranſire, ùt habet Boerhave in Chem. Elem. Proceſſ. L. l. c. Suprà fatus Luc. Schrœckius in l. c. allegat propterea ibidem* Claudium Deodatum, *qui in* Pantheo hygiaſt. *lib. 2. Cap. 1. acetum deſtillatum rejicit, nè propriâ terrâ ſeu tartarô, in quo omnes aceti vires conſiſtunt, ſpolietur;* Accipiatur, *inquit*, ergò Acetum ſimplex. *Suis tamen in caſibus & circumſtantiis, permittimus etiam uſum & utilitatem acetis deſtillatis, præſertim, cùm, ùt dictum eſt, ſint durabiliora ac ſubtiliora, pro extractionibus certis inſtituendis, ubi Aceta ſimplicia non ità ſunt penetrantis, & depuratæ qualitatis, menſtrua.* Sed de his ſatis.

Inter Aceta medicata ſimplicia *ſunt ſequentia:*

Acetum Fl. Calendulæ,
Cyani,
Fragorum,
Lavendulæ Florum,
Liliorum Convall.
Menthæ,
Papaveris erratici,
Roſarum rubrar.
Rubi idæi,
Rutæ ſimplex,
Sambuci Florum,
Violarum Florum,

Hæc omnia aceta ſimplici infuſione & methodo uniformi parari poſſunt, ſufficiétque unicum hìc pro regula & cynoſura aliorum adſcribere. Sit igitur

ACETUM FLORUM CALENDULÆ.

℞. Flor. Calendul. ſerenô cœlô collect. & in umbra ſiccat. libram j.
Acet. Vin. ſ. q. ſ. circiter libras viij.

Infunde in vaſe vitreo, obturato, inſoletur aliquamdiu, vel locô calidô digeratur per 18. vel 20. dies, decantetur & ſervetur uſui.

ANIMADVERSIONES.

I. *Si aceta hæc deſiderentur elegantiora & efficaciora, repeti poteſt infuſio cum floribus aut ingredientibus iiſdem, quoties libuerit.*

II. *Aceta hæc per infuſionem paranda, aliquamdiu digerenda ſunt in ſole vel loco tepido, dein decantanda, nec tamen, ùt alii volunt, facilè filtranda; quantitas aceti aſſumendi ad ejusmodi ſpecies etiam ſæpe variat, quod prudentiæ Pharmacopœorum relinquitur.*

III. *Herbæ & Flores, quæ inservire debent infusioni, non sint nimis recentes, id est non nimis humidi, sed leviùs siccati, aliàs aceta debilitantur, & faciliùs corrumpuntur. Nec acetum super speciebus relinquendum est diutiùs, quia species ab aceto aliàs nimiùm arroduntur, & mucosæ evadunt, ipsúmque acetum, & pelluciditate, & constantiâ durabilitatis privatur.*

IV. *Horum Acetorum aliqua multis ob coloris aut odoris gratiam perplacent, imò & propterea nonnulla crebriùs mensis embammatum locô adhibentur; præsertim illud* Flor. papav. rosar. tunic. violar. *Apud plures* Acetum Sambuc. *propter odorem gratiorem in usu multo est, præsertim refocillandi causâ odoratui exhibendum.*

V. Acetum Calendulæ Flor. *à Zoornio in Botanolog. Med. & à Raym. Minderero in febrib. malignis & pestilentialibus laudatur, asseritque Schulzius flosculos hos saltèm acetorum horum vires non destruere, nec damnum inferre, etsi fortè nec easdem intendant multùm.*

VI. *De* Aceto Rosarum *conferri potest Barthol. Cent. IV. Histor. XIII. Adhibitum frequentiùs legitur ab Antiquis. Laudatur aliàs ad Hæmorrhagias sedandas, & pro viribus reficiendis. Ad Epithemata, & pro nodulis odoriferis, licèt fœminis non tam congruè exhibeatur, etsi odor castratus sit. Zwelfferus quidem suadet rosas Damascen. recentes, nos commendamus rosas ruberrimas, paululum resiccatas ac juvencas, nondum penitùs apertas.*

VII. *De* Aceto violarum Flor. *notandum est: illius colorem variis adulterationibus procurari, ac præsertim, pigmentô illô, quod vulgò* Laccmus *appellant. Dein etiam mulierculæ passim existimant illud obtineri coloris elegantioris, si in vase stanneo infusionem peragant; sed revera minùs tutum, minúsque salutare id videtur, quia Acetum particulas saturninas facillimè extrahit, in Aceto æquè nocivas, ac in vino per lythargirium dulcificato, de quo conferri queunt Authores varii, qui hac super re commentati sunt.*

VIII. *Aceta cum fructibus recentibus infusa, minùs durabilia sunt, minúsque fortia, ob succos horum fructuum immixtos: illud* Fragorum *laudatur refrigerandi causâ, nec non ob vim specificam* Fragorum *in Calculo, quibus, an prævalens Acetum conducat? vix assequimur; quæstio tamen esse posset:* An succus Fragorum aut Rubi idæi, *quatenus per se acescunt,* facilè virtutem Aceti non augeant? *Nos hac vice id aliorum discussioni ulteriori relinquimus.*

IX. *An infusiones hæ Acetorum medicatorum & compositorum meliùs fiant cum* Aceto simplici *vel* destillato, *decidi potest ex iis, quæ superiùs, ubi de* Aceto destillato *egimus, dicta sunt.*

ACETUM DE LITHARGYRIO:
Aliis SATURNINUM *dictum.*

℞. Litharg. argent. subtilissimè triti, libram j.

Ace-

Aceti fortiſſimi, libras ij.
Stent in infuſione per aliquot dies, ſæpius interdiu agitando, poſt macerationem reſidere ſinito, & clariſſimum ſervetur pro uſu externo.

ANIMADVERSIO ET *USUS.*

An lithargyrium aureum vel argenteum meliùs adhibeatur? utrumque ſaturninum eſt, & argenteum paſſim, magis obvium, magisque uſitatum. Hoc Acetum in perpolienda cute, tanquam coſmeticum adhiberi aſſolet, nec non in variis & puſtulis faciei, licèt uſum hunc improbet Boerhave in Chem. ſuæ Element. Tom. 2. p. 309. Laudatur etiam in ulceribus humidis, fœtidis & malignis exſiccandis cum ol. ſambuc. viol. roſar. remixtum. Celebratur pariter in ſerpigine, herpete, ſcabioſis & leproſis affectibus, nec non in inflammationibus gangrænoideis externis, ubi acrimonia alcaleſcens & putrida peccat, qualem ejusmodi acida egregiè emendant, & cicurare valent. An verò vel ob ſaccharum ſaturni M. S. communicatum, an ob ſimplicem humorum retropulſionem plùs nocere poſſit? dijudicent Doctiores.

ACETUM PROPHYLACTICUM SYLVII.

Vide,

AQUA PROPHYLACTICA.

ACETUM RUTÆ COMPOSITUM.

℞. Summit. Rutæ, Manipul. iij.
Caſtor. opt.
Aſæ fœtid. ana drachm. ij.
M. Infundantur per dies aliquot in aceti vini libris ij. & inſolentur.

Inſervire poteſt ad odorandum pro fœminis hyſtericis, pro Apoplecticis, convulſis & ſyncopticis.

ACETUM SQUILLITICUM.

℞. Squill. mar. in umbra paululum ſiccatæ, libram j.
Aceti vini boni, libras viij.
Infunde per aliquot dies, digere, ſ. a. & decantatum ſerva uſui.

ANIMADVERSIO.

I. *An meliùs ſcribatur* Acetum ſcilliticum *vel* ſcillinum, *ùt habet Plinius, vel* ſquilliticum, *ùt uſus obtinuit, relinquamus Grammaticis. Certum eſt: eſſe remedium antiquiſſimum & famoſiſſimum, quia* Squilla *ipſa nobis videtur Medicamentum efficaciſſimum, ùt mox audiemus. Quoad compoſitionem Aceti hujus, multa olim diſputatio fuit: An accipienda ſit* Squilla præparata, *an* cruda? *Conferatur Zwelffer. & Lucas Schrœckius. Diſpenſatorium Brandenburgenſ. ſuadet, ut accipiantur laminæ inter externum corticem, & inter medullam internam mediæ (prout & Charas vult) purgentur, in taleolos ſectæ, & ad marceſcentiam ſiccatæ. Alii planè volunt, cultrô ligneô cepas has eſſe diſſecan-*

das, dubiô procul, nè ſuccus earum acris deſtruatur, vel alteretur, aut obtundatur à cultri ferro.

Sed quæ de Squillæ præparatione *habeamus, dicemus infrà, ubi de* Squilla præparata. *Ad* Acetum ſquilliticum *ſufficiet accipere Squillam, ab externis laminis impurioribus, vilioribus, & minùs efficacioribus mundatam, diſſectam, & in umbra, non in clibano ſiccatam, cùm utique* Acetum, *ipſius* Squillæ *videatur* Correctorium.

II. *Squillam eſſe remedium, valdè energeticum in pluribus affectibus, admittunt nobiſcum plures; & ùt fatetur* Schulzius, *ex antiquiſſimis remediis eſt, ac in ſcholis Pythagoræorum æquè ac Galenicorum frequentiſſimum; ac licèt Recentiorum omnium Diſpenſatoria laudes olim huic Aceto adſcriptas omittant (quantumvis & eaſdem non tam Aceto, quàm potiùs Squillæ nos ipſi attribuamus) non poſſumus tamen Commentationes & Commendationes Antiquorum propter egregios effectus* Squillæ *hìc reticere, ſed liceat eoſdem ex antiquis Diſpenſatoriis fuſiùs huc tranſcribere, prout ſunt in Pharmacop. Auguſt. Antiqua. Num verò Galenus ſit Author libri de Euporiſtis, ſive incertus alius? ſufficit, quòd antiquitùs de eo, ſcripta, tradita, credita ſint ſequentia, ità autem in libr. cit. lib. 3. Cap. 205. Acetum ſquilliticum tanquam Medicinæ quaſi univerſalis, & longævitatis, optimum præſidium decantatur ab Authore.*

III. Acetum Scillin. *quô omnes Imperatores uſi ſunt, ab ipſius Auctore fertur, quicunque hoc utuntur, longæ vitæ fore, & ejus extrema integra, uſque ad finem permanſura; & ipſe quidem* Samius ſenex *hujusmodi extitit; quantum enim temporis vixerit, haud ignoras; de ipſo in libro traditum eſt, quòd cum ſuis Conſanguineis hanc facultatem communicavit; cúmque hoc Medicamentô uti incepit, 50. annum nactus erat, & uſque ad 117. vitam produxit integer, & nulla unquam adverſa valetudine tentatus; hæc ſanè medicamenti Author diſſeruit, quòd fortaſſe Vir Philoſophus erat, mentiri neſcius. Nos verò Viri hujus fidei periculum fecimus, ac firmam conſtantémque hujus Medicamenti facultatem eſſe teſtamur. Oportet igitur ſumere: Scillam montanam, (an marinam) libram j. ponderis, & dura circumcidere, & mollia minutatim concidere, & Aceti acerrimi ſextar. viij. in vitreum vas mittere atque obturare, ac per 30. dies in caniculæ caloribus, ut maceretur, permittere, dein ſcillam extractam exprimere; id genus Aceti parum manè ſorbeto; Tibi autem hæc evenient, ut nè faucium oríſque partes unquam remolleſcant, os ventriculi bene valebit, facilè ſpiritum duces, vox rectè habebit, oculi acutiſſimè cernent, aures in officio manebunt, nullúsque flatuoſus vapor in ventre unquam excitabitur, nullum viſcus ſuſpenſum erit, & bene ſpirans, bene coloratus deges. Ad civilia negotia rectè affectus, non acidum, non ſalſum ructabis, ſi aliquid Aceti hujus aſſumpſeris: & jejunus ut accipias, præcipio, ſeptémque poſtea ſtadios deambules, ità enim diſſolvetur. Hoc Aceto, qui utitur, in vi-*

tu quamvis licentiosus esto: omnia enim cibaria conficiet; & à nullo unquam offensam patietur: neque valde implebitur, sed in melius proficere videbitur. Nihil supervacui in corpore residebit, non flatus, non bilis, non stercus, non urina, sed omnia facilè excernit atque educit. Alvus lubrica omninò est, totiúsque corporis purgatorium medicamentum, etiamsi in ossibus sordes inhæresçant. Item: *Phthisicos (mendosos) ab omnibus deploratos, hoc Medicamento sanitati restitutos novimus. Morbo Comitiali diuturno efficaciter profuit, ut, nisi post longa temporis intervalla, non redierit: incipientem verò ac novum perfectè discutit, neque reverti amplius hunc affectum permittit. Ad Podagras præterea, & articulorum morbos, jecoris lienisque duritiem vehementer facit; & particulares quidem* Aceti Scillini *effectus hi sunt. Communes autem quàm plurimi: quibus nos commoti, salutare hoc medicamentum, sanitatis integritatisque causâ, tibi tradimus.* Galenus. *Plura vide apud* Dioscoridem & Mathiolum, *qui summis laudibus extollunt Facultates* Aceti Squillitici.

Nos, ùt diximus, Squillæ ingentes attribuimus vires in phlegmatibus crudis resolvendis ac concoquendis, imò & lympha spissa concocta glutinosa attenuanda & corrigenda, si cum aceto, tanquam acido, in saponis medii naturam, transactum fuerit. Conferatur passim H. Boerhav. in Praxi de glutinoso spontaneo ex febribus, ac aliunde oborto, ubi saponacea & mellita, ac præcipuè oxym. squill. *potenter recommendat, & acetum his in passibus æquè ac Squilla ipsa operatura est, nam incidit & resolvit potenter Squilla, alcalescentem glutinositatem corrigit, impedit & curat acetum, ac inde, ùt dictum, tam acetum hìc, quàm Squilla conducere videtur.* Plinius *jam scripsit Lib. 23. quòd Squilla sic tarditatem aurium gargarisatione purget, & transitum auditûs aperiat. Confirmat id* Schulzius, *& quòd in oppletione pectoris, tussi & respiratione difficili, ac asthmate humido, specificè conveniat, fatentur plures. Operatur Squilla, ùt Nicotiana & nauseosa æquè est ac irritativa, unde etiam sæpiùs vomitum ciere solet, & anxietates causare, sed in Dosi vis reposita videtur, aut in virium potentiorum refractione, & moderatione.*

Acetum Squilliticum *semper ingratum est sumptu, ob amaritiem cum aciditate junctam, unde nec in affectibus pectoris per se nobis adeò conducibile videtur, quapropter aut aquis convenientibus diluendum, aut quod melius, sub formula oxymell. squillit. quod jam in officinis extat, præscribendum; licèt & acetum hoc c. gumm. Ammoniaco solutum à Clinicis utilissimè adhiberi soleat ad infarctus pulmonum & affectiones asthmaticas humidas, ex quo etiam* Mixt. Antiasthmat. Meibom. *passim celebris est inter Practicos. Quidquid sit: tam* Acetum Squillit. *quàm* Oxymel Squill. *ac* Pulveres *ex* Squilla compos. *ùt infrà audiemus, egregii sunt effectûs in medicina.* Plura vide, ubi de *Oxymelle & Squilla præparata.*

An Acetum hoc *noceat gingivis exulceratis? vix assequimur, cùm Scorbutus oris ad exulcerationem talem deveniens, congruentissimè acidis talibus, sed fortè correctis, ac mitigatis, ùt est in ipso oxymelle, pertractari posse nobis videatur: Dentibus verò erosis nocivum esse, facilè patescit. Vide Pharmac. Persic. ubi ad gingivas consolidandas & halitûs suaveolentiam conciliandam, laudatur.*

ACETUM THERIACALE Pharm. Aug. Ren. *Nobis* BEZOARDICUM *dictum.*

℞. Rad. Chelidon. maj. unc. unam semis.
Angel.
Osturtii,
Gentianæ,
Bistortæ,
Valerianæ,
Pimpinellæ,
Dictamni albi,
Carlinæ,
Zedoar. ana drach. unam.
Plantag. maj. drach. unam semis.
Fol. Scordii,
Cardui Benedicti,
Dictamni Cretici, ana pugillos duos.
Cort. & Semin. Citri, ana drach. unam semis.
Granor. Juniperi, drach. duas.
Nucleorum nucum jugland. unc. duas.
Santali Citrini, drach. semis.

Infundantur omnia in aceti rutacei libris quatuor. Atque sic in vitro bene clauso infusa, digerantur, & demum decantentur, usui servanda.

ANIMADVERSIO.

Ejusmodi Aceta plurima plurimorum Authorum passim descripta extant; nobis sufficit hoc unicum. Acetum omne tam ex-quàm in-ternè ad præclaros usus jam semper adhibitum legimus à Majoribus nostris, vide inferiùs, ubi de Aqua Prophylactica Sylvii. *Recentiores*, ùt loquitur Schulzius, *sperabant majora, se in morbis contagiosis malignis reportaturos esse, si viribus vegetabilium Alexipharmacorum illud imbuerent, hominibúsque tam præservandi quàm curandi scopo ad 1. ac 2. cochlearia exhiberent: fuerunt tamen, qui ejusmodi infusiones ex Herb. & Rad. calidioribus non ità approbârunt, nam licèt illa de qualitate ingredientium omnino participare videantur, vim tamen naturalem Aceti eadem potiùs infringunt, ac ejusmodi calidiora ac resinosa sæpè, in ejusmodi morbis magìs nociva, quàm proficua à multis judicantur, adeò ut Aceta simplicia hisce medicatis compositis præferenda videantur.*

ACIDUM TARTARI,
Vide
CREMOR.

ADIPUM PRÆPARATIO.
Vide
AXUNGIAS.

ÆGAGROPILÆ.

Sunt globi, plerumque oblon-

longi, rariùs rotundi, magnitudine varii, vix unquam tamen pugnum manûs excedentes, in primo vel ſecundo ventriculo rupicaprarum ſeu Damarum reperti, & à venatoribus anxiè quæſiti, & pro theſauris aſſervati.

ANIMADVERSIO.

Deceptiones variæ his Pilis fieri conſueverunt, quia variè adulterari aſſolent. Veriores adhuc æſtimari poſſunt, quæ à venatoribus locorum obtinentur, licèt & hìc diſcretione multâ adhuc opus ſit. Ejusmodi adulterationes dignoſcere, non nisì peritioribus conceſſum eſt, ſequentia tamen inſervient in ſigna bona.

I. *Globi hi cuticulâ extùs ſunt obducti, quaſi membrana aliqua cincti, nigricante.*

II. *Recenter exempti, ponderoſi ſunt, ſucco quodam turgidi, exſiccati verò leviores in pondere; ſuccum, quem continent, venatorum aliqui mox è repertis exprimunt, Authorum verò plurimi id ipſum reprobant, quia in ſucco iſto, virtus ipſa medica ſimul conſiſtere judicatur. Nam*

III. *Contenta ipſa interna non videntur alia, quàm fibræ ac filamenta radicum & plantarum canaliculi, quibus animalia hæc veſcuntur, inter quæ potiſſimùm computantur Rad. Doronici, Victorialis, &c. à quibus proinde etiam pilarum harum efficaciam æſtimandam eſſe volunt; & ſuccus ipſe pilarum dictarum, horum vegetabilium virtute imprægnatus, ſimul inſervit pro glutine, quo contenta firmiùs inter ſe compinguntur. Globi ergò, qui purè pilos continent, ac nimiùm leves, minùs genuini, minúsque efficaces reputandi videntur; ponderoſiores & vegetabilium filamentis referti, meliores, ac fortè vim ſpecificam horum vegetabilium uſque retinentes. Glomer verò talis, purè piloſus, quid poſſidere poteſt efficaciæ medicamentoſæ? lambunt ſuas pelles proprias, & ad invicem, ac cum vel ſub lambitione tali pilos deglutiunt, qui in talem globum coagmentantur, à quo, ſi vis vegetabilium ingeſtorum abeſt, nîl ſpeciale ſperari unquam poteſt.*

IV. *Ad ſuperſtitionem verò, & vix non ad impietatem uſque harum pilarum vires extollere aſſolent, earum patroni; de quibus propterea nullam hìc facere volumus mentionem, ejusmodi vanitates, credulitates & abuſus deteſtantes. In effectu medico: laudant pilarum harum uſum contra vertiginem, capitis debilitates, pro memoria confortanda, &c. Et qui plura voluerit, adeat* Wellſchium, *in Tract. de* Ægagropilis. *De* Leebenwald *in* Damagraphia; Harderum *in Diſſ. de* Rupicaprarum interraneis & ægagropilis *ad* Volckammerum; Scheuchzerum, & Bœclerum *in Cynoſur. mat. Med. Continuat. 2da pag. m. 508. &c.*

V. *Cùm Græcii in Styriâ proſtet in publicum vendibilis,* Eſſentia *quædam* Ægagropilarum Cephalica *dicta, apud* D. Martin. Maximil. Prugmayer *Med. Doct. & Phyſicum ac Nat. Curioſ. Academ. qui etiam uſum & virtutes ejus per ſchedam ty-*

pis editam, publicari fecit; Nos ejus, prout accepimus, ab Amico fido, damus curioſioribus deſcriptionem:

ESSENTIA ÆGAGROPILARUM CEPHALICA.

℞. Ligni Aloës,
Saſſafraſ.
Santal. Citrin. ana unciam ſemis.
Rad. Doron. ver. unc. unam.
Myrrh.
Thur.
Maſtich.
Ladan.
Storac. cal.
Bacc. laur. ana unc. ſemis.
Cinnamom.
Carryophill. arom.
Cubebar.
Macer.
Nuc. moſchat. ana drachmam unam ſemis.
Ægagropil. drachmas duas.
Balſ. Indic. drach. ſemis.
Cerebri humani, unciam unam ſemis.

M. Inciſis & contuſis affunde.
Spiritûs Liliorum convall. uncias ſex.
Cerebr. human. uncias octo.
Vini rectific. uncias novem, vel q. ſ.

Digere per aliquot dies in calore, dein deſtilla, hoc repete ter, & habebis Eſſentiam, quam pro libitu ambrâ, moſchô, aliísque ſimilibus nobilitare potes, ac tingere cum Extracto vel infuſione Rad. Alkannæ, &c.

De viribus conſuli poteſt ſcheda impreſſa, & experientia.

ÆRUGO,
Seu,
Æs viride, ejúsque Cryſtalli,
Vide Æris Flores.

ÆRIS FLORES OFFICINALES.

℞. Virid. æris q. ſ. diſſolve in aceto deſtillato, dein filtretur, ac cryſtalliſetur L. A.

ANIMADVERSIO.

I. Æris *nomen hodiedum quidem ſimplici* Cupro *attribui etiam aſſolet, licèt ſtrictiùs ſumendo, denotare videatur cuprum, cui alia metalla immixta ſunt, unde* Æs caldarium, orichalcum, &c. *Sic legimus Hippocrati, aliísque antiquis Medicis in uſu fuiſſe* Flores Æris, *quos ità paratos fuiſſe ſcribunt: quando clara aqua, liquato* æri caldario *affunditur, ferreáque lamina canalibus, quos tanſit, inſternitur, à fumo, parva, rubelláque ac ſplendida accreſcunt granula,* Flores Æris, *tunc dicta; ex quo apparet* Flores *hos* Æris *fuiſſe coloris rubelli & ſplendentis. Conferatur* Dioſcorides *Lib. V. Cap. XLVII. XLVIII. & L. Hodiedum Flores cupri ſimplicis, pro* Floribus Æris *habentur, eósque dicunt vel eſſe* naturales, *vel* artificiales. *Sunt, qui exiſtimant,* Flores Æris naturales, *dici poſſe, illos Hippocratis, de quibus mox diximus; ſed evidenter pateſcit: eos eſſe* artificiales, *quia in furnis fuſoriis poſt excoctionem* æris, *dum*

dum affusâ aquâ refrigerantur placentæ, resultant arte producti; fortè Ærugo *in mineris generata, ùt mox audiemus, suô modô* Flores Æris, *seu* Cupri *dici possent* naturales.

II. Ærugo *autem, seu* Viride Æris, Viride Cupri, *quod vulgò* Grünspan *appellant, coloris est viridis aut cœrulescentis; Ejus ortus est omninò ex* cupro, *sed de præparatione passim adhuc disconveniunt Authores. Potissimùm ad nos advehitur ex Gallia, & præsertim ex loco & confiniis Montis Pessulani, partim in forma pulveris crassioris, partim etiam in frustis & placentis majoribus;* Zwelfferus & Tackenius *graves, de ejus producendi & præparandi methodo, habuerunt tricas, quæ videri possunt in* Apolog. Zwelff. *contra* Tackenium *p.m. 203. Putant aliqui, illud parari è cupri laminis & vinaceis, quibus illæ imponuntur, stratum super stratum faciendo. Alii per Acetum, Spiritum urinæ, aut per insperssionem Salis, Nitri, Vitrioli.* Pomet *adseverat illud parari per affusionem optimi vini Languedocensis, unde rubiginem aut æruginem contrahet. Quidquid fuerit: hoc cuivis obvium ac notissimum est: si cupro sal comm. Acetum, imò acidum quodcunque, ac vix non aqua simplex communis aspergitur, erumpit intrà breve tempus color cœruleo-viridis, seu* Flores Cupri, *aut* si mavis Rubigo, *seu verius,* Ærugo Cupri *dicenda. Differre hìc modum manipulandi, quatenus ista præ alia & facilior, brevior, aut magis lucrosa existet, facilè concedetur; interea redit tamen res tota eò, ut cupri per acida plùs minùs fiat arrosio ac alteratio, in æruginem transiens, ut de ferro ferruginem prodire novimus.*

Jámque facilè patet: dari posse & Æruginem naturalem & artificialem. *Quandoquidem enim in criptis & mineris subterraneis acidum facilè est obvium, quod cuprum arrodere potest, & in rubiginem cogere, ac ità* Æruginem naturalem *suppeditare.* Alterum *illud* Cupri viride, *quod per acida conficitur artificialiter, bene appellabitur* Ærugo artificialis, *utriusque differentia magna an subsit? facilè patescit cuivis.*

III. *Sed quid sunt ergò* Flores Æris, *aut* Cupri? *rubigo aut ærugo post insperssa acida ad cuprum, omninò ibidem è Cupro efflorescens, suô modô Flos quidem dici posset; sed aliàs passim* Flores Chemici *dicuntur illi, qui sublimatione parantur, dum ope ignis purior pars in altum elevata, seorsim à terrestreitate & fœculentiis segregata ac depurata colligitur. Tali modo* Dispensatorium Brandenburgicum *parare docet.*

FLORES ÆRIS per SUBLIMATIONEM.

℞. Limat. Veneris subtilissimæ part. unam.

Salis Armoniac. partes duas. Exactè mixta & per octiduum ad minimum digesta, quo sal Veneri intimiùs jungatur, ignis gradu convenienti sublima, idque sublimatum residuo, è cucurbita aut retorta exempto, redditum, & exactè mixtum, digerendo ac rur-

rursùs ſublimando, bis tèrve itera; ſic ſal Armoniac. particulas cupri ſubtiliſſimas ſecum evehit, aquâ calidâ ſolvendo ac per emporeticam colando, à ſale Armoniac. liberandas & ſiccandas pro Floribus Æris.

Hodiedum *Flores Æris*, quos vulgò, den deſtillirten Grünſpan appellant, ità parare ſolent officinæ:

FLORES ÆRIS OFFICINALES.

℞. Viridis æris, quantum placet. Solve in aceto deſtillato, committe digeſtioni, per emporeticam filtra; liquor filtratus, exhalatione prægreſſa, in cryſtallos cogatur, quæ ſi non ſatis puræ & pellucidæ prima vice prodeant, novæ ſolutioni & cryſtalliſationi, ùt antea, committendæ ſunt.

USUS.

Medicamenta ex Venere parata, rara & ſuſpecta ſunt ad uſum internum, licèt Lap. Buttlerianus ex primo ente Veneris *juxta* Helmontium *parabilis, mirùm extollatur; proùt etiam* Robertus Boyle *de* Ente ſuo Veneris *ex Vitriolo multa dilaudat in Utilit. Philoſ. Experiment* P. II. *Sect.* V. *Cap.* VI. Gallis, *parata ex Venere, inſervire dicuntur ad proiectionem ſalivationis ſinè mercurio, ſed ejusmodi ſalivationes particulares ſunt, & ſpecies apophlegmatiſmi, nec tamen ſinè circumſpectione multa in uſum trahendæ. De cætero horum remediorum Cupreorum uſus potiſſimus eſt tantùm externus, ad ulcera impura mundanda, aut carnem ſylveſtrem tollendam, aut dum per vim ſepticam & adſtrictoriam ſimul, ejusmodi affectibus ſubvenire intendimus. In officinarum noſtrarum præparationibus ingreditur viride æris* Unguentum Ægyptiacum, *& ſic dictum* Apoſtolorum, *nec non* Emplaſtrum Divinum. *De reliquis ex ærugine paratis, ùt eſt Spiritus æruginis, Aqua viridis* Hartmanni, *vel Japhyrica* Schrœderi, *hac vice non vacat plura ſuperaddere. Squamma æris etiam inuſitata eſt.* Sit igitur adhuc

ÆS USTUM.

℞. Laminas cupreas, cum ſulphure ſtratificentur & comburantur, donec in crocum vel pulverem fatiſcant.

ANIMADVERSIO.

I. *Veteres Cupri laminas, cum æqualibus ſulphuris & ſalis commun. partibus ſtratificabant, ac igne ſufficiente calcinabant in vaſe clauſo, junctisque lutatis, relictô ſolùm ſpiraculô;* Auguſtani *alterutrum, vel Sal vel ſulphur addere & calcinare, ac dein per ablutionem edulcorare, docent.* Zwelfferus *hanc edulcorationem rejicit. Sed ſive cum ſulphure & ſale ſolo, ſive cum utroque junctim, ſive cum, ſive ſinè edulcoratione paretur* Æs uſtum, *quodlibet pro diverſitate intentionis & applicandi ratione, ſuo tempore inſervire poterit uſui. Hoc unicum pro notitia inſerviet: ſi paratur cum ſale aut nitro, rubeſcit, ſi cum ſulphure, nigreſcit.*

II. *Quemadmodùm crocus martis*

tis extemporaneus obtinetur, si frusto ferri oblongo, probè candescenti, subitò frustulum sulphuris admovetur; ità etiam si tali frusto cupri pariter valde candenti, frustulum sulphuris applices, liquescit mox in guttas ac in vas aquâ frigidâ repletum depluet crocus Veneris ustus.

III. *Simplicissimus est Processus: si Laminæ cupri in furno reverberii vel figulino tam diu urantur, ut in pulverem aut crocum abeant; habetur ubique semper æs ustum, hoc magis stringentis, aliud magis rodentis, & virtutis simul septicæ existet.*

ÆTHIOPS MINERALIS.

℞. Mercurii vivi, optimi, & optimè depurati, uncias quatuor.

Flor. sulphuris, uncias tres.

M. in mortario vitreo, exactiùs & diutiùs terendo, donec mercurius, floribus sulphuris mixtus fit intimiùs, ac planè non tantùm dispareat, sed tota mixtura etiam pleniùs nigrescat.

ANIMADVERSIO.

I. *Variant Authores circa Dosim ingredientium & Præparationem. Alii medicamentum hoc solâ trituratione diuturna aut longiori parari volunt sinè igne; Alii per ignem aut sub aliquali calcinatione per combustionem seu sulphuris deflagrationem illud faciliùs, celeriùs, compendioſiùs & non inefficaciùs parari posse prætendunt; dum nempe sulphur in leniorem fluxum sub igne moderato deducunt, ac sic mercurium, sulphuri mixtum, celeriùs & exactiùs remisceri asserunt, massam totam in catino terreo vel sartagine ferrea aliqualiter comburendo seu deflagrando, sub qua fortè præparatione nonnihil Mercurii avolat, unde pro hac methodo juxta communem præscriptionem meliùs accipiuntur ingredientium partes anaticæ.*

Si sola trituratione medicamen elaboretur, sufficiet Dosis sulphuris à nobis præscripta; Dispensatorium Parisiense *planè habet mercurii part. unam, sulphuris partes duas.* Sed Clarissimus Schulzius *de parte anatica, nimiam sulphuris quantitatem jam taxavit.* G. Harris, *Author & Fautor hujus medicamenti primarius, habet tamen utriusque partes anaticas.*

II. *Qualis mercurius assumendus sit, evidens est: illum esse meliorem, qui ex Cinnabari nativa cum additione limat. martis vel calce viva vel methodô quacunque aliâ bonâ, revivificatus ac rectificatus fuit. Alii laudant, qui ex præparatione seu destillatione butyri antimonii obtentus fuit. Hoc saltèm suademus: si accipiatur Mercurius commun. ùt vulgò vendibilis prostat, sit bene lotus, sale & acetô depuratus, aut quod melius est, destillatione purificatus.*

III. Gallis *hoc remedii genus in usu multo est, in gonorrhæa, ac ejusmodi affectibus aliis, in arthritide, ulceribus inveteratis, &c. Hoc nobis etiam certum videtur, medicamentum istud minùs habere periculi vel discriminis ac passim reformidari assolet.*

IV. *Decantatur ad vermes enecandos & expellendos. Conferatur* G. Harris *de morbis infantum acutis p. m. 136. nec non* Schroerus in Unterricht von Kinder-Kranckheiten. *Aliàs laudatur ad Gonorrhœam, Scabiem fœdam, imò & contrà obſtructiones & indurationes glandularum colli, maxillarum, parotidúmque tumorem inveteratum, ac in fiſtula propè aurem ſananda. Alii planè ad febrem quartanam commendant, ad menſium & oculorum vitia. Qui plura & pleniora vult, videat* Clariſſ. Schulzii *Relationem in Actis Phyſ. Med. Academ. Nat. Curioſ. de Anno 1730. Vol.* I. *Obſer.* 222. *aut ejusdem Diſſ. de* Æthiope minerali *1725.* Altorffii *habitam reſp.* J. F. Schrom. *Doſis eſt à gran. quinque ad ſcrupul. ſemis apud infantes; apud adultiores à ſcrupul. ſemis ad ſcrupul. unum, & ultrà, ſinè ſalivationis metu, præſertim ſi poſt 3. vel 4. dies ſemper laxativum etiam exhibeatur.*

In ſpeciminibus Commerc. literar. commendatur, ut cum pulv. milleped. mixtus propinetur, quod nos etiam approbamus.

Quibus verò in forma pilulari præplacet, miſceri poteſt cum balſ. Copaiv. vel Roob. Junip. aut in Pharm. Bateana *jam extant* Pilulæ Æthiopicæ *ſatis bonæ.*

V. Æthiopem Antimonialem *alii plùs recommendant, & conficitur ſic: dum Mercurii pars una cum 2bus partibus Antimonii crudi remiſcetur, ac reliquus labor eſt, ùt ſuperiùs fuit expoſitum. Hujus remedii mentio fit in Diſſ.* F. Hoffmanni *Reſp.* D. Sontagio *de* Metaſtaſi.

AGARICUS TROCHISCATUS.

℞. Agarici electi albiſſimi, uncias quatuor.
Vini generoſi, in quo Zingiberis drachma una infuſa fuerit, q. ſ. M. & in mortario lapideo contunde ac formentur inde trochiſci.

ANIMADVERSIO, & USUS.

I. Agaricus *fungus eſt arboris, Laricis, intùs coloris albi, & extrà pelliculâ obductus fuſco-gryſeâ, pondere levis, ſaporis ſubdulcis, in fine amariuſculi; optimus eſt, qui texturæ eſt tenuioris ac conſiſtentiæ friabilis. Raſuram Agarici appellant ſegmenta, ſecunda vice deciſa, quam paſſim pro trochiſcatione adhibere ſolent Pharmacopæi, aſt præſtat potiùs Agaricum electum aſſumere.*

II. *Non ſatis paſſim diſtinguunt Authores inter* Agaricum trochiſcatum, & Trochiſcos *de* Agarico, *cùm ille ſit Agaricus ſuô modô ſimpliciter correctus, hi verò potiùs compoſitum, unde etiam dicuntur:* Trochiſci *de* Agarico, *utì ejusmodi compoſiti Trochiſci plures in Pharmocopoliis extant.*

III. *Trochiſcatur autem* Agaricus, *vel ut corrigatur vis ejus purgans; ſed revera non habet vim draſticam, nam infra drachmam unam aut ſeſqui alteram exhibitus parùm operatur; imò ob ſegnitiem, alvum movendi, in Trochiſcis de* Agarico, *additum videtur ſal gemmæ. Fortè igitur, ut meliùs ac diutiùs conſerve-*

vetur Agarici *virtus, in trochiſcos formatur? aſt nec illud videtur genuina Trochiſcationis ratio, nam plerumque præſcribi ſolet*: Agaricus *recens* trochiſcatus, *totum ergò motivum Trochiſcationis judicamus ex eo ortum traxiſſe, quòd* Agaricus *per ſe non facilè redigatur in pulverem; dein, quòd propter levitatem non facilè aliis medicamentis miſceatur, imò & in ſtomacho reliquis humoribus ſuperinnatet, unde etiam in Trochiſcis de* Agarico *alia ſuperaddita ſunt.*

IV. *Sub ipſa Trochiſcatione obſervandum, omnia cautè & celeriter debere peragi, aliàs facillimè nigreſcunt Trochiſci, & ſub tempore hyemali feliciùs quoque albedo hæc obtinetur, quàm ſi ſub ſole aut calore alio Trochiſci hi præparentur.*

V. *Uſus deſcribitur fuſiùs à* Bellonio *in Tract. peculiari de* Agarico. *Pituitam craſſam, inerte bile permixtam, reſolvit, ac viſcerum obſtructiones tollere creditur, potiſſimùm in morbis articularibus ab Authoribus laudatur, ac in nodulis & vinis medicatis plerumque ingrediens eſſe ſolet. Plura vide, ubi de Trochiſcis de* Agarico.

ALIPTA MOSCATA, *vide*: TROCHISCOS.

ALOE DEPURATA, INSUCCATA, FRAGRATA, ROSATA, VIOLATA.

Sunt variæ Aloës Præparationes aut Correctiones.

ANIMADVERSIO.

I. Aloë *ſuccus eſt vegetabilis hodiedum in Germania paſſim noti, quod, licèt apud nos in florem quandoque abire obſervetur, in eam tamen maturationem ſub climate noſtro non devenire ſolet, ut ſuccus dictus abinde colligi poſſit.*

II. *Duplicem ſubſtantiam in hoc* Aloë *detexerunt curioſiores naturæ indagatores, unam reſinoſam, alteram gummoſam; illam reperêrunt virtutis irritativæ & accenſivæ, hanc verò balſamicæ & mitioris indolis, ac in hac potiſſimùm radicari virtutem laxantem volunt Peritiores. Portio reſinoſa non ſolvitur in aqua, ſed ſpiritu vini extrahitur, quæ hæmorrhoides æquè ac colicas Affectiones ſæpè cauſat; portio gummoſa menſtruo etiam aqueo obedire ſolet, inde in uſu hodierno eſt.*

ALOE LOTA *ſeu* DEPURATA.

Dum menſtruô aqueô Aloë *ſolvitur, pars reſinoſa, in aqua non ſolubilis, ſegregatur, ac ad fundum ſecedit, ſolutio verò portionis gummoſæ ad conſiſtentiam debitam iterum inſpiſſatur, ac uſui aſſervatur; & qui cautiùs hìc progredi volunt, aquâ acidulatâ ſolutionem peragi jubent, aut, quod potiùs approbamus, in fine ſuccum citri vel nonnihil aceti infundunt, quô ipsô portionem gummoſam puriorem & ſimpliciorem obtineri dicunt. In his ſaltèm duobus potiſſima correctio* Aloës *adeò in præparatione* Pilularum Beccherianarum

rum *à* Stahlio *laudata*, *consistere videtur.*

III. *Veteres huc etiam fortè respexerunt, dum varias, quas insuccatas dicere possumus, docuerunt* Aloës *Præparationes, ùt sunt:*

Aloë Fragrata,
Rosata,
Violata, &c.

Sub insuccatione largiori, fortè pars resinosa secedit, quod tamen Pharmacopœi nondum observarûnt, sed simplici remixtione contenti, Aloën *totam, succis his imprægnatam, ac sic tantisper correctam, usibus asservant; Practici olim jam agnoverunt, in* Aloë *ipsa aliquid æquè noxii ac nauseosi, quod ejusmodi succorum immixtione corrigere voluerunt, ac hepati imprimis* Aloën *esse offensam existimârunt, unde succos non tantùm florum quatuor Cordialium, sed & aliarum Herbarum & Fructuum, utì fragorum, &c.* Aloë *commiscuerunt, & hoc saltèm emolumento, quòd particulæ succorum horum gummosorum & saponaceorum interpositæ partibus resinosis,* Aloës *fecerint disjunctionem, & aliqualem correctionem; optimum videtur, ut, qui volunt portionem tantùm gummosam, præscribant, Extr.* Aloës *aquosum, de quo infrà suô locô.*

IV. *Optima* Aloës *reputatur sic dicta hepatica, juxta* Hermannum *in Cynos. Mater. Med. &* Boerhav. *in Histor. Plantar. quam vulgò* Leber-Aloë *appellant, partim quia colorem hepatis habet, partim quia hæc præ aliis hepati minùs nociva, & magis amica dicitur. Alii succotrinam præferunt & ipse* Boerhavius *hanc duplô cariorem æstimat, quam & nos ideò cum aliis præferimus, sed de his aliisque, circa* Aloën *movendis, consulantur Authores alii, & conferantur, quæ inferiùs dicentur de Extracto* Aloës *ac de Pilulis Franco-Furtensibus.*

ALUMEN CRUDUM, TINCTUM MYNS.

℞. Aluminis crudi, uncias duas.
Magister. Sanguinis Draconis, unciam semis.
Solve in Aqua Card. Bened. q. s. filtra & coagula, ùt est artis, *id est: per exhalationem ad siccitatem inspissa.*

ANIMADVERSIO.

I. Alumen *quid sit, aliunde hauriri potest. Hoc unicum hìc loci annotamus Curiosioribus:* Alumen *rochæ verum, differre saltèm aliqualiter ab* Alumine *vulgari, quod ex aquis excoquitur, nam experientia nobis constat: Pyrophori Hombergiani confectionem, quam* Gohlius *in Actis* Berolinensibus *Vol.* I. *Dec.* I. *descripsit, non succedere, si non accipiatur nativum verum; num verò in aliis etiam differentia sit? Doctioribus & Curiosioribus relinquimus.*

II. *Arcana varia ex* Alumine *parâri consueverunt: Usus antifebrilis, & contra alvi fluxus notissimus est, sed non æquè tutus; qui cautiùs mercari volunt, nucem moschatam, & camphor.* Alumini *addunt, sed infausto etiam, ùt novimus, effectu. Idcirco* Alumen

men *tinctum* Mynſichti *etiam non videtur nobis Arcanum adeò tutum & ſalubre ; licèt & Pharmacopœia Bateana uſum confirmet febrifugum.*

III. *Familia* Erbeniorum, *quorum unus Archiater extitit Regis Poloniæ, ùt videri poteſt in Ephem. Nat. Curioſ. pro Arcano habet, Pil. ex* Alumine *liquefacto in tales globulos redacto, quas in motibus & convulſionibus hyſtericis efficaciſſimas nobis nuper apud nos defunctus manifeſtavit. Sed effectum viderint Clinici, an res votô & promiſsô correſpondeat tutò & ſalubriter.*

ALUMEN SACCHARINUM, *ſeu* DULCE.

℞. Aluminis crudi libram ſemis.

Solvatur tribus vicibus in aqua pluviali, filtretur & l. a. coaguletur.

ANIMADVERSIO.

Viennenſes *hanc habent Præparationem, & Authores alii cum aqua roſarum ſolutionem peragunt, & cum albumine ad conſiſtentiam debitam coquunt, & in maſſulas pyramidales, conis non abſimiles efformant, vulgò dicitur* Zucker-Alaun.

Uſus eſt apud ſexum ſequiorem ſolùm coſmeticus, ac cùm hic odorem roſarum non facilè ferat, aqua alia aſſumi poteſt. Viennenſes *citant illud pro ingredienti Arcani* Aluminis *ſui, ùt vocant, quod ex* Aluminis dulcis *unciis duabus, & ſalis fuſi unciis ſex parant, ac in morbis pectoris, ex mineralium halitu ortis, laudant. Effectus* à Clinicis *petendus.*

ALUMEN USTUM.

℞. Aluminis q. v. ponatur in novum fictile, & tam diu uratur, donec totum Alumen Spiritibus expulſis, poroſum & quaſi ſpumoſum evaſerit.

ANIMADVERSIO.

I. *Quantitas non debet aſſumi unâ vice nimia, nec vas nimiùm reple-ri, quia intumeſcere, & ultrà oras ollæ elevari ſolet* Alumen *ſub calcinatione hac.*

II. *Leni igne ſi fuſio inſtituitur, ac cauto igne urgeatur, tunc ſpongioſiùs evadit & pellucidiùs.*

III. *A ſpiritu exhalante acido cavere oportet Præparatorem, quoniam oculis præſertim nocivus eſt fumus ; qui autem ſpiritum hunc* Aluminis *acidum ſeorſim deſiderat, impoſitô alembicô ollæ, eundem facilè colligere poterit.*

IV. *Uſuale eſt remedium Chyrurgis ad exedendam carnem luxuriantem & ad Affectus alios ulceroſos.*

ANIMA RHABARBARI, *Vide :* SANGUIS *vel* TINCTURA RHABARBARI.

ANTIHECTICUM POTERII ET ALBISSIMUM.

℞. Reguli Antimonii martialis ſtellati, partem unam.
Jovis anglici, partes duas.

Regulô liquefactô injice Jovem, & probè invicem fluant, ità ut fiat *Regulus Antimonii Jovialis.* Hunc comminue in pulverem, & commisce cum tripla portione nitri optimi bene siccati, ac in crucibulo ignito detona, ad instar Antimonii diaphoretici calcina lento igne, dein paululum aucto, ut omnia bene candescant, non tamen fluant, aquâ tepidâ elixivia Nitrum & edulcoratam remanentiam ritè siccatam, usui asserva.

ANIMADVERSIO ET USUS.

I. Petro Poterio, *Medico* Andegavensi, *suo tempore celebri, tanquam Authori, Medicamentum hoc adscribitur. Variant hodiedum Chemici circa ingredientia & eorum quantitatem. Alii Dosim stanni auctam, alii eam iminutam suadent. Imò & Martem alii omittunt, alii servant. Conferatur* Ettmüller. Wedel. Junckenius, *aliáque* Dispensatoria. *Nobis Authorem sequi placuit, ùt videri potest in Tract.* Manes Poteriani, *nec non in* Lection. seu Notis Friderici Hoffmanni ad Poterium.

II. *Pulvis* Antihectici hujus, *juxta Compositionem & Præparationem variat in colore, & fortè in virtute.* Dispensatorium Argentoratense *colorem dilutè cineritium ei assignat.* Brandenburgicum *eum candidissimum obtineri dicit.* Wedelius *& alii in communi, volunt colorem cœruleum, plùs minùs talem, quem tamen ob vim vomitoriam, à stanno remanentem, rejicit* Ettmüllerus. *Res tota dependet à compositione & calcinatione. Ex additione Jovis, sinè Marte, cœrulescens acquiritur; si tamen longiori ac fortiori igne uratur, stannum, aut ejus sulphur, ùt ajunt, absumitur, & Pulvis obtinetur albus satìs.*

Si verò Regulus Antimonii Martialis *assumptus fuerit, non cœruleus, nec quidem albidus erit Pulvis remanens, prout videri potest in* Specim. Commercii Literar. Norimberg. Anni I. 1731. Hebdom. XLV. p. m. 355. *Sed ruffescet seu lutescet ob Martis commixtionem, quemadmodùm mox de* Antimonio Diaphoretico *dicemus, quòd ex solo eo, si spatulâ ferreâ diutiùs agitetur sub calcinatione, aut eadem longiori tempore in crucibulo relinquatur, abin flavescat; Qui ergò* cœruleum *volunt* Antihecticum, *Martem debent omittere.*

An autem ob particulas stanni remanentis, ùt Ettmüllerus vult, *vis vomitoria illi insit, vix assequimur, dum stanni potiùs vires videntur adstrictoriæ.*

III. *Sub ejusmodi Præparationibus semper cavendum est, nè carbo in crucibulum incidat, vel spatulâ ligneâ massa diutiùs agitetur, aliàs hæc spatula adusta, in carbonem abiens, vel redactionem in calcem impedit, aut Præcipitationem seu reductionem in Regulum efficit.*

Alii quidem præcipiunt: totam massam igne tam potenti esse urgendam, ut undique in fluorem deveniat; Nos id non suademus; quia vel vitrescit, vel Regulum deponit; Sufficit:

ficit : ſi igne tali calcinetur , ut nitrum particulas regulinas & metallicas undique bene penetret , ac diſſolvat ; quæ enim intactæ permanſerint , naturam & virtutem retinent priſtinam metallico-regulinam ; proùt etiam idcircò ſub ablutione & edulcoratione partes ſubtiliores , quæ aquæ diluenti innatant , à craſſioribus , quæ ad fundum ſecedunt, cautè & probè, decantandæ , & ſeparandæ ſunt.

IV. Antihecticum cœruleum, *ſinè Marte præparatum , alio & congruentiſſimo nomine etiam vocatur ,* Antimonium Diaphoreticum Joviale ; *quemadmodùm , ſi ſinè ſtanno præparatio fit , ex ſolo Marte & Antimonio, etiam obtinetur :* Antimon. Diaphoret. Martiale *ſeu* Cachecticum Ludovici, *niſi quòd circa Doſim ingredientium aliquid differentiæ hìc moveri fortè poſſit , de quo conſulantur Authores ipſi. Hoc etiam jam inſinuatum eſt : illud fore cœruleſcentis , hoc verò coloris luteſcentis.*

V. Antihecticum *apud nos in uſu eſt , quod* albiſſimum *appellatur, & ſub hoc nomine præſcribi aſſolet. Poteſt quidem ſat albidus pulvis ex compoſitione ſuperiùs ſcripta, obtineri , ſi fortiori & longiori calcinatione metalla commixta comburantur. Veriùs tamen loquendo :* Antihecticum noſtrum albiſſimum , *ità acquiritur :* Lixivium , *quod ab edulcoratione* Antihectici *remanet , ope liquoris acidi , præcipitandum eſt, & cadit ad fundum , pulvis tenuiſſimus & albiſſimus , qui aliàs ſub nomine* Magiſterii *venire conſuevit, & hoc ipſum eſt , quod in officinis noſtris ſub nomine* Antihectici albiſſimi *proſtat.*

VI. *Uſum* Antihectici Poteriani *nomen quidem deſignat , aſt eâdem cenſurâ perſtringitur à nonnullis , uti* Tinct. Antiphthyſica Garmanni. *Non deſunt tamen , qui etiam adhuc hodiedum illud egregium exiſtimant medicamentum contra* affectus hecticos , phthyſicos , tabidos, &c. *Aſt jam olim* Binningerus *ad* Wepferum *monuit* , Joviale *illud* Diaphoreticum *non ſemper eſſe tutum , in ſummè tabidis, proùt etiam* Junckerus *cum* Stahlio *hunc Pulverem non tantùm appellat* calcem metallicam adſtrictoriam , *verùm etiam poſterior* in Conſpect. Med. Theor. Pract. Tab. LXIX. *in cautelis adhuc ſuperaddit* : hanc calcem *nullatenus abſorbere poſſe acidum ullibi , quia, ùt in terminis habet , ex ea vix draſtica quidquam ſolvunt , nedum ut in corpore humano opere pretium faciat , &c.*

Dein : ſi tota conſtitutio hujus præparati conſideretur , vis illius onigena conſiſtit in particulis regulinis & metallicis , & hæ vel irritando , vel adſtringendo agunt ; utrumque in Affectibus Hecticalibus , Phthyſicis , &c. *periculoſum. Ob vim irritantem , omnia antimoniata laudantur in febribus malignis , &c. ob vim adſtringentem, has calces metallicas* Antihectici noſtri , *laudat* Nicol. Lemery *contra ſeminis, ventris & ſanguinis fluxum , ſed an propterea* Hecticis & Tabidis *uſus illius proficuus eſſe poteſt ? Sed hæc ſpectant ad Practicos. Conferantur etiam , quæ deſuper habet* J. Chriſto-

phorus Gœtzius *in* Obſerv. Medico-Practicis Stahlianis *de febribus* Claſſ. I. pag. m. 162. *aliáque* Stahliana.

Doſis eſſe ſolet à granis quatuor, ad ſeptem, alii planè à ſcrupulo ſemis, ad ſcrupulos duos, lentè & ſucceſſivè aſcendere jubent. An per vomitum, ſeceſſum, ſudorem vel per urinam operari directè poſſit, ex præmiſſis conſtare poteſt.

ANTIMONII BUTYRUM, *vide*: BUTYRUM.

ANTIMONIUM DIAPHORETICUM OFFICINALE.

℞. Antimonii Ungarici optimi, libram unam.
Nitri puriſſimi & optimè ſiccati, libras tres.

Seorſim pulveriſa, & mixta bene, in crucibulum vel ollam bene ignitam ſucceſſivè injice, copiâ ſemper paucâ, donec injecta portio deflagrata fuerit, ac ſub ignitione bona nitrum omnem partem antimonii bene penetraverit; perge cum injectione, donec tota materia ſic detonata fuerit, dein relinque aliquo tempore ſub hac calcinatione, quouſque obſervetur maſſa ſatis albida, tunc eam in aquam tepidam projice, ac ſic ſufficienter dilutam ab omni nitro probè edulcora, pulverem aquis innatantem, ab eo, qui mox ad fundum ſecedit, ſeorſim per ſubſidentiam collige, & priorem exſiccatum uſui aſſerva; colore album, guſtu inſipidum, & pondere minùs gravem.

ANIMADVERSIO ET USUS.

I. *Quid ſit* Antimonium? *non opus eſt dicere, hanc in rem conſuli poſſunt Authores alii.* Baſilius Valentini *jam hujus Medicamenti meminit, & dicit ſe illud in una die ad grana quindecim quinquies dediſſe; de cætero* (*ſi* Antimonium *ejus, Noſtrum vulgare eſt*) *ob eximias ejus prærogativas currui triumphali illud planè impoſitum, dilaudatum, & exornatum dedit. Aſt non tantùm* Stahlius, *verùm etiam* Boerhavius in Element. Chemiæ ſuæ Tom. 2. Proceſſu CCXVIII. Antimonium Diaphoreticum noſtrum, *non ità comprobant.* Stahlius *dudum illud nuncupavit:* calcem metallicam inutilem; Boerhavius: inertem & noxiam *appellat.*

II. *Aliàs paſſim ab Authoribus* Antimoniati hujus *vires dicuntur* diaphoreticæ, *unde & nomen obtinuit; ad abſorbendum acidum calx eſt inutilis, quia, ùt ſuperiùs de* Antihectico *audivimus, nec aqua regia eam aggreditur. Num tamen, careat omni actuoſô & virtute* diaphoreticâ, *ex eo dubitari poſſet, quòd particulæ regulinæ metallicæ, vi irritativa præditæ nobis videantur, ac inde efficacia fortè* diaphoretica. *Certiſſimis exemplis Pulveris ſic dicti; Cornachini etiam conſtat vires purgantium abinde augeri, ac inde revera ſtimulandi vim ei ineſſe.*

III. *Lau-*

III. *Laudatur ob hanc* diaphoreticam virtutem *in febribus malignis, omnibúsque morbis iis, ubi ſudorem propellere licet. Vis alexipharmaca laudatur* à Volckamero, in Eph. Nat. Curioſ. Dec. 2. An. II. Obſ. 190. *& recommendatur ſpecificè contra noxas à mercurio illatas.* A Wedelio *tanquam antipleuriticum ac carminativum in dictis* Ephem. *recenſetur; ab aliis ad alia laudatur.*

IV. *Sub ejus Præparatione cavendum, nè carbo incidat, vel nè ſpatulâ ligneâ diutiùs agitetur, cæteroquin, ubi ea in carbonem aduſta fuerit, ex maſſa præcipitat regulum, prout ipſum* Antimonium Diaphoreticum *cum carbonum additione in Regulum facilî negotiô reduci poteſt. Si ſpatulâ ferreâ circumagitur maſſa calcinata, eadem non debet diu in illa relinqui, aliàs ſulphur Martis ex ea extrahitur, &* Antimonium Diaphoreticum *non obtinebitur albi, ſed flavi aut flaveſcentis coloris.*

V. *Cavendum pariter: nè flores* Antimonii, *quæ ſub calcinatione ad latera crucibuli elevantur, ſub effuſione* Antimonio Diaphoretico *immiſceantur, aliàs vomitum excitabit;* Clariſſimus Schulzius *monet etiam Nitrum adhibendum eſſe à ſale communi probè purgatum, aliàs itidem vomitum ciet* Antimonium Diaphoreticum *ex eo, quòd pars regulina non bene ſoluta, nec à nitro undique penetrata, virtutem ſtimulantem nimiam retineat; ob hanc rationem etiam improbamus modum eum, quo maſſa illa pro* Antimonio Diaphoretico *parata, injecto carbone candente, ſimul & ſemel tota accenditur & detonatur; nam ſub hac operatione nitrum non undique quasvis regulinas particulas penetrare, nec diſſolvere ſatis valet. Idcircò ſuperiùs commendavimus, ut detonatio fiat per injectiones ſucceſſivas, nec priùs novus pulvis maſſæ injiciatur, donec prior bene deflagraverit ac undique canduerit probè.*

VI. *Sub ipſa edulcoratione partes illæ regulinæ non ſatis ſolutæ, tanquam ponderoſiores etiam celeriùs ad fundum ſecedunt, unde etiam aqua illa lacteſcens, in qua* Antimonii diaphoretici *portio tenerior & ſubtilior ſoluta eſt, ſub agitatione totius, celeriùs decantanda eſt ab eo craſſiori, quod ad fundum ſeceſſit, quod eſt plerumque pars regulina non ſatis ſoluta, aliæque portiones terreæ, craſſiores, abjiciendæ.*

VII. *Paſſim præſcribi ſolet* Antimon. Diaphoret. ritè & recenter præparat. *Qui recenter paratum volunt, exiſtimant, illud annoſitate ac tractu temporis virulentiam ac vim emeticam iterum contrahere; ſed unde? quomodo? qualiter? ſi à priori ſemel bene & genuinè præparatum fuerat. Conferatur etiam* Clariſſ. Ludov. in Pharmacia ſua p. 260. *ubi pariter hanc vim emeticam per annoſitatem cauſari negat. Ritè præparari ſemper eſt neceſsè, & cautelas jam dedimus. Si igne fortiori tractetur, ut fluat, vitri magis naturam induit, aut regulus ad fundum ſecedit, quapropter miramur à nonnullis juberi, tantam calcinationem, ut maſſa inſtar aquæ fluat, quòd nos improbamus.*

VIII. *Datur etiam* Antimonium Diaphoreticum Martiale, *ubi*

limatura ferri & Antimonii crudi partes anaticæ accipiuntur, & calcinatio fit, ùt suprà, nisì quod paululùm fortior & cautior labor institui debeat, vocatúrque aliàs Specificum cachecticum, *seu* Martiatum Ludovici, *de quo vide* Eph. Nat. Curios. Dec. I. An. VIII. Obs. LXV. *Alii etiam pro* Specifico stomachico Poterii *eundem pulverem habent, de quo alibi. Hic Pulvis easdem habet vires, quas* Antimonium Diaphoreticum, *nisì quod propter Martem commendetur magìs ad roborandum stomachum & partes relaxatas stringendas. Dosis & usus est, ùt* Antimonii Diaphoretici simplicis.

IX. *Pulvis* Antimonii simplicis, *aquâ bene elutriatus, & à sale liberatus, ab aliis vocatur* Antimonium Diaphoreticum dulce, *ubi illud, cui nitrum conjunctum manet, seu quod* sinè lotione *appellant,* Stibium Diaphoreticum nitratum *nuncupatur. Virtus utriusque an diversa est? conferantur, quæ suprà Num.* I. & II. *jam dicta sunt, an sit calx iners noxia.* Boerhavius *hanc in rem concludit* Proces. CCXVII. Elem. Chem. Part. II. pag. 516. *plus mali à calce ablutâ, asseritque* Antimonium nitratum hoc, *respectu* Nitri fixantis adhærescentis, *moderatè aperire, binc in acutis quid boni præstare posse. An ideo privandum sit nitro, ut vi emetica liberetur, negat idem* Author Doctissimus; *assecurans: non facere anxietates, nauseas, vomitus, sed benignam stimulationem, & fortè relaxationem, inde commendatur ad ventriculi detersionem, & jecinoris deobstructionem; hoc certum videtur:* Antimonium Diaphoreticum, *sive jungatur sudoriferis, sive purgantibus, sive emeticis, semper eorum vim adaugere ex eo, quia ubique stimulum superaddit, ùt suprà dictum, particulas regulinas irritationem efficere.*

X. *Dosis est à granis quinque, ad scrupulum semis & scrupulum unum, imò ultrà, si sinè alio stimulo exhibeatur, sæpè tamen salibus vel aliis irritantibus junctum, enormes facit excretionum promotiones. Vomitum, si excitat vel diarrhœam, id à materia in ventriculo contenta, vel à conjunctis salibus, aliisque maritatis, stimulum adaugentibus, ortum habet.*

XI. *Ex lixivio paratur per præcipitationem:* Magisterium Antimonii Diaphoretici, *ùt suprà diximus, de* Antihectico albissimo. *Sunt, qui* Materiam perlatam Crugneri, *hunc pulverem existimant, alii* Antihecticum albissimum, *suprà descriptum illam volunt, quidquid fuerit, utrimque magna est inter ambo Affinitas. Variat tamen* Magisterium hoc *ex diversitate* Lixivii Antimoniati, Jovialis, Martiati, &c. *Plus quoque acquiritur, si* Antimonium Diaphoreticum *solvatur in aqua calida, & aliquamdiu coquatur; longè minùs, si solutio fiat aquâ frigidâ.*

XII. *Si lixivium hoc inspissetur ad cuticulam vel ad siccitatem, obtinetur sal, quod appellant,* Nitrum antimoniatum, *seu* Anodynum minerale, *de quo suô locô.*

ANTI-

ANTIMONIUM DIAPHORETICUM EX REGULO,

Seu

CERUSSA ANTIMONII.

Paratur eôdem modô, ac Antimonium Diaphoreticum, sed ex Regulo, cúmque albissimus obtineatur pulvis, dicitur *Cerussa.*

ANIMADVERSIO.

I. *Quantùm differat ab* Antimonio diaphoretico, *patescit ex eo, quòd partes regulinas plures habeat, ac inde vis potentioris quoque stimulationis ei inesse debet. Alia, quæ moneri possent, facilè ex Capite præcedenti eruuntur.*

Reliqua ex Antimonio parata.

Cinnabaris Flores Hepar Regulus Sulphur Vitrum,	Antimonii,	*Videantur* suis locis & literis.

AQUÆ Compositæ & cum vino destillatæ.

ANIMADVERSIO.

I. *Etsi nonnullæ* Aquæ, *impropriè sic dictæ, cum spiritu vini destillentur, ùt sunt:* Aqua Anhalt. Aqua Reginæ Hungar. &c. *comprehenduntur tamen eæ sub hac classe, veriùs* Spiritus *nuncupandæ.*

II. *Alterum, quod hìc prænotare juvabit, est illud: multa sæpiùs in ejusmodi Compositionibus reperiri, quorum virtus certè in destillatione rostrum non superascendit, adeóque omninò omitti, aut descriptiones immutari posse. Sed dum Viri gravissimi jam olim hisce super correctionibus invanum laborârunt, nos etiam impares videmur, erroribus hisce emendandis.*

III. *Hoc unicum præcipimus Pharmacopœis, quod Berolinenses jam dudum monuerunt, ut pro ejusmodi destillationibus accipiatur semper verus & purus spiritus, non verò talis, qui ab Extractionibus aliarum rerum abstractus fuit, nam peregrinis imbutus particulis, immutat virtutem Medicamenti posterioris.*

IV. *In Destillatione* Aquarum compositarum *suademus, ut species non sint nimìs comminutæ, vel subtiliùs tritæ, sed crassiusculè incisæ vel con-*

contuſæ, nè ſibi invicem compreſſiùs cohærentes, paſtam in fundo vaſis efficiant, ut facilior fiat earum extractio, & felicior deſtillatio.

V. *Regula generalis eſt*: Aquas *has omnes, deſtillandas potiùs eſſe ex cucurbita vitrea, quàm ullo alio vaſe, ignéque potiùs moderato, quàm nimiùm auctо. Num verò ex balneo arenæ, Mariæ, vel vaporis id fieri debeat, teneritudo ingredientium & ſubtilitas partium ſpirituoſarum id ipſum facilè indicant.*

AQUA ACOVISTICA.

℞. Radic. Leviſtici,
Valerianæ, ana unciam ſemis.
Herb. Rorismarini,
Flor. Lavendulæ, ana manipulum unum.
Baccar. Lauri,
Caſtorei,
Camphoræ, ana drachmas duas.
Spiritus Juniperi, libram unam.

Stent invicem mixta, donec Spiritus probè ſit eſſentiâ imprægratus; tunc

℞. Salis armoniaci, unciam ſemis.
Urinæ volatilis, drachmas duas.
Olei juniperi, drachmam ſemis.

Probè invicem tritis affunde Spiritum Eſſentiâ ſuprà dictarum ſpecierum imprægratum; ac ſic ſtent ad uſum, ſinè deſtillatione.

ANIMADVERSIO AC USUS.

I. Aqua acoviſtica, *ſeu ùt alii volunt*, acuſtica, *eſt talis, quæ ad auditum difficilem valet. Multæ talium deſcriptiones extant; famoſior eſt illa Mindereri, in qua tamen plura taxantur, ùt videri poteſt apud* Zwelfferum & Luc. Schrœckium ad Pharmacopœam Auguſtanam; *nobis præplacet hæc, quam* Daniel Ludovici *habet in* ſua Pharmacia *moderno ſæculo applicanda, & ex eo* Medici Argentinenſes, *niſi quòd* Radix Valeriana *illis ſit omiſſa. Nos vel ideò hanc approbamus, partim quia pauciorib⁹ & ſelectioribus, partim etiam, quia inter ſe convenientioribus ac etiam ad affectum & effectum congruis nobis conſtare, ac verè ſal, ſeu ſpiritus quidam volatilis oleoſus exiſtere, videtur.*

II. *Uſus eſt ad varias auditûs læſiones, ſurditatem, tinnitum, ſtrepitum, ſibilum, &c. ſi ex induratione ceruminis, vel ex alia obſtructione meatûs auditorii, aut tympani relaxatione ortum habet. Inſtillatur auri gutta una vel altera, aut goſſypium hocce ſpiritu imbutum, auri intruſum, geſtatur.*

AQUA ANGELICA
Vide,
INFUSA.

AQUA ANHALTINA SCHROEDERI.

℞. Terebinthinæ electæ, libram ſemis.
Thuris maſculi, unciam unam.

Ligni

Ligni Aloës, drachmas tres.
Granorum maſtichis,
Caryophillorum aromaticor.
Nucis moſchatæ,
Cubebarum,
Cinnamomi, ana drachmas ſex,
Croci orientalis integri, drachmas duas ſemis.
Seminis fœniculi,
Baccarum lauri, ana unciam ſemis.

Pulveriſata infundantur in ſpiritûs vini libris quinque, digerantur per ſex dies, dein deſtillentur ex Balneo Mariæ, & quod clarum eſt, ſeparetur à turbido, & ſeorſim ſervetur.

ANIMADVERSIO ET USUS.

I. Aqua hæc *aliàs etiam dicitur* Spiritus Anhaltinus; Norimbergenſes *omiſerunt* Crocum, *& addiderunt* Flores Anthos, *ac* Radicem Galangæ; Ligni Aloës *etiam tantùm drachmas tres habent, quos nos, contra* Deſcriptionem Schrœderianam, *in hoc ſecuti ſumus.*

II. *Hoc lignum* Aloës *alii habent mox ab initio compoſitioni admiſcendum*; Norimbergenſes *illud in fine addunt* Spiritui abdeſtillato; *quod colorem* Aquæ hujus *immutat, licèt odorem ſic meliùs exaltet.*

III. *Præſcribitur* Aqua hæc *vel* completa, *id eſt: cum* Moſchi *granis quindecim*; *vel* incompleta, *quæ ſinè* Moſcho *eſt, & hæc poſterior magìs in uſu eſt, cum* Sexus fœmineus *hodiedum* moſchata *non facilè ferat*; Moſchus *aliàs addi ſolet ante deſtillationem in petia ligatus, & alembici roſtro impoſitus; ſed ex tempore ſemper nodulus talis injici poteſt, ac ſufficiens fiet Extractio.*

IV. Ludovici *quidem exiſtimat* Aquam hanc *multò compendioſiori methodô parari poſſe, dum* Aquæ apoplecticæ, *aut* Serpilli compoſitæ, *oleum* Succini, Juniperi, Terebinthinæ, &c. *inſtillatum* huic Spiritui *æquipollere putat: Interea illam, uſu confirmatam, ſervare placet.*

V. *Ob ſaporem* terebinthinaceum *ingrati paululum eſt ſaporis, ac virtutis, ùt loqui amant, calidioris, ac propterea conducit potiſſimùm ſubjectis & morbis ſic dictis frigidioribus, ac ubi ſanguis in motum concitatiorem, excretionésque ſtimulari debent.*

VI. De cætero: *Medicamentum eſt uſui interno & externo accommodum; Poſſidet vires ſatìs inſignes in ſtomacho roborando, appetitu excitando, flatulentiis, colica, à cauſa frigida, nec non in ciendis menſibus. Valet itidem*: *in* Apoplexia, Paralyſi, Catarrhis, Vertigine, *à ſimilibus cauſis ſuborta. Doſis ad cochl. ſemis, vel ad unciam ſemis cum aqua vel vino. Externè in* Syncope & debilitatibus, *pro refocillatione.* Item *in* Paralyſi, tremore artuum *aliisque morbis à tono relaxato ortis utilem præſtat opem.*

AQUA ANODYNA PRAGENSIS.

℞. Salis alcali, uncias quatuor.

Salis armoniaci, libram ſemis.
Lixivii ſapon. ſeu parati ex cinerib. & calce viva,
Spiritûs vini rectificati, ana libras quatuor.
Florum lavendulæ, manipulos quatuor.
M. f. l. a. deſtillatio.

ANIMADVERSIO ET USUS.

I. Pragenſibus hæc aqua *vindicatur, unde ad alios tranſiit. Deſtillatio fieri debet per cucurbitam & alembicum vitreum, quia aliàs aggreditur vaſa, ex quibus deſtillatio inſtituitur, ac ex cupro penes cœruleſcit.*

II. *Vires ſunt tonicæ, & roborantes; conducit in omnibus affectibus* paralyticis, *& à reſolutione ortis. Vis* Anodyna *ei ob virtutem diſcutientem adſcripta videtur, ac poſt perpeſſos* Arthritidis *ac* Podagræ *dolores, remanentémque abinde tumorem potiùs adhibenda, quàm in* Paroxiſmi *exacerbatione; præſervativè tamen in* Rheumatibus *à partium debilitate ortis, ac ad initium dolorum, ſi per alia repellere licet, adhuc aliquando locum habere poteſt.*

AQUA APOPLECTICA LANGII CORRECTA.

Pharm. Auguſt. Renov.

℞. Florum primulæ veris,
Rorismarini,
Herbæ majoranæ,
Ivæ artheticæ, ana manipul. unum.
Radicum Calami aromatici,
Radicum Ireos,
Ariſtolochiæ rotundæ, ana unciam unam ſemis.
Semin. Sileris montani,
Pœoniæ,
Fœniculi, ana drachmam unam.
Cubebarum,
Nucis moſchatæ,
Caryophillorum, ana drachmas tres.
Cinnamomi,
Ligni Aloës, ana drach. duas.
Piperis longi,
Sagapeni,
Opopanacis,
Myrrhæ,
Gummi Juniperi, ana drachmam unam ſemis.
Aquæ Herbæ Paralyſeos,
Salviæ,
Betonicæ, ana libram unam.
Florum tiliæ, libram unam ſemis.

Stent omnia mixta in infuſione per dies octo, poſtea leni arenæ calore deſtillentur.

ANIMADVERSIO ET USUS.

I. Langius, *quinque Electorum Palatinorum* Archiater, *hujus deſcriptionis Author extitit, eámque deſcriptam dedit in* Epiſt. Med. lib. 3. p. 783. *Suo jam tempore Authoris deſcriptionem taxavit* Zwelfferus, *qui videri potéſt. Indè permoti* Auguſtani *omiſerunt complura, ùt ſpecies diamoſchu, & alia hujus farinæ, ac admo-*

admodùm bene; nec tantùm, quia nec ſexui fœmineo, nec quibuslibet temperamentis odor moſchi conducens eſt; verùm potiùs, quia ſpecies, nunc omiſſæ, deſtillationi minùs aptæ judicabantur, locô quarum, aromatum doſis aucta fuit.

II. Aqua hæc *cùm non ſpirituoſa ſit, licèt aromatibus imbuta, tutò adhibetur in complexionibus & congeſtionibus ſanguineis, ac indè in doſi non facilè peccatur.*

III. *Vires, quas* Auguſtana *recenſet, habet Author ità in terminis locô citatô:* Eſt mirabilis juvamenti in præſervatione ab Apoplexia, & omnibus ægritudinibus nervorum frigidis, curans Paralyſin, Torturam, Spaſmum, & mirabiliter reſtituens loquelam.

IV. *Qui breviorem deſcriptionem* Aquarum apoplecticarum *amant, videant* Diſpenſatorium Argentinenſe, & Aquam apoplecticam pauperum Berolinenſium. De omnibus Aquis apoplecticis *notandum, quô ſpirituoſiora ſunt, eò minùs in Apoplexia ſanguinea conveniunt. Uſus tamen externus pro refocillatione, in deliquiis, debilitatibus, ſyncope, tutior, liberior ac ſalubrior eſſe poteſt.*

AQUA ARTHRITICA AUGUSTANORUM.

℞. Florum Chamæmeli,
Foliorum Pulegii,
Lavendulæ,
Majoranæ, ana unciam unam.
Foliorum Rorismarini, uncias tres,
Salviæ,
Chamæpytios, ana uncias duas.
Myrrhæ optimæ, uncias duas.
Caryophyllorum,
Cinnamomi, ana drachmas duas.
Radic. Pœoniæ, unciam ſemis.
Pyrethri,
Cyperi rotundi,
Ireos illyricæ, ana drachmam unam ſemis.
Cardamomi minoris,
Cubebarum, ana drachmam unam.
Nucis moſchatæ, unciam ſemis.

Infundantur in libris quatuor ſpiritûs vini rectificati, ſtentque in infuſione, vaſe probè clauſo, per dies quatuordecim, poſtea deſtillentur in Balneo Mariæ.

ANIMADVERSIO ET USUS.

I. *Nonnulli myrrham omittendam putant; aliàs plerique, imò & ipſe* Zwelfferus *hanc deſcriptionem, approbant; circa ipſum pondus Spiritûs vini, diſconveniunt etiam aliqui, interea* peritiores Pharmacopœi *facilè diſtinguunt, quantum ſatis eſt illius aſſumere, aut potiùs vis in eo repoſita eſt, quantùm oporteat abdeſtillare.*

II. *Vires & uſum ità deſcribit Auguſtana:* Tremulis, Paralyticis, ac Pareſin è colica paſſis auxilio eſt; frigidis articulorum

morbis opitulatur, nervos roborat, & juncturis virium jacturam refarcit, si fæpiùs præmissa frictione, per inunctionem aut cum linteaminibus calidis applicetur. *In* ipso *autem* Arthritidis Paroxismo graviori, *meliùs ab ea abstinendum, nè vel retropulsio, vel stagnatio ac inflammatio succedat, ùt dictum de* Aqua anodyna Pragensi.

AQ. ASTHMATICA Pharm. August. Renovat.

℞. Radicum Enulæ, uncias duas.
Ireos florentinæ, unciam unam semis.
Herbæ Hyssopi,
Pulmonariæ,
Salviæ hortensis, ana manipulum unum.
Seminis anisi,
fœniculi,
Cinnamomi acuti, ana unciam semis.
Cardamomi, drachmas duas.
Croci, scrupulos duos.
Spiritûs vini, libram unam.
Aquæ Scabiosæ,
Tussilaginis,
Veronicæ, ana libram semis.

Digerantur per triduum, postea destillentur in Balneo Mariæ.

ANIMADVERSIO ET USUS.

Olim à Zwelffer. & Hoffmanno, *aliisque* Aqua Asthmatica, *tunc usualis, bene correcta fuit, ac hæc, quæ hodie in usu habetur, sat bona est in* affectibus pectoris, *à causa frigida, id est: in decubitu seroso humorum ad tracheam & laryngem, indè non inefficax reperitur. In senibus difficulter spirantibus, ac obviè in crassis & viscidis humoribus pectori impactis prodest, licèt in omni æstmate propterea nondum conducat. Dosis est vel cochlear unum, vel uncia semis ad unciam unam.*

AQUA AURANTIORUM CORTICUM.

℞. Corticum Aurantiorum recentium ab albedine mundatorum, libram semis.
Vini boni, libras octo.

Infunde, dirige, lege artis, & abdestilla ad medietatem; Serva usui.

ANIMADVERSIO.

I. *In communi* Aqua hæc *quidem cum aqua tantùm destillata prostat; nos tamen non inutilem judicamus hanc cum vino destillatam.* Dispensatorium Brandenburgense *cum spiritu vini aquam citri proponit, posset & illud cum* cortibus Aurantiorum *fieri, sed potiùs, ùt ipsi fatentur, est* Spiritus Citri *vel* Aurantiorum, *non aqua.*

II. *Valet ad affectus ventriculi, & intestinorum, flatulentias & colicam à causa frigida. Dosis uncia semis ad unciam unam.*

AQUA Seu BALSAMUS EMBRYONUM.

℞. Nucis Moschatæ, uncias tres semis.

Ca-

Caryophyllorum,
Cinnamomi,
Zinziberis,
Cubebarum,
Granorum Paradiſi,
Zedoariæ, ana uncias duas.
Macis, unciam unam ſemis.
Galangæ, drachmas ſex.
Croci, drachmas duas,
Florum Tunicæ,
Tiliæ, ana libram unã.
Lavendulæ,
Herbæ Salviæ,
Carvi,
Fœniculi, ana unc. tres.
Menthæ criſpæ,
Radicum Pœoniæ,
Seminis ejusdem,
Viſci quercini decreſcente lunâ collecti, ana unc. duas.
Medullæ panis triticeæ adhuc à furno calentis, libras duas.

Inciſa & contuſa infundantur in vini generoſi libris decem, in loco calido per viginti quatuor horas, dein affunde:

Aqua Borraginis,
Bugloſſæ, ana libras tres.
Florum Liliorum convallium, libras duas.
Fragorum,
Roſarum, ana libram unam ſemis.

Factâ per biduum digeſtione deſtillentur per Balneum Mariæ.

ANIMADVERSIO AC USUS.

I. *Magnam non tantùm compoſitio primæva paſſa eſt difficultatem; verùm etiam præſens adhuc experta eſt fatum ſimile.* Conferatur Zwelfferus & Pharmacopœa Auguſtana Reſtituta. *Adhucdum hodiedum tam in pondere, quàm in ipſis ingredientibus variant Authores; quidam omittunt* Crocum, & Herbam Carvi *ob vim fors magis calefactivam & pellentem; alii tamen rursùs ſuperaddunt* Herbam Roris marini, & Aquam herb. Verbenæ. *Nos per dempta & ſuperaddita non multùm deeſſe aut accreſcere* huic Aquæ *exiſtimamus. Sunt tamen, qui cum vino ſinè aquis* hanc Aquam *parant, nos id ipſum non approbamus, quoniam nimiùm ſpirituoſa fit. Hanc* Pharmacopœæ Auguſtanæ Renovatæ *deſcriptionem utpotè longiori ævo expertam ſecuti ſumus.*

II. *Uſus eſt juxta Titulum, quòd Embryonem roborare dicatur, conducit etiam matri ad præcavendum abortum, præcipuè in fœminis, quæ ſæpiùs abortum ſunt perpeſſæ, internè ad cochlear unum aut alterum. Valet etiam gravidis à terrore, aut alia ex cauſa languentibus. Item in torminibus, Lipothymiis, inflationibus ventris, debilitatibus ſtomachi, nauſea, &c. Infirmum enim fœtum, & Matrem roborat, flatus diſcutit, vires reſtaurat, quin etiam parturientes in enixu adjuvat. Cautè attamen cum ejusdem uſu intrinſeco eſt procedendum; præſertim in plethoricis & tenerioribus Subjectis, nè ſanguinem ad majorem ebullitionem diſponendo hæmorrhagiæ majores ſubſequantur, imò abortum etiam ſic, quæ nimiùm ſpirituoſa eſſet, facilè cauſare valeret. Externè potiùs in præfatis affectibus ſingularem præſtat o-*

pem, tum abdomen illiniendo, tum crustam panis tostam hac Aquâ *saturatam umbilico imponendo. De cætero convenit multùm cum* Aqua Vit. Mulierum.

AQUA BENEDICTA SERPILLI.

℞. Herbæ Serpilli cum floribus tempore matutin. ante solis ortum, lunâ decrescente collect. unc. octo.
Chamomillæ Roman. uncias duas.
Saturejæ,
Thymi, ana unciam unam.

Infundantur in vini Rhenani optimi libris octo, stent in infusione per aliquot dies; postea destillentur. In liquore destillato iterum infunde:

Herbæ Serpilli cum floribus; uncias octo.
Cassiæ ligneæ, unciam unam.
Ligni Aloës,
Macis, ana unciam semis.

Incide in particulas minimas, & post debitam digestionem denuò per alembicum in Balneo Mariæ destilla.

ANIMADVERSIO ET USUS.

Descriptionis hujus Author Mynsicht *est, quem passim omnes sequuntur; Adhibetur* hæc Aqua *in omnibus defluxionibus catarrhosis, cerebrum enim & omnia viscera confortat, ventriculum & intestina, ubi calefactione opus est, roborat, hinc appetitum conciliat, in colica flatulenta, ac ab infarctu viscerum doloribus medetur, unde & tormina & singultum compescit, vomitúmque refrœnat; urinam promovet, & calculum comminutum expellit; menses provocat, partum, secundinas, & fœtum mortuum subducit, grumosum sanguinem resolvit, Asthmaticis quoque & difficulter spirantibus auxiliatur, ac etiam affectibus spasmodico-convulsivis magnam fert opem. Dosis est ab uncia semis, ad uncias duas, pro re nata exhiberi solet.*

AQUA BETULÆ BALSAMICA.

℞. Radic. Ireos Florentinæ, uncias duas.
Dictam. Cretici, drachmas decem.
Herbæ Menthæ, uncias duas.
Seminis Lactucæ,
Ruthæ,
Agni Casti, ana drachmas sex.
Terebinth. Venet. unc. quatuor
Succi Betulæ, libras duodecim.
F. L. A. destillatio in B. M.

ANIMADVERSIO ET USUS.

I. *Convenit* hæc Aqua *ferè cum eâ, quæ à* Quercetano *contra* Gonorrhæam *describitur, nisi quòd hìc pro majore virtute balsamica & diuretica* Aqua *seu* Succus Betulæ *locò vini sumatur. Quæ sit vis medica succi* Betulæ *non opus videtur dictu*

dictu, quia desuper videri possunt: Helmont. & Acta Philos. Anglica, *ac* Dissert. inaugural. *de* Curis verno-Autumnalibus DD. Geelhausen Annô 1736. Pragæ habita, Thesi X. pag. 103. *Hoc omnes admittunt virtute diuretica & resolvente valere in affectibus calculosis curandis & præservandis.* Aqua nostra *in affectibus renum & vesicæ ulcerosis, præsertim in Gonorrhœa, Fluore albo & similibus, nec non in aliis viscerum læsionibus putridis, quæ sinè febre acuta sunt, ac in casibus, ubi sanguis grumosus in pus abiit, conducit. Dosis est pro ratione ætatis & morbi ab uncia semis ad uncias duas.*

II. *Cum eodem succo* Betulæ *solent pariter aquæ aliæ parari, ùt infrà videri potest de* Aqua Nephritica. *Imò integræ urnæ & vasa pro potu ex succo* Betulæ *fermentato obtineri possunt. Aliàs etiam sequens* Pragentibus Practicis *aliquando in usu fuerat*:

AQUA BETULÆ COMPOSITA.

℞. Radicis Enulæ campanæ.
Ononidis,
Saxifragiæ, ana unciam semis.
Flor. Genistæ,
Sambuci,
Fol. Melissæ, ana manipulum semis.
Semin. Cynosbat. unc. semis.
Nucleor. Persicorum,
Prunorum,
Cerasor. sylvestr. ana unciam unam.
Ligni Nephritici, drachm. sex.
Incisa & contusa stent aliquot diebus in digestione cum
Vini optimi libris duabus.
Succi Betulæ recentis libris novem.
Fragor. recent. mensuris tribus.
Tandem adde:
Terebinthinæ Venet. uncias duas.

F. L. A. destillatio. Dosis duo, aut tria cochlearia, plùs minùs.

Valet in affectibus renum, & contra Calculum specialiter inservire creditur.

AQUA CAPONIS COMPOSITA Pharm. August. Renovat.

℞. Caponem eviscceratum, atque depositâ pinguedine in frusta incisum in olla vitreata probè occlusa, decoque in sufficienti quantitate aquæ fontanæ, tam diu, donec caro ab ossibus separetur, dein ad pultis formam caponem cum ossibus contunde, cum brodio dilue, & per linteum mundum exprime; hinc

℞. Brodii per linteum colati, libras duas semis.
Aquæ Borraginis,
Buglossæ, ana libram unam semis.
Florum Rosarum,
Violarum,
Buglossæ,
Florum Bor-

Florum Borraginis, ana drachmas duas.
Cinnamomi electissimi, unciam unam.

Destillentur in cucurbita vitrea S. A.

ANIMADVERSIO ET USUS.

Aqua hæc *potiùs longioris usûs gratiâ, cùm & liquoris pectoralis* Mynsichti *compositionem ingrediatur, quàm effectûs analeptici exinde consequendi in* Pharmaceutico Apparatu *adhucdum asservatur, dum teste* Zwelffero & Cl. Ludovici *in* sua Pharmacia Aquæ hujus *ope, & aliarum similium, vix aliquantùm refocillati ægri, nullus verò restitutus legitur; nam etsi animalia, aut illorum partes intestina ad totalem exsiccationem destillentur, nihil, præter Aquam simplicem transmittere admittunt.* Lucas Schrœckius in Pharmacop. Auguſt. Restituta *allegat quidem effluvia ex carnibus coctis exhalantia, quæ alembicum etiam superascendere & tanquam confortantia spirituosa agnoscit; verùm ob vim restaurantem nutritivam consultiùs tabidos aut longioribus morbis exhaustos Caponis jusculô, aquis cordialibus permixtô, citiùs reficiendos credimus.* Mynsicht. *quidem ipse,* Viennenses *ac* antiquiss. descriptio Aquæ Caponis compositæ *habent varias herbas & radices pro ingredientibus, in nostris officinis interea hæc usualis est. Usus ejus analepticus creditur, tabidis videlicet & à longiori morbo extenuatis, vel illis, qui cibos solidiores assumere nequeunt, non tam nutriendi, qnàm confortandi gratiâ cochleatim exhiberi solet.*

AQUA CARBUNCULI.

℞. Flor. Roris marini,
Liliorum convallium,
Violarum,
Borraginis, ana unc. tres.
Lavendulæ, unc. unam.
Herbæ Majoranæ,
Salviæ,
Nucis Moschatæ,
Macis,
Zinziberis,
Caryophyllorum,
Cinnamomi,
Galangæ,
Baccarum Juniperi,
Viscì Quercini,
Semin. Pœoniæ, ana unc. sem.
Cardamomi, unciam unam.
Vini malvatici,
Aquæ Rosarum,
Fragorum,
Lavendul. ana libr. tres.

Fiat infusio per octo dies in loco tepido, postea S. A. destillatio, liquori destillato splendoris ergô aliquot folia auri immergantur.

ANIMADVERSIO ET USUS.

Quamvìs & in hac compositione multùm varient varii Authores, dum sunt, qui Flores Tunicæ, *alii* Herbas Betonicæ, Spicæ, grana Paradisi, Rasuram Cornu Cervi, & *similia superaddunt, alii locò* Aquarum cordialium *purum* Vinum

assu-

assumendum suadent. Nos hanc Pharmacopœæ Augustanæ Renovatæ *compositionem amplectimur, & cum puro vino paratam in morbis mox recensendis non adeò incongruam esse posse existimamus.*

Usus ejus quodammodo ex nomine patescit, dum in peste ad Carbunculos, Bubones, & Anthraces expellendos *ab uncia semis ad unciam unam exhiberi solet. Externè etiam ad* Epithemata cordis & Pulsuum *consuevit adhiberi; Item* Capitis doloribus *à causa frigida* subortis, membris paraliticis, & Gravidarum abdomini ad fœtum confortandum *inuncta opitulatur.*

AQUA CAROLI DUCIS.

℞. Herbæ Roris marini cum flore.
Florum Majoranæ,
Salviæ,
Lavendulæ,
Liliorum convallium,
Rosarum,
Tunicæ, ana unciam unam semis.
Cinnamomi acuti,
Macis,
Granorum Paradisi,
Cardamomi,
Caryophyllorum,
Cubebarum, ana unciam semis.

Incisa & contusa grossô modô infundantur per aliquot dies in Spiritûs vini libris decem, dein ex Balneo Mariæ fiat destillatio.

ANIMADVERSIO ET USUS.

I. Hæc Aqua *pertinet propriè inter* Spiritus, *quia cum solo* Spiritu Vini *destillatur, cui particulæ volatiles oleosæ fragrantissimæ herbarum & aromatum immiscentur*, spiritúmque hunc *reddunt tantò præstantiorem, & efficatiorem ac gratiorem, proùt idcircò nonnulli adhuc summitates Melissæ & origani superaddunt; ast stet descriptio antiquæ suæ basi.*

II. *Circa usum* hujus Aquæ *cavendum, nè in causis, ùt dicunt calidis, exhibeatur, causat etiam facilè orgasmos; in morbis tamen à frigido ortis locum omninò habet & effectum bonum, idcircò in* Apoplexia phlegmatica serosa, Cephalalgia, Clavo *à simili causa; item* Animi deliquiis, flatulentiis, colica, aliisque intestinorum affectibus *à causa frigida* productis, *utilitatem adfert.* Stomacho languenti, *vel* viscositatibus aut cruditatibus infarcto *etiam conducit. Aliàs potissimùm adhibetur refocillationis causâ in* ipsis Paroxismis syncopticis & apoplecticis *tam in - quàm externè applicata. Datur cum aquis appropriatis ad cochlear semis, unum vel duo.*

AQUA CARMINATIVA DORNCREYLII.

℞. Florum Chamomill. Romanæ, manipulos triginta sex.
Corticum Aurantiorum exteriorum, drachmas sex.
Herbæ Absynthii Pontici, manipulum semis.

Herbæ Centauri minoris,
Pulegii,
Origani, ana pugillum unum.
Seminis Anethi, uncias duas.
Aniſi,
Fœniculi, ana unciam unam.
Carvi, unciam ſemis.
Cardui Benedicti, drach. duas.
Mariæ, drachmas ſex.

Inciſa & contuſa infundantur per octiduum in aquæ Chamomillæ libris quindecim, poſtea in Balneo Mariæ deſtillentur.

ANIMADVERSIO.

I. *Alio nomine* hanc Aquam *Author nuncupat* Phyſogonam, *& licèt ternam infuſionem ſuadeat.* Pharmacopœi noſtri *unicâ contenti ſunt, nos tamen infuſionem alteram cum Floribus* Chamomillæ *faciendam approbamus. Si quis cum vino paratam deſideret, accipiat* Aquam Chamomillæ compoſitam Pharmacopœæ Bateanæ.

II. *Uſus ex Titulo patet, in* Torminibus *videlicet aut* Colica flatulenta *ab infrigidatione* exorta; *aliàs etiam in* Calculo, Nephritide; Paſſione hyſterica, *magnam fert opem ab uno cochleari ad duo exhibita, aut etiam cum aliis ad affectum appropriatis Aquis commixta.*

AQUA CINNAMOMI BUGLOSSATA.

℞. Aquæ Bugloſſæ, libras ſex.
Florum Violarum,
Roſarum, ana libras duas,
Cinnamomi acuti, libram unam.
Cortic. Radicis Bugloſſæ, uncias tres.
Florum Borraginis,
Meliſſæ, ana unciam unam.

Inciſa incidenda miſc. & poſt ſufficientem digeſtionem deſtilla in Balneo Mariæ, lege artis.

ANIMADVERSIO.

Deſcriptionis hujus Mynſichtus *Author exiſtit, ſed* ſpecies Diarrhod. Abbat. *quæ aliàs ad unciam ſemis ingrediuntur, nos omittimus; cùm plurima illis inſint, quæ* huic Aquæ *nullam largiri poſſunt virtutem. Uſus ejus cordialis eſt; hinc pro ſcopo confortandi vel ſola, vel cum aliis aquis cordialibus comixtâ cochleatim exhiberi poteſt. Virtus potiſſima conſiſtit in particulis ſpirituoſis & oleoſis, quæ in deſtillatione præcipuè à* Cinnamomo *tranſcendunt.*

AQUA CINNAMOMI CYDONIATA.

℞. Succi Cydoniorum recent. expreſſi, libras tres.
Cinnamomi electi, uncias duas ſemis.

Fiat infuſio per triduum, poſtea L. A. in B. M. deſtillentur.

Uſus

ANIMADVERSIO AC USUS.

Usus æquè ac prioris analepticus ac tonicus *est, siquidem in* stomacho roborando, in Diarrhæa, Dyssenteria, aliísque alvi profluviis sistendis, *singulares possidet vires; datur ab uno ad duo & tria cochlearia.*

AQUA CINNAMOMI CUM VINO.

℞. Cinnamomi acuti grosso modò contusi, libram semis.
Vini albi generosi, libras octo.

Post sufficientem digestionem fiat destillatio ad medietatem ex Balneo Mariæ.

ANIMADVERSIO ET USUS.

Solent aliàs etiam nonnulli Spiritum Vini *cum* vino albo *addere, ut magis* spirituosam aquam hanc *consequantur; Verùm si cum solo vino ad tertiam partem aut medietatem destilletur, sat spirituosa evadit. Ejus usus itidem* stomachalis & cordialis est. *In morbis* à causa *sic dicta* frigida *enatis conducit, calefacit enim & roborat,* flatus *discutit,* nauseam *sistit,* digestionem *promovet, ac* colicæ humorosæ & flatulentæ *medetur,* in affectibus soporosis, mensibus ciendis, & aliis uteri affectibus *auxiliatur. Cavendum tamen, nè* in morbis calidioribus *propinetur; Dosis ad unciam semis, vel unum cochlear.*

AQUA CITRI CORTICUM CUM VINO.

℞. Citri Corticum flavorum ab omni albedine mundatorum, libram semis.
Vini albi generosi, libras octo.
Digerantur una aut altera die, dein per Balneum Mariæ destillentur.

ANIMADVERSIO ET USUS.

Repeti hìc possunt, quæ superiùs de Aqua Aurantiorum *dicta sunt. Vires & usus* hujus Aquæ *in* affectibus stomachi & intestinorum *singularis est,* flatus *enim potenter discutit,* colicis doloribus, *& aliis morbis* ab infrigidatione *exortis, magnopere prodest, in* febribus *etiam* intermittentibus, *ubi* frigus calori *prædominatur, cum aliis appropriatis magnam fert opem; Dosis est ad unciam semis, seu cochlear unum, quibus libuerit, c. s. q. sacchari* hanc Aquam *etiam edulcorare possunt.*

AQUA CONFORTANS USUALIS.

℞. Aquæ Ceraforum nigrorum,
Rosarum,
Borraginis,
Buglossæ,
Florum Violarum,
Tiliæ, ana uncias sex.
Cinnamomi optim. unciam semis.
Margaritarum præparatar. scrupulos duos.
Coralliorum albor. præparat. drachmam unam.

Cornu Cervi philoſophicè præparati, ſcrupulos quatuor.
Sacchari perlati, unc. quinque.
M. detur ad vitrum pro uſu.

ANIMADVERSIO ET USUS.

Aqua hæc *ſcopo confortandi eſt deſtinata*; *mulierculæ in* omnibus infantum languoribus *eam ſponte citrà Medici præſcriptionem* (*ſub nomine* Perlen-Waſſer) *expetunt*; *nec in doſi tam facilè aberrant*, *etſi frequentiùs cochleatim propinent*. *Notandum tamen eſt*, *nè calidiori tempore* lentorem quendam *contrahat & aceſcat*, *idque evitari poteſt*, *ſi aquæ & pulveres ſeorſim ſerventur*, *ubi tempore expetito facilè commiſceri poſſunt*, *ſumendo ad Aquarum unciam unam*, *Pulverum ſcrupulos tres & grana duodecim*.

AQUA CORDIALIS FRIGIDA HERCULIS SAXONIÆ.

℞. Succi Borraginis,
Bugloſſæ,
Meliſſæ,
Acetoſæ,
Oxilapathi,
Trinitatis,
Biſtortæ,
Cyani florum,
Limonum,
Citri,
Aceti Vini, ana libram unam.
Seminis Citri,
Portulacæ,
Florum Nymphææ alb.
Violarum,
Florum Roſarum, ana unciam unam.
Terræ ſigillatæ ſtrigenſis,
Lemniæ, ana drachmas tres.
Specier. Diatrion. ſantal. drachmas duas.
Camphoræ, drachm. unam.

Infundantur ſpecies in ſuccis per triduum, tum per alembicum vitreum in Balneo Mariæ deſtillentur.

ANIMADVERSIO ET USUS.

Aqua hæc *cum* Auguſtanorum *veteri deſcriptione ejusdem eſt indolis*, *quod ex compoſitione* acidorum ſuccorum *colligitur*; *An autem in deſtillatione aliquid acidi elevari queat per alembicum? putant plerique*, *quòd non*; *ſed illud imbibitur à terreis ingredientibus*, *& in fundo ramanet*, *unde* acetum *meliùs peracta deſtillatione primò addendum nobis videtur*, *& tunc locum in* febribus malignis *habere poteſt*, *ubi aliàs plerique Authorum* hanc aquam *non ità ampliùs hodiedum recommendant*, *ſumitur cochleatim*.

AQUA CORDIALIS TEMPERATA.

℞. Cinnamomi acutiſſimi, unias tres, drachmas duas.
Corticum Citri exteriorum, unciam ſemis.
Ligni Aloës optimi, drachmas duas.
Santali citrini, unciam ſemis.

Semi-

Seminis Ocymi Caryophyllati, drachmas tres.
Galangæ,
Caryophyllorum,
Macis,
Nucis moſchatæ, ana drachmam unam ſemis.
Cardamomi, drachmas tres.
Florum Lavendulæ, drachmam unam.
Borraginis, unciam unam.
Roſarum, unciam unam ſemis.
Anthos, unc. ſemis.
Croci Auſtriaci, ſcrupul. duos.
Typharum ſucculentar. Cornu Cervi junioris, & recenter capti, uncias quatuor.

Inciſa & trita infundantur in
Vini generoſi, libris tribus.
Succi pomorum redolentium, è Rubo idæo, ana libra una.
Aquarum Borraginis,
Bugloſſæ, ana libra una ſemis.
Roſarum, libris duabus ſemis.
Ceraſor. nigrorum,
Meliſſæ, ana libra ſemis.

In vaſe vitreo probè clauſo, diebus octo, dein in Balneo Mariæ deſtillentur.

ANIMADVERSIO ET USUS.

Proùt in aliis, ità & in hac compoſitione corrigenda Zwelferus *laboravit; nihilominus adhucdum ſingulis ſatisfeciſſe non videtur, ſiquidē circa ingredientia nonnulla non ſolùm doſim immutare, verùm etiam partim alia, & præſertim* aromata & typhas *omittere, aut alia ſubſtituere variis Authoribus placuit. Nobis uſitatiorem* Pharmacopœæ Auguſtanæ Renovatæ *deſcriptionem ſervare libet. Cujus uſus receptus eſt in* ſubito virium lapſu, *ex defectu* ſpirituum animalium & vitalium, *dum* cerebrum & cor *recreare dicitur, unde in* Affectibus Apoplecticis, Epilepticis, Paralyticis, Cardiacis & Syncopticis commodiſſimè exhibetur: *Inſuper* analepticum *tale creditur, quòd ex morbis diuturnis convaleſcentes inſigniter roborare, virésque corporis univerſi reſtaurare valeat, cochleatim ſumpta.*

AQUA DE CORDE CERVI.

℞. Cordis Cervi recenter unà cum ſanguine exempti, minutim inciſi, Num. unum.
Cinnamomi acuti, unciam ſemis.
Caryophyllorum,
Cardamomi minoris,
Galangæ minoris,
Macis,
Croci Auſtriaci, ana drachmas duas.
Ligni Aloës,
Santali Citrini,
Corticum Citri,
Seminis Ocymi caryophyllati, ana drachm. unam ſemis.

Florum Lavendulæ,
Rorismarini,
Salviæ, ana drachmam unam.
Fol. Meliſſæ, manipulos duos.

Inciſa macerentur in vini generoſi libris ſex per noctem & manè ex Balneo Mariæ per alembicum deſtillentur.

ANIMADVERSIO ET USUS.

I. Mynſichti *eſt hæc deſcriptio, quamvis ab aliis per additionem quorundam ingredientium immutetur.* Fol. Meliſſæ *ad manip. duos addere approbamus. De cætero nos Authori ſubſcribentes hoc unicum annotamus;* hanc Aquam *haberi paſſim pro* Alexipharmaca *ex eo, quòd* antiqua *ſit* traditio & perſuaſio: totum cervum *eſſe* alexipharmacum, *de quo hodiedum non tantùm multi dubitant, verùm etiam vim alexipharmacam Cervi & partium ejus ſpecificam apertiùs pernegant.*

II. Vires & uſus: *Author ſequentes de ea recitat laudes:* Cor confortat, illúdque à tremore & aliis periculoſis accidentibus præſervat; tum quoque caſum virtutis & animi curat; ſpiritus enim vitales & naturales fovendo & augendo reſuſcitat, & cordi quàm citiſſimè ſubvenit, unô verbô: *Uſus ejus cordialis eſt, hinc* in tremore, palpitatione cordis, debilitatibus & aliis affectibus confortationem exigentibus *ab uno cochleari ad duo, aut tria exhiberi conſuevit.*

AQUA DIURETICA è NUCLEIS.

℞. Florum Sambuci ſiccatorum, uncias ſex.
Amygdalarum amararum, uncias quinque.
Nucleorum Perſicorum, uncias duodecim.
Ceraſorum, uncias tres.

Inciſa & groſsè contuſa macerentur in Vini Rhenani menſuris duabus ſemis, hinc in Balneo Mariæ deſtillentur.

ANIMADVERSIO ET USUS.

Schrœdero hæc Aqua *dicitur* Liquor Diureticus, *ab aliis verò* Aqua contra Calculum *nuncupatur. Notandum: à nucleis & amygdalis oleoſis, dum aquæ* quamcunque corruptionem *temporis diuturnitate contrahunt*, rancoris nonnihil *induci. Aliàs uſus & vires ex titulo ejus pateſcunt, potiùs tamen* effectus diureticus, *quàm* lythontripticus *expectandus, cùm & aqua ſat ſpirituoſa ſit; num verò calculoſis ejusmodi ſpirituoſa, & calidiora remedia conveniant, an potiùs temperantia & demulcentia? noſcunt* Practici. *Interea uti* Roſſoglio ex nucleis Perſicorum *poſt thee aſſumi ſolitum, ità &* hæc Aqua *pro ſimili effectu ac pro cienda urina & urethribus abſtergendis valere poteſt. Doſis eſt: cochlear unum, vel uncia ſemis, aut una.*

AQUA

AQUA EPILEPTICA LANGII.

℞. Florum Liliorum Convallium recentium, manipul. duodecim.
Lavendulæ, unciam unam.
Rorismarini,
Tiliæ,
Stœchadis, ana unciam ſemis.
Cinnamomi acuti, drachmas ſex.
Nucis moſchatæ, unciam ſemis.
Piperis longi,
Cubebarum, ana drachmas duas.
Viſci querni,
Radicum Pœoniæ,
Dictamni noſtratis, ana unc. ſemis.
Infundantur in vini generoſi menſura una ſemis, per octiduum, poſtea deſtillentur.

ANIMADVERSIO ET USUS.

Berolinenſibus Flores Tiliæ *ſupperaddere placuit, quos & nos imitati ſumus. In uſu ejus* Practici *obſervant, quòd teneris eam ſolam vix exhibeant, nisi cum aliis aquis minùs ſpirituoſis attemperatam, & præſertim* cum Aqua Epileptica Puerorum, *cujus deſcriptio mox ſubjicietur; aliàs in* Affectibus Epilepticis, Convulſivis, & ſoporoſis *ſingulariter vires celebrantur, tum pro ratione præſervationis, quàm etiam ratione curationis,* in paroxiſmo & viribus *paululum* recollectis *illam ſumendo, ac exteriùs applicando. Doſim ipſemet Author* Epiſt. Medicinal. Lib. III. pag. 781. *determinat; dum ſcribit:* Doſis ad præſervandum bis aut ſemel in hebdomade, & proximo die ante novilunium & plenilunium cochlear unum, & in Paroxiſmo, vel poſt eundem, tantumdem.

AQUA EPILEPTICA PUERORUM.

℞. Aquæ Ceraſ. Nigror.
Florum Tiliæ,
Pœoniæ,
Squammariæ, ana uncias octo.
Sacch perlati, uncias quatuor.
M. ſervetur uſui.

AQUA FOETIDA PRAGENSIS.

℞. Gummi Galban.
Aſæ fœtidæ, ana uncias tres.
Myrrhæ electæ,
Rad. Pœoniæ, ana unc. ſemis.
Dictamni albi, drachmas duas.
Leviſtici, unciam ſemis.
Zedoariæ, drachm. tres.
Herbæ Matricariæ,
Artemiſiæ,
Menthæ criſp. ana manipulum unum.
Ruthæ, manipul. duos.
Florum Chamomillæ,
Sambuci,
Anthos,
Liliorum Convallium,
Primulæ Veris, ana manipulum ſemis.
Seminis Pœoniæ,

Seminis Sileris montan. ana unciam ſemis.
Cinnamomi acuti, drach. tres.
Galangæ minoris, uncias tres.
Cubebarum,
Macis, ana drachmas duas.
Caſtorei Moſcovit. unc. duas.

Inciſa & contuſa groſsô modô infundantur in vini albi generoſi libris decem, Aquæ Matricariæ libris duabus, dein L.A. deſtillentur ex Balneo Mariæ.

ANIMADVERSIO ET USUS.

I. Aqua hæc Pragenſibus *debetur, unde non ſemel ejus deſcriptio ab exteris petita eſt, & per* ſocios Pharmaceuticos *ad alios delata. Eximii eſt usûs in* affectibus hyſtericis, *& quibuscunque ſimilibus; paſſim tam in-quàm externè adhibetur ad* præſervandos aut interrumpendos paroxiſmos; *conducit etiam in aliis affectibus* torminoſis, colicis, ac flatulentiis *à ſtomachi vel digeſtionis vitio ortis, ad gt. XL. imò & ad ſemicochlear propinatur.*

II. *Per* Civitatem Pragenſem *circumportatur* eadem Aqua fœtida, *quam* Virgines Moniales in monaſterio ad S. Agnetem, *ità parare dicuntur*:

AQUA FOETIDA AD S. AGNETEM.

℞. Aſæ fœtidæ, uncias tres.
Gum. Galbani, unciam unam
Caſtorei, uncias duas ſemis.
Seminis Pœon.
Herbæ Serpil.
Menthæ,
Herbæ Meliſſæ,
Matricar.
Artemiſiæ,
Salviæ,
Ruthæ,
Thymi, ana manipulos
Florum Sambuci, (duos.
Anthos,
Lavend.
Tiliæ,
Tunicæ,
Liliorum Convallium,
Paraliſeos,
Pœoniæ, ana mani-
Rad. Pœoniæ, (pulos tres.
Galangæ,
Leviſtici, ana drachmas
Macis, (ſex.
Cinnamomi,
Cubebarum,
Zedoariæ,
Myrrhæ,
Nucis moſchatæ, ana drachmas duas.
Seminis Sileris montani, unciam unam.
Vini, menſuras ſex.
Cremati, libras tres.
Aquæ Matricariæ, libras quatuor.

M. Deſt. ex Balneo Mariæ, ſervetur uſui.

AQUA FORTIS.

℞. Vitrioli calcinati, libras duas.
Nitri optimi probè exſiccati, libram unam.

Tere ſimul & miſce exactè deſtilla L.A. ex retorta, igne aperto, per gradus.

ANI-

ANIMADVERSIO ET USUS.

I. *Unde & quare dicatur* Aqua Fortis, *vix hariolari licet, nisi quoniam vim habet corrodendi, aut dissolvendi fortissima & durissima corpora, ùt est argentum, aliàque metalla.* Chymicorum plures *eam appellant* Aquam stygiam, *aliisque nominibus eam insigniunt.* Germani *illam vocant* Scheid-Wasser / *ex eo, quòd ope* hujus Aquæ *aurum ab argento separari queat, siquidem* hæc Aqua fortis *argentum solvit, aurum verò intactum relinquit. Si verò* Sal gemmæ, marinum, *aut* culinare commune, *aut quod ex eo constat,* Sal armoniacum *addatur, aurum & non argentum solvit, ùt infrà audiemus de* Aqua Regia.

II. *Aliàs* hæc Aqua fortis *solvit etiam alia metalla, quamdiu in iis* principium phlogisticum *adhuc adest, ùt* Martem, Zincum, Regulum Antimonii, Jovem, Saturnum, Bismuthum, Lapidem calaminarem, *imò &* Mercurium, *licèt* phlogisticum *in hoc, æquè ac in argento, non ità obvium sit, vel ità notoriè nondum demonstrari possit. Econtra non solvit* corpora *nimis* sulphurea, *ùt sunt* carbones, resinæ, sulphur, lardum, &c. *nec solvit, imò nec aggreditur* corpora metallica & mineralia, *ex quibus* principium phlogisticum *absumptum est, sic* Crocum Martis, sulphure suo *privatum,* calcem Antimonii, Jovis, *imò nec* Antimonium Diaphoreticum *aggreditur, unde in communi etiam desumitur argentum: has & similes calces* metallicas *non valere in medicina scopô acidum absorbendi vel temperandi. De cætero notandum est,* Spiritum Nitri, *seu* Aquam fortem *nimis* concentratam *non ità facilè solvere argentum; Dein & alterum curiosum est: solutionem argenti ex* Aqua Forti *præcipitari per* Mercurium, *hunc iterum per* Plumbum; *istud per* Cuprum, *illud per* Martem, *hunc per* Zincum, oculos cancrorum, *& similes terras, & illas iterum per* salia volatilia urinosa, *sal verò volatile tale per* sal fixum, *& hoc firmissimè inhæret* liquori, *nec ex eo dispelli potest, nisi* igne fortissimo *vel* acidô vitriolicô fortiori.

III. *Quoad vires* Aquæ fortis: *tota vis ejus dependet à* spiritu nitri, *proùt* purus spiritus nitri *etiam omnia ea præstat, quæ per* Aquam fortem *efficimus. Imò defendunt plures* ipsam aquam fortem, *licèt destilletur ex* vitriolo & nitro, *non esse nisi* spiritum nitri, *nam de* vitriolo *nihil ascendere admittunt, si labor & operatio ritè instituantur, unde etiam* Glauberus & Stahlius, *vide ejus* Anleitung zur Chemie p. m. 127. *non tantùm docent,* Aquam fortem & Spiritum nitri *non differre, si bene præparata ambo sint; verùm etiam tunc illam pro hoc, utì vicissim hunc pro illa divendi ac assumi posse asseverant; Confer.* Schulzius in Prælectionibus ad Dispensat. Boruff. pag. m. 33. *Num tamen non aliquando aliqua inter* hanc Aquam fortem, & Spiritum nitri *detur differentia, videri potest apud* Kunckelium in Laboratorio Chymico Part. IV. pag. m. 670.

ubi eadem monſtratur. Conferatur etiam Aurea Catena Homeri Part. II. Anatom. Mineral. pag. m. 358. *quæ aliquid de* ſulphure vitrioli volatili *aſcendere admittit, ex quo etiam* Aqua fortis *certum fœtorem aut odorem habere dicitur, qui non obſervatur in* puro Spiritu nitri, *ſi cum limo vel terra ſigillata colorata, aut aliorum acidorum ſupperadditione præparatus fuerit. Dein etiam color* Aquæ fortis *cum* vitriolo paratæ *dicitur paſſim eſſe* virideſcens, *& ſi illiniatur laminis ferreis politis, colorem* Cupri *illis ſuperinducit, & ſi mercurius in tali* Aqua forti *ſolvatur, virideſcit ille etiam, quod non obſervatur, ſi* Spiritus nitri alius purus *acceptus fuerit. Plura qui deſiderat, legat ſuprà citatum* Kunckelium in Laboratorio Chym. Part. IV. pag. m. 670. Lectiones M. S. Chemicas Caſpari Neumann, & H. Pott Profeſſorum duorum Berolinenſium *admodùm Celebratorum in* Chemia.

IV. *Licèt plures ſint modi* Spiritum nitri *deſtillandi; uſus tamen obtinuit, ut ille ſolus, qui cum* vitriolo *aut* alumine paratur, *dicatur tantùm* Aqua fortis *& non* Spiritus nitri, *ac ob rationem hanc, quia* Spiritum nitri *antiquitas credidit eſſe* liquorem ſimplicem, Aquam *verò* fortem, liquorem compoſitum, *ſeu* Spiritum duplicatum *exiſtimavit, proùt etiam* Polemannus *ex* nitro *&* vitriolo, *ſeorſim quodlibet ex retorta ſpeciali deſtillando,* Spiritum duplicatum *obtinendi methodum tradidit, quæ à curioſis videri poteſt. De cætero, quod per additionem* vitrioli *aut* aluminis, *ſi labor ritè & cautè inſtituatur,* verus *obtineatur* Spiritus nitri, *ac quæ ſit totius rei ætiologia, ſeu ratio operationis, & ſucceſsûs chemici, videri poteſt inferiùs, ubi de* Spiritu Nitri.

V. *Cautelæ circa ipſam Enchyreiſin manipilationis obſervandæ ſunt ſequentes:* I. Nitrum *debet eſſe probè* exſiccatum, *& ab omni humiditate extrinſeca* liberatum, *aliàs acquiritur* Aqua fortis *debilior, per ſolam tamen rectificationem vel dephlegmationem facilè exaltanda.* II. Nitrum, *cùm ſæpiùs* ſal culinare *remixtum habere ſoleat, hoc ab eo cautè & diligenter debet eſſe repurgatum, aliàs* Aqua hæc fortis *argentum non ſolvit.* III. *Idem fit, ſi quid de* vitriolo *illi commixtum exiſtat, unde non tantùm collum retortæ, dum pulvis deſtillationi committitur, illud bene repurgandum eſt ab inhærente pulvere; verùm etiam ſub ipſa deſtillatione non expelli debet* Spiritus vitrioli *igne fortiſſimo, ſed tantùm ille ex* nitro; *depuratio verò hoc in caſu facilè & promptè fit, ſi portio aliqua* nitri, Aquæ forti *injiciatur, quam* Spiritus, *ſeu* acidum vitrioli *aggreditur, & ſic ſimplici infuſione* Aqua illa fortis *rectificatur & depuratur; ſuo ergò tantùm in caſu verum eſt, quod monet* Frideric. Hoffmannus in Obſerv. Phyſ. Chym. lib. 2. Obſerv. I. p. m. 114. *nempe* Aquam fortem *abſtractione ſuper* nitrum vulgare *deſtillatam argentum non ſolvere, id eſt, ſi ſale culinari* nitrum illud *infectum fuerit, ùt mox ſuprà notavimus.* IV. *ſi ſal commune vitriolici aliquid, aut quodcunque impurum* Aquæ forti *aliunde ineſt, præcipitari illud omne ex*

ea

ea poteſt per immiſſionem argenti, quod appellant das Scheid Waſſer fällen/ gefälltes Scheid-Waſſer/ *ſolvitur ſcilicet parva portio* Lunæ *in* Aqua forti, *& infunditur* reliquæ Aquæ forti, *abinde lacteſcit ad tempuſculum liquor, dein ad fundum ſecedit ſedimentum in forma præcipitati albi;* hic Spiritus *uſui interno non eſt amplius accommodus, quia, licèt tantillum ſolummodò in eo ſit argenti, magnopere tamen jam alteratus eſt, & cauſticus, ùt monet ſuprà citatus* Schulzius locô citatô.

VI. *Si quid metallici* Aquæ forti *immixtum fuerit, fumat* illa, *& ineptior quoque tunc eſt ad aliquos labores; fumat tamen &* illa Aqua fortis, *quæ ſummopere concentrata eſt, ùt habet* Frid. Hoffmannus; *& illud quoque notatu digniſſimum eſt,* concentratam talem Aquam fortem *non æquè feliciter aut faciliter ſolvere* argentum, *ac ſi lege comuni parata eſt.*

VII. Vitriolum *pro deſtillanda* Aqua forti, *etiam non debet accipi* crudum, *ſed* calcinatum, *aliàs aſcendit* Spiritus, Aquam fortem *deſtruens aut corrumpens, aliqui ergò ſuadent, ut* vitriolum *accipiatur ad* albedinem, *alii ad* flavedinem, *alii planè uſque ad* rubedinem *calcinatum, ut de* Spiritu illo ſubtiliore aquoſiori & ſulphureo *nil immiſceri ac aſcendere in* Aquam fortem *poſſit.*

VIII. *Deſudarûnt hactenus* laboratores Chymici, *ut faciliore labore* Aquam fortem puram, *ac in copia majori obtinere poſſent.* Kunckel. *tale quid propoſuit in* Ephem. Natur. Curioſ. Dec. III. Anni I. Obſervat. 158. *qui videri poteſt. Comprobant ejus laborem* Berolinenſes. *Nobis ſequens methodus* Aquam fortem *in copia præparandi, commendata eſt: Exſtruitur furnus lateritius ordinarius, cui locô crateris imponitur lamina ferrea craſſa, ac ſuperiùs furno accommodatur retorta perforata ſeu inferiùs aperta, probè undique ad furnum adaptata & agglutinata, nè quid* vaporis *vel* ſpiritûs *hìc per rimas ad laterum interſtitia exhalare poſſit, & roſtro applicatur vas recipiens proportionatum, tunc ignitur ità, ut infra laminam ferream ponantur carbones, & quando lamina candeſcit, tunc maſſa pro* Aqua forti *parata, cochleari vel inſtrumento accommodo imponitur laminæ candenti, ſic igneſcit, &* vapores *ac* Spiritus *vehuntur in altum, ac per collum retortæ deſcendunt in vas recipiens;* maſſa *probè* uſta *ac ſatìs* calcinata *eximitur, &* nova *reimponitur, & ſic continuatur deſtillatio, ubi intrà breviſſimum tempus magna quantitas* Aquæ fortis *pauciſſimis expenſis elaborari poſſe nobis relatum ac aſſecuratum eſt.*

IX. *Tempus pro deſtillatione* Aquæ fortis *requiſitum ordinariè aſſignatur 12. horarum, licèt horæ exigantur ſæpiùs ſub labore communi 18. & 24. Juxta tamen methodos varias & præſertim præmiſſas novas, pauciores ſufficiunt; hoc unicum ſub lite manet: an* Aquæ ejusmodi fortes *congruè deſtillentur ex inſtrumentis ferreis, cùm fortè* Spiritus acidi Martem *aggrediantur, ac ſic* Aquam fortem *vel* impuram, corruptam, *aut* debiliorem *reddant; ſed hanc in rem decidant in arte* peritiores, *ac inter alios conferatur* Tyrocin. Chym. Beguini, & Gerardi Blaſii notæ in illud. *Ex* Ca-

pite mortuo *paratur* arcanum duplicatum, *de quo mox inferiùs.*

AQUA HIRUNDINUM CUM CASTOREO.

℞. Hirundinum juniorum in frusta dissectorum, Num. quadraginta.
Folior. Rutæ recent. manipulos duos.
Castorei, unciam unam.
Vini albi, libras tres.
Destilletur in Balneo Mariæ, ùt artis est.

ANIMADVERSIO ET USUS.

I. *Descriptio* hujus Aquæ *ex* Pharmacopœia Augustan. Renovata *desumpta est; à quibus* Aqua hirundinum composita minor *dicitur. Quamvis aliis utpote vinosa minùs placet, potest autem aliis aquis mitioribus facilè attemperari. Usus ejus est in* affectibus epilepticis, convulsivis, paralyticis & hystericis *ad unum cochlear pro dosi. Inservit etiam scopo refocillationis usibus externis. Extat tamen alia adhuc apud* Augustanos, *quæ propriè* Externa *dici consuevit, ac sub nomine* Aquæ Hirundinum compositæ majoris *descripta est, illa verò, quæ mox sequitur,* interna *appellari solet. Priores* compositæ *cum* castoreo & vino *parantur, illa, quæ* usitata, interna *dicitur, sola est, cum aquis destillatis, & sinè* castoreo. *Datur tamen adhuc* quarta, *quæ* Zwelfferiana *audit, & hæc videri potest in ejus* Pharmacopœia Regia p.m. 672. *ab illa* majore *adhuc diversa, licèt passim, sed malè, illa* major, *etiam* Zwelffero *attribuatur.*

II. *Prætendunt nonnulli* pullos passerum *locò* hirundinum *assumi posse, sed cùm* hirundines *facilè haberi queant, præstat semper* has, *& non* illos *adhibere.*

AQUA HIRUNDINUM USITATA SINE CASTOREO.

℞. Pullorum hirundinum in frusta dissectorum, Num. viginti quatuor.
Visci quercini, uncias tres.
Seminis Pœoniæ excorticati, unciam unam.
Radicum ejusdem, unc. duas.
Aquæ Flor. Liliorum convall.
Sambuci,
Pœoniæ,
Tiliæ, ana mensuram unam.
Stent in infusione locò calidò, per horas viginti quatuor, deinpe destillentur per Balneum Mariæ.

ANIMADVERSIO ET USUS.

Et hæc Augustanis debetur, *quæ cum* puro menstruo aquoso *destillatur, ac fortassis pro* attemperatione prioris *optimè inservire potest; hinc & usus ejus in tenerioribus subjectis tutior est, adversùs* insultus epilepticos, *ac* motus omnes hystericos, *ab* Apoplexia *itidem præservare scribitur, unde &* vertigini, incubo, paralysi, *ac* infantum convulsionibus *auxiliari existimatur. Dosis est ab uno ad duo & tria cochlearia.*

AQUA

AQUA HYPNOTICA MYNSICHTI.

℞. Semin. Papaveris albi & nigri, ana unc. octo.
Melonum excorticat.
Anethi,
Aniſi, ana unc. unam.
Amygdal. amarar. uncias duas.
Radic. Glycyrrhiſæ,
Nucis moſchatæ, ana unciam unam ſemis.
Cardamomi minoris,
Macis, ana unciam ſemis.
Croci orientalis,
Florum Papaveris erratici,
Violarum, ana drachmam unam.

Incidantur, contundantur, & in Aquæ Lactucæ, libris tribus.
Roſarum rubrarum,
Nymphææ, ana libris
Portulacæ, (duabus.
Endiviæ, ana libra una.

Mixta digerantur in loco calido per biduum aut triduum; poſtea in B. M. deſtillentur.

ANIMADVERSIO ET USUS.

Multæ, Aquarum Hypnoticarum *à variis Authoribus extant compoſitiones, aſt dum quaſdam in ſubſtantia*, Hyoſciamus, mandragora, opium, &c. *ingrediantur, uſus ob illorum virulentiam & nimis ſoporiferam qualitatem minùs tutus videtur.* *Hæc* Mynſichti *paſſim uſualis eſt in omnibus diuturnis vigiliis, tuſſi, colica, doloribus acutis, & febrium ardentium delirio ac calore nimio. Doſis ab uncia ſemis ad uncias duas, vel per ſe, vel aliis additis, & præſertim mixturis cordialibus aut emulſionibus immiſceri conſuevit.*

AQUA HYSTERICA QUERCETANI.

℞. Succorum depuratorum
Herbæ Matricariæ,
Mercurialis, ana libram
Nucis moſchatæ, (unam.
Cinnamomi,
Ligni Aloës,
Macis, ana unciam ſemis.
Florum Anthos,
Salviæ, ana pugillos duos.
Caſtorei, drachmas ſex.
Fœculæ Bryoniæ, unc. ſemis.
Vini albi generoſi, libram unam ſemis.

Digerantur per tres aut quatuor dies, dein deſtillentur per Balneum vaporoſum ferventiſſimum: fiat aqua pro hyſtericis omnibus affectibus. *Doſis cochlear unum manè; uterum ab impuritatibus detergit*, muliebri Fluori *confert*, hyſtericísque omnibus affectibus *conducit.*

AQUA LAVENDULÆ CUM VINO.

℞. Herbæ Lavendulæ cum Floribus, quantùm placet.
Affunde vini albi generoſi ad eminentiam trium vel quatuor digitorum, ſeu quantùm ſufficit.

Digere per aliquot dies, & L. A. fiat deſtillatio per Balneum Mariæ ad duas tertias.

ANIMADVERSIO ET USUS.

I. *Hac methodô deſtillantur omnes Aquæ Herbarum & Florum cum vino infuſæ, & qualitas harum aquarum non tam dependet à quantitate liquoris, cui infunditur, quàm à proportione quanti, quod abinde deſtillando abſtrahitur.*

II. Aqua hæc *refocillationis causâ inſervit in* Deliquiis, Syncope, affectibus Apoplecticis, capitis doloribus, ac catharris, &c. *Extrinſecè adhibetur* temporibus, naribus, & pulſibus *illinita.*

AQUA LAXATIVA VIENNENSIS.

℞. Foliorum Sennæ ſinè ſtipitibus, uncias tres.
Paſſularum minorum, unciam unam ſemis.
Radicum Polypodii quercini, drachmas tres.
Seminis Coriandri, drachmas duas.
Cremoris Tartari, unciam ſemis.

Miſceantur & decoquantur cum aquæ fontanæ ſufficienti quantitate ad libras duas, colaturæ poſt fortem expreſſionem addantur:

Mannæ Calabrinæ electæ, unciæ octo.

Colata & lege artis clarificata ſervetur uſui.

ANIMADVERSIO AC USUS.

I. *Aliàs Aqua hæc* Infuſum laxativum Managettæ *in* Pharmacopœa Auguſtana Renovata *dicitur*; *præter, quòd Viennenſes* Radicem Polypodii Quercini *ſuperaddant*, noſtrates *adhuc* Radic. Rhabarbari *incoqui amant. A multis jam annis in officinis noſtris & plurium civitatum* Aqua hæc laxativa *uſualis eſt: hodiedum* Infuſum Angelicum Viennenſe *apud delicatiores prærogativam adeptum eſt.*

AQUA ANGELICA,

Vide:

INFUSUM ANGELICUM.

AQUA LILIORUM CONVALLIUM CUM VINO.

℞. Florum Liliorum Convallium recentium, libram ſemis.

Vini generoſi, libras tres.

Factâ aliquali digeſtione deſtillctur, lege artis, ex arena vaſis vitreis ad medietatem.

ANIMADVERSIO ET USUS.

I. Aqua hæc *admodùm* elegans, & odore *tam* grata, *quàm* effectu ſalutaris *decantatur. Adhibetur in uſum medicum internè & externè in* Affectibus Apoplecticis, & Epilepticis, *utpotè* Lipothymia, Syncope, Suffocatione uteri, *ac* Torminibus. *Doſis ab uncia ſemis ad unciam unam.* Extractum liliorum convallium *à* Schulzio *dicitur habere qualitatem & nomen* Aloës germanicæ, *quia ad ſcrupulum unum vel drachmam ſemis ſumptum, bellè expurgat.*

AQUÆ PRO LIQUORE PECTORALI.

Has aquas ſeorſim dum præſcribi contingit, ſinè ſulphuratis & pulveribus ſumendas eſſe intelligitur, aquas verò ipſas deſcriptio liquoris pectoralis Mynſichti recenſet. *Vide ſuô locô, ubi de* liquore pectorali.

AQUA LOOCH SANI ET EXPERTI.

℞. Radic. Ireos florentinæ,
Liquiritiæ,
Herbæ Hyſſopi, ana unc. duas.
Capillor. Veneris, ma-
Seminis Aniſi, (nipul. quatuor.
Calaminthæ,
Fœniculi,
Fœnugræci,
Lini, ana unciam unam.
Dactylorum,
Ficuum,
Paſſularum, ana uncias qua-
Jujubarum, (tuor.
Sebeſten, ana num. ſexaginta.
Cinnamomi electi, unc. duas.

Inciſa & contuſa macerentur in aquæ fontanæ ſufficienti quantitate per tres dies, poſtea lege artis deſtillentur.

ANIMADVERSIO ET USUS.

Quamvis fructus hanc compoſitionem ingredientes præter mucilaginem in reſiduo remanentem, liquori abdeſtillato exiguam qualitatem ſuperaddere poſſint; cùm tamen ad trochiſcos becchicos majores, aliásque ad mixturas compoſitio hæc ſit uſu recepta, relinquimus eam conſuetudini. Uſus ejus utpotè pectoralis in Aſthmate, Tuſſi, difficili reſpiratione, & Catarrhis diuturnioribus *cochleatim ſumendo dilaudatur.*

AQUA MAGNANIMITATIS.

℞. Formicarum, acidum redolentium, in olla terrea, melle intùs inuncta, captarum, manipulos ſex.
Spiritûs vini anthoſati, libras quatuor.
Liliorum convall. ſimplicis, libr. unam.

Mixta, vaſe priùs bene perlutato, ſtent per dies octo in acervo magno formicarum, poſtea deſtillentur per Balneum Mariæ, hoc factô:

℞. Spiritûs hujus deſtillati, & à Phlegmate ſeparati, libras tres.
Confectionis Anacardinæ, libram ſemis.
Specierum Cephalicarum, uncias tres.

Et poſt peractam, & reiteratam digeſtionem ſeptem dierum, denuò deſtillentur per Balneum Mariæ priùs leni igne, in fine verò fortiori. Tum Aqua ſpirituoſa abſtracta aromatiſetur cum
Olei Cinnamomi,
Coriandri, ana guttis quindecim.
Eſſentiæ Ambræ, quantum vis.

ANIMADVERSIO ET USUS.

I. *Incommoda ſat ſit in hac compoſitione* Formicarum manipulatio, *quis enim per manipulos* formi-

cas *melle* inunctas, *ac manibus* agglutinatas *mensurabit? rationabiliter credimus*, manipulum unum *facilè* uni unciæ *æquivalere; adeóque in pondere Dosim determinandam fore tutiùs judicamus.*

II. Species Cephaliæ *videntur esse* usitatæ officinales; *an autem ex* Confectione Anacardina *multum virtutis* huic Aquæ *accedere queat, dispiciant* Sapientiores. *De cætero* Aqua hæc *sat bona est.*

III. *Usus est in* corde *ac* cerebro confortando, venere excitanda, & articulis à Paralysi debilitatis roborandis, *à cochleari uno ad duo exhibetur. Plura vide in* Ephem. Nat. Curios. Dec. I. An. VII. pag. 39.

AQUA MASTICHINA.

℞. Mastiches elect. unc. quatuor.
Macis, uncias duas.
Caryophyllorum, unc. unam.
Cinnamomi acuti, unc. semis.
Pulverisentur omnia, & commisceantur, deinde affundantur illis
Vini albi generosi, libræ quatuor.

Stent in infusione per triduum, postea destillentur in arena igne lentò.

ANIMADVERSIO ET USUS.

I. *Hæc est descriptio* Pharmacop. Augustan. Renovat. *cui quibusdam placet addere* nucem myristicam, & Cardamomum, & *dosim* Maceris *ad unciam semis restringunt. Aliis* vini dosis *etiam videtur nimis* pauca, *unde ad libras quatuor eam adaugent, quod & nos approbamus.*

II. *Usus ejus est* stomachalis, *hinc in* Vomitu compescendo, nausea, singultu, & fluxibus alvi cohibendis *opitulatur. Datur ad unciam semis, sive cochlear unum, & potest ad libitum* Syrupô Cydoniorum *vel* Coralliorum *edulcorari.*

AQUA MELISSÆ CUM VINO.

Aqua hæc parari potest uti Aqua Lavendulæ, vel uti Aqua Liliorum Convallium cum vino.

Usus ejus in Affectibus capitis, intestinorum & uteri *esse consuevit; dosis cochlear unum.*

Prostat hodie in publicum vendibilis Aqua Melissæ composita, *quam vulgò* l'Eau des Carmes, *aut* Carmeliter-Wasser *appellant, cujus descriptio cum sequenti fortè coincidit:*

AQUA MELISSÆ COMPOSITA.

℞. Herba Melissæ cum Floribus, manipulos sex.
Nucis Moschatæ,
Caryophyllorum,
Cinnamomi, ana unc. unam.
Cort. Citri, uncias duas.
Semin. Coriandri, uncias quatuor.

M.F. Pulvis grossus, cui affunde:
Spiritûs vini ex fœcibus,
Vini albi generosi, ana mensuras duas.

Digere per aliquot dies, sæpiùs agitando & L. A. destilla.

Vires & usus typis edita sunt.

AQUA

AQUA MENTHÆ CUM VINO.

Parì modò cum prioribus paratur, æquè ad ſimiles effectus, vires enim à qualitatibus herbæ depromuntur. *Doſis cochlear unum.*

AQUA MERCURIALIS PHAGADÆNICA AUGUSTANORUM.

℞. Ceruſſæ Venetæ, uncias duas.
Aluminis crudi, unciam unam ſemis.
Salis Nitri, Ammoniaci, ana drachmas duas.
Lithargyrii, drachmas duas.
Mercurii ſublimati, ana nnciam unam.
Zingiberis, drachmam unam ſemis.
Aquæ Solani, Plantaginis, Roſarum albarum, ana uncias tres.
Centinodiæ, unc. quatuor.
Aceti acerrimi, libram unam.
Miſce & bulliant parum, ſerventur in vitro ſinè colatura.

ANIMADVERSIO ET USUS.

Cùm Aqua Centinodiæ in noſtris Pharmacopœis *non extet*, *locò illius* Aquam Nymphææ, *vel* Plantaginis *aliámve ſubſtituendam cum* Viennenſibus *conſentimus.*

In Affectibus cutis externis *uſualis exiſtit*, *cujus* defœdationi, puſtulis, verrucis, ficubus, ſerpigini, ſcabiei malignæ, fiſſuris *in* volis manuum, & plantis pedum *conducit*, ulceribus *imprimis* venereis *penicillô leniter* contactis *illita prodeſt.*

AQUA PHAGADÆNICA R.V.

℞. Lixiv. calcis vivi, menſuram unam ſemis.
Raſur. Ligni Sancti, libram unam ſemis.
M.F. Decoctio fortis, ut ſit adinſtar cereviſiæ nigrico-rubri, tunc filtra & ſeorſim cum Spiritu Vini camphor. tere Mercurii ſublimati drachmas duas, ſolutiones M. cum menſura una decocti parati ac uſui aſſerva.

ANIMADVERSIO ET USUS.

I. Aqua hæc *vocatur* Ruſticì Viennenſis, *communicata aliquando nobis à* D.D. Bock, *ac relatum unà, fuiſſe Viennæ* Ruſticum, *qui* ulcera phagadænica, venèrea, *aliáque talia mala feliciſſimè per uſum* hujus aquæ *tollere novit, famámque ac Privilegium aut ſaltèm protectionem* de *liberè* vendenda ſua Aqua *adeptus.*

II. *Si* ulcera *ſunt* fœtida, *ac multùm* impura, *aſſumitur* Mercurius ſublimatus, *ſi verò talia non ſunt*, Mercurius d. *locum habet.*

III. *Non tantùm* acrimoniam *corrigit*, *verùm etiam* ulcera manantia *exſiccat*, *locum tamen tantùm habet*, *ubi profundiora non ſunt, ſed conſolidationi apta. Coincidit ferè cum* Aqua Phagadænica Lemery.

AQUA NEPHRITICA PRAGENSIS.

℞. Rad. Enulæ campanæ, Ononidis, Saxifragiæ, ana unciam ſemis.
Florum Geniſtæ, Florum Sam-

Florum Sambuci,
Foliorum Meliſſæ, ana manipulum ſemis.
Seminis Cynosbati, unciam ſe-
Nucleor. Perſicorum, (mis.
Prunorum,
Ceraſorum ſylveſtr.
ana unc. unam.
Ligni Nephritici, drachm. ſex.
Inciſa & contuſa ſtent aliquot diebus cum
Vini optimi libris duabus.
Succi Betulæ recentis, libris novem.
Fragorum recent. menſuris tribus.
In digeſtione tandem adde
Terebinth. Venet. unc. duas.
Fiat L. A. deſtillatio.

ANIMADVERSIO ET USUS.

I. Aqua hæc *laudatur in affectibus* Calculi, Renum, Suppreſſione urinæ, Gonorrhæa & *ſimilibus ad cochlear unum exhibita, prudenter tamen applicanda.*

II. *Cùm* ſuccus Betulæ & ſuccus Fragorum *in diverſa incidant tempora, ſimul haberi non poſſunt recentes, unde ſpecies dictæ vel priùs cum* Aqua Betulæ *infundendæ*, & *dein* ſuccus Fragorum *ſuo tempore ſupperaddendus, vel* ſuccus Betulæ *ſeorſim aſſervandus eſt, qui tamen interea temporis aceſcentiam contrahet, unde is tutiùs ac priùs deſtillatione depurari, ac ſic ad lubitum aſſervari poteſt.*

III. *In* Pharmacopœa Auguſtana *etiam extat* Aqua Nephritica; *qui* illam *deſideraverit, in præſcriptione ſua exprimat id.*

AQUA OPHTALMICA PRAGENSIS.

℞. Aquæ Roſarum albarum,
Plantaginis,
Euphraſiæ, ana unciam unam.
Sacchari Candi albi, drachmas duas.
Tutiæ præparatæ, drachmam unam.
Sieff albi ſinè opio, drachm. ſemis.
Croci Martis adſtringent. ſcrupulum unum.
Mixta ſerventur uſui.

ANIMADVERSIO ET USUS.

Collyrii *nomine aliàs apud nos diſpenſatur, hinc non tantùm intrà* oculum *guttatim, verùm etiam in forma* Epithematis *cum linteo tepidè externè in* omnibus oculorum inflammationibus, & defluxionibus ſalſis, *ubi videlicet* deterſione, expurgatione, & blanda adſtrictione *opus eſt, bono cum effectu applicari conſuevit.*

AQUA PHYSOGONA AUGUSTANORUM.

℞. Seminis Aniſi, libras duas.
Dauci ſylveſtris, unciam unam.
Cinnamomi acutiſſimi, uncias duas.
Nucis moſchatæ,
Macis,
Galangæ,
Caryophyllorum, ana drachmas duas.
Trita infundantur in vini generoſi

rosi mensuris quatuor per biduum aut triduum in loco calente. Dein destillentur, Lege Artis.

ANIMADVERSIO ET USUS.

I. *Solent quandoque* hanc Aquam, *ut magis* spirituosa *fiat, additô* Spiritu vini *destillare; ast sat* spirituosa *evadit, si ad tertiam aut medietatem abstrahatur.*

II. *Usus est in* flatibus ventris & intestinorum, *à* frigidis & crassis humoribus ortis, resolvendis *aut* dissipandis. *Dosis est ab uno ad duo cochlearia.*

AQUA PROPHYLACTICA SYLVII.

℞. Radicis Petasitidis, uncias duas.
Angelicæ,
Zedoariæ, ana unciam unam.
Folior. Rutæ hortensis, uncias quatuor.
Melissæ,
Scabiosæ,
Florum Calendulæ, ana uncias duas.
Nucum Juglandium immaturarum concisarum, libras duas.
Pomorum Citrinorum recentium concisorum, libram unam.

Concisis & contusis omnibus affundantur
Aceti vini optimi, libræ duodecim.

Digerantur per noctem, manè fiat destillatio igne cinerum lento ad siccitatem ferè.

ANIMADVERSIO ET USUS.

I. *Alio nomine* Acetum Prophylaticum *dicitur, & à quibusdam cum* Aceto vini destillato *paratur; nos ex ratione, quam de* Aceto *agentes dedimus*, Acetum vini simplex *optimum assumendum suademus; consentiente* Friderico Hoffmanno in Clave Schrœder. pag. 43. *& approbante idem* Clariss. Buchnero in Animadversionibus ad Dispensatorium Brandenburgense pag. 2.

II. *Alii non solùm* Acetum simplex, destillato *præferunt; verùm etiam* ipsam destillationem *omittentes*, & puram infusionem specierum cum Aceto simplici *amplectendam autumant, cui & nos subscribimus.*

III. Acetorum Prophylacticorum *vires in* febribus malignis pestilentialibus, aliisque epidemicis *insignes laudant Authores varii, videatur* Dimmerbroich, & Timæus à Guldenklee in Cas. Med. lib. VIII. Cas. XXX. Franciscus de le Boë Sylvius *hujus descriptionis Author est, & fatetur: se non solùm in* malignis, *sed etiam in* ipsa peste, *antequam ægrotantes inviseret, sumpsisse* frustulum panis albi acetô vini vulgari *vel* calendulatô *imbutum*, quo alexipharmacô *se tam bene conservavit, ut nunquam* venenô pestilentiali *infectus fuerit, si verò omisisset, statim* dolorem capitis *sentiebat; quô ipsô simplicitatem in suo corpore artificiori huic formulæ prætulisse satis, ùt* Clarissimus Schulzius *glossatur, testatus est. Conferantur, quæ superiùs de*

Acetis Bezoarticis *aut* Theriacalibus *dicta sunt.*

IV. *Dosis est ad unciam semis seu cochlear unum & ultrà, cum ea tamen differentia, ut, si* Acetum destillatum *assumptum fuerit, aut* Acetum à speciebus per destillationem *abstractum est, drachma una, aliis aquis diluenda, sufficiens sit; si verò cum* Aceto simplici, *sinè* destillatione, *solummodò infusio facta est, ascendi potest ad unciam semis & ultrà, uti mox dictum.*

AQUA PULMONUM VITULI.

℞. Interiora Vituli, Cor scilicet, Pulmones, Hepar; eáque depositâ pinguedine, & exemptis probè venulis, minutim conscinde; postea adde

Rad. Consolidæ majoris, uncias quatuor.
Herbæ Pulmonariæ,
Sanguisorbæ,
Hyssopi,
Veronicæ,
Salviæ,
Agrimoniæ, ana unciam semis.

Affunde earundem Aquam q.s. & decoque in olla vitreata nova cooperta.

℞. Brodii cum toto libras tres.
Aquæ Borraginis,
Buglossæ,
Rosarum, ana libram unam.
Specier. Diamargarit. frigid.
Radicis Pimpinellæ,
Cinnamomi acerrimi, ana unciam unam.
Quatuor Semin. frigid. major. ana drachmas duas.
Florum Cordial. ana drachmam unam.

Mixta ex Baln. Mariæ per alembicum destillentur.

ANIMADVERSIO ET USUS.

I. *Quales glossas super* hanc & similes Aquas Zwelfferus *animadverterit, innuimus jam superiùs, dum de* Aqua Caponis *egissemus; & reverà fateri cogimur, conservas herbarum & florum* Phtysicis *per se plùs sanè præstare posse, quàm in* Aqua destillata.

II. *Quid* Species & Semina, Radices & Herbæ terrestrioris indolis, *pro similibus Aquarum viribus acuendis* destillationi *commissa præstare valeant, pauci admodùm agnoscunt, quin complures utilitatem pernegant. Conferatur tamen* Henricus Boërhave in Elem. Chem. Tom. II. pag. m. 18. 74. 113. *ubi affirmativam tenet.*

III. Mynsichtus *utpotè Author sequentibus vires & usum* hujus Aquæ *deprædicat, dum inquit*: Hectici & Phtysici hujus Aquæ usu diu possunt foveri: propterea non sinè ratione descriptio hæc semper in magno pretio est. *Dosis per se à cochleari uno ad duo cochl.*

AQUA REGIA.

℞. Aquæ Fortis communis, uncias quatuor.
Salis Armoniaci, unc. unam.

Misce simul, donec omne Sal Armoniacum dissolutum sit, servetur in vitro arctissimè clauso.

ANI-

ANIMADVERSIO ET USUS.

I. Aqua Regia *vel* Regis *abinde nomen à* Chemicis *adepta eſt, quia* aurum, metallorum Regem, *ſolvit*; *dicitur aliàs etiam* Aqua chryſulca, *& præter* uſum Chemicum *in* Pharmaceuticis *locum habere non ſolet*; Aurifabris *tamen*, Tinctoribus, Pictoribus, Calcographis, aliisque opificibus *aut* artificibus *fortè etiam nonnunquam inſervire poteſt.*

II. *Cùm juxta ſuperiùs dicta de* Aqua forti, *hæc vix aliud ſit, quàm* verus Spiritus nitri; *idcirco in aprico eſt, locò dictæ* Aquæ fortis, Spiritum Nitri ſimplicem & purum *aſſumi poſſe. Dein locô* Salis Armoniaci *poteſt etiam pro obtinenda* Aqua vera Regia *adhiberi* Sal marinum, *vel aliud* commune culinare, *vis enim* aurum diſſolvendi *juxta* Ætiologiam veriorem *in* Aqua Regia, *potiſſimùm dependet à* Sale communi; *ſola hæc intercedit differentia, quòd* Aqua Regis *cum* Sale communi parata *non ſuppeditet genuinum* aurum fulminans, *quale tamen obtinetur, ſi* Aqua Regis *cum* Sale Armoniaco *parata fuerit. Dein* Aqua fortis & Sal commune *remixta, débent inſimul deſtillari, ubi cum* Sale Armoniaco *per ſolam infuſionem acquiritur* Aqua Regis egregia.

III. Herm. Boërh. in Inſtit. vel Experiment. Chem. Part. III. Mineral. Venetiis in 8. edit. Proceſſ. XV. pag. m. 255. *dicit*: Sal marinus unicus eſt ſolutor auri. *Et in* Editione Lugdunenſi in 4. Proceſſ. CXLII. Part. III. p. m. 408. *idem ità confirmat*: Sal hic eſt auri diſſolvens tale, ut ſinè ejus acceſſu nunquam id ſolvi queat, niſi per metalla fuſa; *unde exoritur Quæſtio*: An Spiritus ſalis marini, vel culinaris cujusvis aurum ſolvat per ſe & directè, an cum aliis & indirectè? Clariſſ. Pott *in* Animadverſionibus *ad hunc Proceſſum dicit*: Sal commune nullatenus directè aurum ſolvere, *ſed per* indirectum, *proùt etiam ipſe Boerhavius loc. cit. his verbis fatetur*: Nitro deſtillando, ſi quis Sal marinus adeſt, Aqua Regia, non Aqua fortis producetur. Idem, ſi Sale marino admiſto nitro verum Aqua *ergò* Regis *debet vires ſuas* nitro & ſali communi *ſimul; quid tamen propriè & ſpecificè* ſali communi *accedere debeat*, *ut* aurum *ſolvat? mox citat.* Clariſſ. Pott *ità exponit*:

Der *Spiritus Salis ſolviret* kein Gold/ es ſeye dann / daß ſelbiger mit etwas *urinoſi* oder *nitroſi acuiret* ſeye/ als:

1. Der *Spiritus Salis marini ſolviret* gerne das Gold / wegen eingemiſchten *acidi nitroſi*. Auch

2. Der *Spiritus Salis*, ſo mit *Spiritu Nitri deſtilliret* worden.

3. Wann ich *guttam unam Spiritûs Salis* in hundert Tropffen *Spiritûs Nitri* gieſſe.

4. Wann ich etwas rohes *Nitrum in Spiritu Salis ſolvire*.

5. Wann ich das *Sal* mit alten Tach-oder Mauer-Steinern *deſtillire*/ als welche aus der Erd etwas *nitroſes* an ſich gezogen haben.

6. Wann ich durch Hand-Griffe das *urinoſum* aus dem *Sale* erhöhe.

7. Wann ich *Spiritum Salis* mit einigen Tropffen *Spiritûs urinoſi acuire*.

8. Wann ich Gold-Kalck nehme/ ſo aus *Aqua Regia præcipitiret* worden/ als *Aurum fulminans*, oder *per Abſtractionem* des *Aquæ Regiæ* gemacht iſt / dann da hangt auch noch was *nitroſes*

daran; aber kein Gold-Kalck / der mit *Amalgamate Mercurii* gemacht iſt.

Auſſer jetzt erzehlten / *ſolvirt* ein reiner *Spiritus Salis* das reine Gold niemahlen.

Ratio ergò, quare in Proceſſu noſtro Sal Armoniacum Aquæ forti *additum, diſſolvat aurum, facilè pateſcit, videlicet, quia & Sal commune & urinoſum in Sale armoniaco adeſt. De cætero tamen Spiritus Salis per ſe & ſe ſolo plurima metalla vel diſſolvit vel præcipitat, ſic ſolvit lunam, cuprum, Regulum antimonii, ſtannum, zincum. Præcipitat lunam, ſaturnum, biſmuthum ex ſuis ſolutionibus, in conjunctione verò acidi nitroſi ſolvit aurum & nonnulla ſic etiam adhuc metalla.*

IV. *Alios adhuc modos* Aquam Regiam *parandi, vide apud Chemicos.* Baſilius Valentinus *deſtillat talem ex* Nitro, Sale Armoniaco, & Silicibus, *quam Aquam* pugilum *appellat, cùm* Nitrum & Sal Armoniacum, *tanquam infenſiſſimi hoſtes primo ſtatim contactu congrediantur. Plura vide apud* Beguin. *in* Tyrocin. Chym. p.m. 106. & *in* Corpore Pharmaceutico Junckenii in Fol. p.m. 142. & ſeq. *ubi etiam diſquiſitio adeſt, quomodo & quare* Aqua Regia *aurum & non argentum ſolvat, quam in rem etiam videri poſſunt* Obſervat. Phyſico-Chymicæ Friderici Hoffmann lib. III. Obſervat. XX.

V. *De cætero curioſum eſt:* aurum & deaurata quævis *egregiè poſſe exaltari in colore ſuo, ſi accipiatur* pulvis *ex partibus æqualibus* nitri, ſalis communis & aluminis; *hoc pulvere* aurum *vel* obauratum *priùs* humectatum *involvitur, ut* Pulvis *undique adhæreat, tunc imponitur carbonibus, ut* ſalia *fluant, mox projicitur in aquam, ut* ſalia adhærentia *abin diſſolvantur, labor bis, ter, repetitur, ſic* auri *color eximiè exaltatus eſt, ſed penes portio aliqua* auri *in* aqua illa *ſoluta appareret, dum hæc* colorem *abinde* purpureum *contrahit, ac abinde fortè ſuô modô pulvis ille* Aqua Regis in ſicco *poterit nuncupari.*

AQUA REGINÆ HUNGARIÆ.

Dimidiam Cucurbitæ vitreæ, vel fictilis partem Floribus Rorismarini, dum maximè vigent, collectis, repleto; his Spiritum Vini ità, ut commodè macerentur Flores, affunde; Balneo Mariæ cucurbitam impone, eáque capitellô unà cum excipulo ſuo obtecta accuratè commiſſuras lutô agglutina, ſubtúsque per tres dies digeſtionis ignem adhibeto, quibus præteritis lutum deme, deſtillatúmque liquorem in cucurbitam effunde; alembicum iterum accommodato, ignémque augendo ſatis validè, ut extillet liquor guttatim, ità ut gutta una mox aliam ſequatur, cúmque tertias partes ejus extraxeris, vel circiter, ignem ſubtrahito, vaſa refrigeſcere relinque, reperies in excipulo optimam Reginæ Hungariæ Aquam, quam in probè obturata Phiala ſervabis.

ANIMADVERSIO ET USUS.

I. Aqua Rorismarini vulgaris *ex* ſolis ſummitatibus *vel* floribus *unà ac ex* foliis *deſtillari ſolet, ſed non æquè grati odoris eſt.* Aqua Reginæ Hungariæ ſpirituoſior & gra-

gratior *esse debet*, *unde etiam* soli Flores, *cum* calicibus *tamen*, *accipiendi sunt. Quibus placet infusionem cum* novis *semper* floribus *aliquoties repetere*, Aquam *obtinebit* fragrantiorem.

II. *Nomen adepta est* hæc Aqua *à* Regina quadam Hungariæ, *nomine* Isabella, *& descriptio ejus inventa dicitur fuisse* Budæ *in* Reginæ hujus *libro M S. quâ se fatebatur an. ætat. LXXII. valde debilem &* Arthritide *afflictam*, *ope* hujus Aquæ *restitutam per quendam* Eremitam, *quem non viderat anteà*, *nec expòst ampliùs*, *ac spargitur eam virtute* hujus Aquæ *ità restauratam fuisse*, *ut* Rex *illius temporis in* Polonia *eam in uxorem ducere voluerit*, *ac* Eremitam *credidit fuisse* Angelum, *unde* remedium *tam* Divinum *aut* Angelicum *accepisset*; *quidquid hanc in rem sit*, *in usu hodiedum adhuc multo est apud* Sexum fœmineum, *& à delicatulis vel ob* vires cosmeticas, *aut potiùs ob* gratam fragrantiam *aquis*, *quibus se lavare solent*, *inspergi solet*; *potissimùm refocillationis ergô in* debilitatibus *aut* deliquiis animi *naribus adhiberi consuevit.*

III. *Vires*, *usum*, *& dosim aliàs sequentibus describit* Charas: Aqua hæc spirituosa, *præstantissima est adversùs* quosvis cerebri frigidos affectus; *utilissimè etiam in usum venit in* nervorum & artuum affectionibus, *contra* Revmatismum & Arthritidem frigidam, Cephalalgiam sanat, Vertiginem dissipat, surditati, auriúmque tinnitui medetur. *In* Capitis contusionibus, cunctarúmque corporis partium sanguinem à concretione præservando & coagulatum resolvendo *utilis est*, virtutes *quoque* stomachicas, carminativas *atque* hystericas *possidet*; *Internè assumitur à scrupulo uno ad drachmam & paulò ultrà, ex vino vel Aqua Cephalica. Externè pro refocillatione naribus admovetur, & partes eâdem foventur.*

AQUA REGIS FERDINANDI EX NITRO.

℞. Salis Nitri, libras sex.
Affundantur
Aquæ pluvialis, libræ duodecim.
Et destillentur in Balneo Mariæ per alembicum vitreum. Ità Viennenses.

ANIMADVERSIO ET USUS.

I. Nitrum depuratissimum *assumi debet*; Aqua pluvialis selectior *est*, *vel ex* nivibus *in Martio* collectis, *vel* Aqua Pluviæ majalis. *Adhibetur in* omnibus inflammationibus internis, intensóque febrium ardentium æstu, *tum ad* levandam Sitim, *tum etiam ad* compescendum viscerum ardorem. *In Dosi licèt ad plura cochlearia ascendatur*, *non tam facilè error committitur.*

II. *An aliquid de* Nitro *sub hac aquæ abdestillatione* alembicum *superascendere possit*, *meritò dubitatur*; *unde perhibent alii* Nitrum commune depuratum *per* carbones Salicis *vel* Tiliæ *tam diu deflagrandum esse*, *donec totum fuerit versum in* alcali, *dein reponendum esse in cellare vel in locum humidum*, *ut in* liquorem, *quem aliàs appellamus*, Nitri

tri fixum, *defluat, ac demum* Aquam *ex* hoc liquore abdestillatam, *esse volunt* Aquam genuinam Nitri Regis Ferdinandi, *proùt hìc* Pragæ in Monasterio Virginum Ursulinarum in Hradschin ad S. Annam *talis Aqua, quam vulgò* das Lavallische Salitter-Wasser *appellant, ità parari & divendi solet, & nos etiam* Aquam Nitri *hac methodo* præparatam, *illâ, quæ præmissa descriptione obtinetur, præferimus; licèt de* Nitro *neutra multùm participet.*

AQUA SALVIÆ CUM VINO.

Paratur ad modum, uti Aqua Melissæ, aut Menthæ; Usus æquè, uti similium, cephalicus est, nervinus & confortativus.

AQUA STOMACHALIS CARMINATIVA.

℞. Cinnamomi acutissimi,
Caryophyllorum, ana drach. (decem.
Calami Aromatici,
Galangæ, ana unciam unam.
Zedoariæ,
Zingiberis, ana drachmas sex.
Macis,
Nucis moschatæ,
Baccar. Lauri decorticatarum, ana unciam semis.
Costi Arabici,
Piperis longi,
nigri,
Seminis Anisi,
Fœniculi, ana drachmas tres.
Mastiches electæ,
Olibani electi,
Myrrhæ, ana drachmas duas semis.
Corticum Aurantiorum,
Citri, ana drachmas duas.
Ligni Aloës optimi, drachm. unam semis.
Santali albi,
Citrini, ana drach. unam.

Incidantur grossò modò, & contundantur, mixtis omnibus superaffundantur

Vini albi generosi, mensuræ quatuor.

Macerentur per octiduum in vitro bene clauso, dein destillentur in Balneo Mariæ. Liquor egressus servetur usui.

ANIMADVERSIO ET USUS.

Aqua hæc *tametsi in* Pharmacopœia Augustana *inter* minùs usuales *sibi locum vendicet; attamen sua sponte frequentiùs citrà* Medici *præscriptionem in* Pharmacopoliis *à vulgo expeti solet; assumitur in usum contrà* vitia concoctionis *& in* imbecillitatibus ventriculi, humores *enim* crudos, ipsis ventriculi tunicis impactos, *incidit, & attenuat*, ructus ventriculi *dissipat*, & flatus *tollit.*

AQUA THERIACALIS BEZOARTICA.

℞. Radicis Tormentillæ,
Gentianæ,
Dictamni albi, ana uncias duas.
Vincetoxici, uncias duas semis.
Radicis Car-

Radicis Carlinæ, uncias duas
Petasitidis, (semis.
Ostrutii,
Angelicæ,
Zedoariæ,
Corticum Citri, ana unc. tres.
Median. Sambuci recentium,
Fraxini recent. ana manipulos tres.
Baccarum Juniperi recentium, libram unam.
Folior. Dictamni cretici,
Scordii nostratis,
Chamædryos, ana unciam unam.
Santali Citrini, drachm. tres.
Ligni Rhodii, drachmas duas.

Incisis & contusis addantur

Theriacæ Andromachi, unciæ duæ.
Mithridatii Damocratis, uncia una.
Succi Nucum Juglandium immaturarum,
Limonum,
Acetosæ,
Pimpinellæ, ana libra una semis.
Cardui Benedicti,
Scordii nostratis,
Rutæ, ana libra una.
Scabiosæ,
Hederæ terrestris,
Calendulæ,
Melissæ hortensis, ana unciæ octo.
Chelidonii,
Galegæ,

Aceti de Rub. Idæo,
Sambucini,
Rosati, ana unciæ quatuor.
Rutacei, libra una.

Post triduanam digestionem lento balnei calore liquor evocetur, in cujus media parte suspendatur camphoræ in nodulo serico ligatæ drachma una; altera verò pars pro iis, qui camphoram non ferunt, seorsim asservetur.

ANIMADVERSIO ET USUS.

I. Mindererus hanc Aquam *alio nomine* Chylostagma Diaphoreticum *intitulat*; *laudatur tanquam* optima morborum malignorum Medicina *ex eo, quòd potentissimè* sudorem *pellat*, venenatámque omnem materiam *à centro ad circumferentiam corporis expellat, atque sua subtilitate* corpus *undique pervadens* putredinem *arceat. Unde* peste corruptos adjuvat, febribus malignis & contagiosis adversatur, exanthemata, variolas, ac morbillos expellit. *Præservationis gratiâ etiam commendatur, tempore, quo* morbi contagiosi *grassantur, ad cochlear unum aut alterum sumenda.*

II. *Nobis ob* varia ingredientia calidiora *non tantùm suspecta videtur* Aqua hæc; *verùm etiam potiùs per infusionem paranda citra destillationem, uti de* Aceto Theriacali *monuimus.*

AQUA è TYPHIS CERVORUM.

℞. Cornua Cervi novella, adhuc succulenta, conscindantur in frustula, & in Balneo Mariæ cum pauco vino generoso destillentur. Aqua prolecta servetur usui.

ANIMADVERSIO ET USUS.

In febribus malignis & ardentibus *prædicatur magnarum virium esse, vel per se, vel cum aliis appropriatis remixta vehiculi locò propinatur. Quibus magìs composita aqua præplaceret, talis in* Dispensatorio Viennensium foliò 23. *videri potest.*

AQUA VERONICÆ VINOSA PER FERMENTATIONEM.

℞. Herb. Veronicæ recentis, manipulos triginta sex.

Incisis & contusis affundantur Aquæ Veronicæ simplicis parum calefactæ libræ duæ, cum addita particula fermenti Panis, stent in digestione aliquot diebus, donec aliqua fiat fermentatio, quâ peractâ superaffundantur vini albi generosi libræ duodecim, destillentur lège artis ex Balneo Mariæ ad medietatem.

ANIMADVERSIO ET USUS.

I. Nobis *etsi in* Officinis nostris *rarior usus* hujus Aquæ *hucusque fuerit, magnam tamen propter* suam, *in diversis Affectibus* efficaciam, *laudem meretur*; Junckerus in Conspectu Medicinæ Theoricæ Pract. 2. Edit. fol. 269. Tab. XXX. de Tussi Num 16. *scribit*: Aqua Veronicæ vinosa, quæ post digestionem per octo, decem vel duodecim dies destillando ità parata est, ut Spiritum vini dilutissimum exhibeat, egregiam habet efficaciam discutientem, & in recentiori tum Hectica Hypochondriaca, tum pectorali Phtysica Tussi mirificas subinde virtutes exerit. Conferatur Stahlius in Mater. Medic. Tom. I. p. m. 338. &c.

II. *Usus ejus & dosis est pro ratione ætatis ad unciam unam per se, vel cum* aliis Aquis pectoralibus *commixta. Et exoptandum, ut plures Aquæ simplices hacce methodo & prævià fermentatione præpararentur, hocce enim medio ex pluribus herbis, quæ* insipidas *aliàs* aquas *stillant*, liquorem efficaciorem *obtinere possemus.*

AQUA VITÆ OFFICINALIS.

℞. Cinnamomi acerrimi,
Nucis Moscatæ,
Macis,
Zingiberis,
Caryophyllorum,
Granorum Paradisi,
Cubebarum, ana uncias duas.
Cardamomi, unciam unam semis.
Piperis longi, unciam semis.
Galangæ, drachmas sex.
Zedoariæ, unciam semis.

Pulverisentur omnia seorsim, permisceantúrque, hinc adde

Foliorum Salviæ,
Menthæ crispæ,
Melissæ, ana manipulum unum.

Affunde vini generosi libras duodecim, maceráque vase clausô per dies quatuordecim, postea destillentur in Balneo Mariæ.

ANIM-

ANIMADVERSIO ET USUS.

I. Schrœderus Aquam hanc *aliàs* Aquam Mulierum *nuncupat*; à Berolinenſibus, *qui locò* vini Spiritum vini *aſſumunt*, *ſub titulo* Spiritûs Matricalis *exponitur*. *Nobis ob uſum* utriusque Sexûs *magìs communem*, *nomine* Aquæ Vitæ Officinalis *eam intitulare placuit*; *cùm ùtplurimùm citra* Medici præſcriptionem *à ſanis expeti & bibi ſoleat*.

II. *Vires & uſus ſunt in* corroborando & calefaciendo ſtomacho, utero, *ac* reliquis viſceribus. Flatus *enim* potenter diſcutit, cruditates corrigit, ſuffocationes uteri compeſcit, *ac in* omnibus morbis *ab* utero promanantibus *à plurimis pro* Panacæa *habetur*. *Doſis â cochleari dimidio ad unum*, *imò ad duo*.

AQUA VITÆ DE TRIBUS.

℞. Flor. Chamom. rom. manipulos duos.
Seminis Aniſi, uncias quatuor.
Coſt. dulcis, uncias duas.
Affunde vinum q.ſ. deſtilla f. L. A. Aqua vitæ.

VIRES ET USUS.

Quibus Aquæ Vitæ *præplacent*, *commendamus* hanc, *ſatìs ùt appareat*, ſimplicem, *æquè tamen* guſtuoſam & medicè efficacem. *Quibus non ſatìs* dulcis *viſa fuerit*, *gratia ad libitum ſufficiente quantitate ſacchari conciliari poteſt*.

AQUA seu ELIXIR VITÆ MATHIOLI.

℞. Cinnamomi, drachm. decem.
Zingiberis, drachmas quinque.
Santali Citrini, unciam unam ſemis.
Zedoariæ, drachmas quinque.
Caryophyllorum,
Galangæ,
Nucis Moſcatæ, ana drachmas tres.
Macis, drachmas duas.
Ligni Aloës,
Cubebarum, ana drachmam unam.
Cardamomi utriusque, ana drachmas tres ſemis.
Seminis Melanthii, drachmas tres.
Aniſi,
Fœniculi,
Paſtinacæ ſylveſtris,
Ocymi,
Radicis Angelicæ,
Caryophyllatæ,
Calami odorati,
Phu minoris,
Folior. Sclareæ,
Thymi,
Calaminthæ,
Pulegii,
Menthæ,
Serpilli,
Amarici, ana drachmas duas.
Florum Roſarum rubrarum, drach. tres ſemis.
Salviæ,
Betonicæ,
Rorismarini,
Stœchadis,
Bugloſſæ,
Borraginis, ana drachmam unam ſemis.

Corticum Citri, drachmas tres.

Inciſa & contrita macerentur in libris duodecim Spiritûs vini rectificati per quindecim dies, poſtea deſtillentur, & in prolecto liquore infundantur:

Santali Citrini, drachmæ duæ ſemis.
Ambræ gryſeæ,
Moſchi orientalis, ana drachma ſemis.

Poſt filtrationem addendo:

Julepi Roſarum, libram unam.

ANIMADVERSIO ET USUS.

I. *Medietas* hujus Aquæ *utpotè* completæ *præſcriptô modô paratur; altera medietas* omiſsô moſchô & ambrâ, *dum* incompleta *pro* ſequiori ſexu *expetitur*, *aſſervari debet*, *aut extemporaneè ſemper completari poteſt ad libitum.*

II. *Uſus ejus internus & externus* ſingularis efficaciæ *laudatur*, *quem* Auctor *unà cum* Præparatione Comment. *in* Dioſcorid. lib. V. pag. 907. *deſcribit*; *ubi* vires *ipſi ferè* univerſales *attribuit.* Epilepticos *enim*, & animô deficientes, *qui* loquelam *amiſerunt*, *mirandè reſtituere*, tormina *quoque* abdominis à flatibus *aut* refrigeratione promanantia *ſedare dicitur.* *Additur etiam in* Clyſteribus Colicorum *unciæ pondere*, *præſentaneô auxiliô*, *ubi videlicet* à flatibus & cauſa frigida *provenit* morbus, *ac deſuper adhuc additis* Theriacæ, *aut* Mithridaticæ Antidoti *binis drachmis*: *hinc ad* omnes frigidos affectus Medicamentum hoc *commendatur.* *Doſis ipſius eſt ab una alteráve drachma ad unciam unam & ultra.*

AQUA VULNERARIA DIEPPELII.

Seu

l' Eau d' arquebuſade.

℞. Folior. Ariſtologiæ rotundæ,
Conſolidæ Saracenæ,
Herbæ Arthemiſiæ,
Salviæ minoris, ana manipul. quatuor.
Agrimoniæ,
Alchimillæ,
Bellidis majoris,
minoris,
Betonicæ,
Bugloſſæ,
Fœniculi,
Hyperici cum floribus,
Plantaginis majoris,
minoris,
Saniculæ,
Scrophulariæ,
Verbenæ, ana manipulos quatuor.

Inciſis & contuſis in mortario omnibus affundantur vini albi generoſi libræ circiter duodecim, Stent in infuſione vaſe optimè clausô tam diu in loco tepido, donec inſimul fermentent, tunc Lege Artis vaſis vitreis ex Balneo Mariæ deſtillentur.

ANIMADVERSIO ET USUS.

I. *Quemadmodùm Gallis* hæc Aqua *dicitur* l' Eau d' Arquebuſade, *id eſt* contra vulnera globis ſclopetariis facta; *ità Latinis* Aqua catapultarum *ſeu* ſclopetaria *audit.*

II. *Quis*

II. *Quis* ipſius *extiterit* Authorprimus, *ſeu unde* ſuam *traxerit* originem primam, *ignoramus. Suſpicio tamen nobis eſt non infundata*, ortum *habere ab* Aqua *ſeu* Balſamo alb. vulnerario Dieppelii, *qui* Author *aliàs per orbem literatum ſatis* famoſus *fuit ex* ſcriptis variis, *quæ in lucem edidit ſub nomine* Chriſtiani Democriti. *Inter alia* arcana Chemica & Medica *habuerat ille etiam* liquorem *duplicem* vulnerarium album & rubrum; hic *conſtabat ex* lapide Hæmat. Sale gemmæ, aceto & Spiritu Vini, *aut, ùt alii volunt, ex* lapide Hæmat. cryſtall. tartari & aceto deſtill. & *dicebatur* Aqua *ſeu* Balſamus Dieppelii ſtypticus, *de quo mox plura.* Alter *verò deſtillabatur ex* ſuccis Herbarum vulnerariarum *cum* aceto vini, & pleræque deſcriptiones veriores *habent ſimul* Sal gemmæ & acetum, *quæ tamen apud multos omiſſa ſunt; Conferatur* J.C. Kundtmann. Med. Wratislav. in der Abhandlung vom Verſtand des Menſchen vor und nach dem Fall. Edit. prim. Lib. 2. Cap. 3. §. 28. pag. 219. *Et in* Edit. ult. pag. m. 308. *Item in* Actis Nat. Curioſ. Vol. 2. Obſerv. III. p. 255. *Nec non in Ejuſdem* Rarioribus naturæ & artis in re Medica *nuperrimè in folio editis, ubi etiam* Sal gemmæ & acetum *adſunt*, & *dicit* Author citat. *ſe* hanc deſcriptionem *ex manibus* Dieppelii *accepiſſe in* Hollandia; & *nos ipſi* à Joanne Jacobo Bierbrauer Med. Doct. Dieppelii amiciſſimo, *in* Hollandia ſimilem *accepimus* compoſitionem, *ubi* Sal & acetum *adſunt. Dicitur aliàs* Aqua hæc Dieppelii, *inventum* Berolinenſe, *fortè ex eo, quòd* Dieppelius *aliquando ibidem in carceribus detentus, ob editos ſuos libros, primitus ibidem D. Med. Licent.* Samueli Carlio *portionem* hujus liquoris *extradiderit, qui deinde* Halæ *varias cum* eo *peregit probas; poſtquam verò ex carceribus dictis evadendi occaſionem inveniſſet, in* Hollandiam *abivit, ac ibidem variis ſuis amicis* liquoris ſui vulnerar. *deſcriptionem facilis communicavit* Dieppelius ipſe.

Dum interea plurimæ hinc inde inſtituerentur Aquæ hujus vulnerariæ *probationes & curationes à variis*, rumor *diſpergebatur* maximus *de* ejusdem viribus medicamentoſis *ad miracula uſque. Hìc non tantùm* canibus *clavi ferrei per caput rectè, obliquè, & tranſverſim agebantur, & ope* hujus Aquæ, vulnera *ad ſtuporem omnium ſinè* gravioribus Symptomatibus ſupervenientibus *conſolidabantur; verùm etiam aſſecurabatur* vulnera inteſtinorum & omnium internarum partium læſiones, excepto corde & veſicâ, *virtute* hujus Aquæ, *tutò, certò & ſecurè curari poſſe.*

Annô 1708. in novalibus Hamburgenſibus *nuntiabatur, ùt refert* Kanoldus *de* Peſte Dantiſcana, *adveniſſe ex* Hollandia *ad* Exercitum Anglicum *in Belgio* Virum, *nomine* Peregrine, *qui in præſentia* Ducis *de* Marlebourg *omnes læſiones, imò &* inteſtinorum, *exceptis* cordis & veſicæ *vulneribus, integrè & citò curaverit; diſperſa fuerunt ſimilia per* Exercitum Confœderatorum Cæſareorum, *ac fama etiam ad* Gallos *pervenit*, & Rex Galliarum *dicitur* Authori illi *150000.*

Ludovicorum Aureorum obtuliſſe pro manifeſtatione arcani, *licèt illud nihil fuerit, quàm* Balſamus *ſeu* Aqua vulneraria Dieppelii. *Credibile ergò videtur* Gallorum Aquam ſclopetariam *ſeu* l' Eau d' Arquebuſade *non eſſe aliam, quàm* Balſam. vulnerarium Dieppelii, *licèt expòſt* & Sal gemmæ & acetum *omiſſa fuerint*, *ac* vinum ordinarium *pro deſtillatione aſſumptum*, & variæ aliæ herbæ vulnerariæ & balſamicæ *ſupperadditæ, dum quilibet pro genio & ingenio* deſcriptionem Dieppelianam *augmentare & meliorare attentavit. An autem* hæc noſtra ſuſpicio *de ortu* Aquæ ſclopetariæ *ſubſiſtere valeat*, & *cum* Chronologia, *ubi* utraque Aqua *orbi erudito innotuit*, *correſpondeat*, *decidant*, *qui* hujus rei *majorem & meliorem notitiam habent.*

III. *Variant Authores in* Aquarum harum deſcriptione, *cùm multi* plurimas *ponant* herbas, *eam* ingredientes, *alii* pauciores *habent; omnes in eo conveniunt:* Aquam hanc *eſſe præ cæteris qualitatibus omnibus* ſummum vulnerarium, *adeóque ſicut totus effectus deprædicatur* vulnerarius; *ità etiam totius compoſitionis baſis non videtur eſſe alia, quàm* collectio herbarum vulnerariarum *cum vino* macerata-rum, *ac dein in* liquorem hunc deſtillatarum. Galli *parant* Aquam hanc *ex* herbis vulnerariis multis *& cum* vino deſtillatam, *ſic extat compoſitio ampla in* Codice Medicamentario Pariſienſi pag. m. 183. Aquæ vulnerariæ, *quam nos* Aquam d'Arquebuſade *exiſtimamus. Deſcriptio noſtra, quam dedimus, eſt ex* Diſpenſatorio Brandenburgico, Edit. Erfurdienſ. in Fol. de anno 1734. p. m. 32. *ubi etiam adhuc alia adjecta eſt, & circumferuntur adhuc multò plures aliæ, quæ omnes tamen in eo conveniunt, ùt dictum ſuprà, quod intrent* Herb. vulnerar. & balſamicæ. *Sed ùt prudenter æſtimat* Buchnerus *in* Animadverſionibus ſuis *ad* Aquas ſtypt. Dieppel. *non opus eſt anxio illo herbarum ſelectu; ſed juvat tantùm* herbas vulnerarias, & recentes *ac* ſuccoſas *colligere*, *ac deinde debitô modô tractare*, *eaſdem ſcilicet priùs macerare cum* vino, *ac vel* expreſſum *ex herbis aſſumptis* ſuccum *illis miſcere*, *aut* ſuccolentas *ſaltèm* plantas, *paululum* conquaſſatas *vino immittere*, *ac ſic per tempus relinquere, quouſque incipiant paululum fermentari*, *dein deſtillationem inſtituere*, *ac ſic* liquorem abdeſtillatum ſpirituoſum *uſibus adhibere*; *& hoc iterum fortè multis videri poſſet mirum*, *ejuſmodi ſpirituoſa* ſcopis vulnerariis *poſſe inſervire*; *Sed* J. Juncker. in Conſpect. Chyrurg. Edit. 1ma Tab. Lij. pag. m. 356. Num. 20. *hanc in rem pulchra monet:* Nisi enim herbæ recentes ac ſuccolentæ ante deſtillationem debitè fermenteſcant, omnem bonam ſpem deſtituunt; his accedit imprudens illa opinio non ſolùm Chyrurgorum, ſed etiam nonnullorum Medicorum, ac ſi aqua hæc præcipuam ſuam efficaciam habeat in portione ſpirituoſa, ardente, quæ tamen ſcopo vulnerario adverſatur; magnus certè error verſatur in ſpirituoſis deſtillandis, quæ enim aquæ ſpirituoſæ per ſimplicem abſtractionem ſpirituum ardentium

præ-

præparantur, harum efficacia ita innexa est consistentiæ ardenti spirituosæ, ut ab illa non facilè possit separari, nam cum aquosa succedente portione, nè minimum illius amplius subsequitur. Quæ autem aquæ præmissâ tali fermentatione paratæ sunt, in his crasis sulphureo-volatilis non sola, sed cum tenerrima substantia salina subagitata, adeóque etiam aquositati adhuc sociabilis reperitur. Scopo styptico *seu ad* sanguinem sistendum *solum Spiritum vini* à Gallis *passim adhiberi notorium est. Pro* vulnerum *tamen* consolidatione *ac aliis usibus, ad quos* Aqua d' Arquebusade *adhibetur, ejusmodi spiritus vix* conducibilis *videtur, unde etiam* hanc aquam *tantùm approbamus, quæ ex semi-fermentato liquore abdestillata est, nam aquosum & spirituosum simul connupta sunt, &, ùt* Junckerus *loquitur, crasis sulphureo-volatilis cum tenerrima substantia salina subagitata aquositati sociata. Videtur ejusmodi instituta fermentatio non ità esse completa, ut tòtum sulphureum Volatile in spirituosum ardens possit elevari, adeóque nec destillatione tale seorsim obtinetur, sed spirituosum cum aquoso remixtum; prout curiosis Rossogliorum destillatoribus & hoc suademus: si volunt habere Aquam Vitæ, aquæ sinè turbatione miscibilem, ex quo Phœnomeno nonnulli Iurinensi prærogativam tribuunt, accipiant talem spiritum simili incompletâ fermentatione præparatum, habebunt, qui minùs ardens est, & aquam feret, proùt vel ex solo* spiritu Ceraforum, *Rubi Idæi, Pomorum &c. Experientia probam & confirmationem suppeditat.*

Si verò desideratur Aqua magis styptica, dari potest, quæ cum sale Gemmæ & aceto parata est, ac placet nobis descriptio Kundmanni superiùs cit. quæ apud Authorem videri potest, aut simpliciſſimè. Ità

AQUA VULNERARIA DIEPPELII.

℞. Succi recentis Betonicæ,
Vincæ pervincæ
Pimpinellæ
Semper vivi
ana libras duas.
Salis Gemmæ libram unam.
Aceti optimi mensuras duas.
Misce stent in digestione & deinde ad medietatem destilla, & dicitur *Balsam: Vulner. alb. Dieppelii.* In Silesia appellatur á nonnullis Der Drachische Balsam.

Si cui placet

BALSAM: VULNE: ET STYPTICUS RUBER EJUSDEM.

℞. Lapidis Hæmatitæ
Salis gemmæ ana uncias tres
Spiritus vini & aceti ana quantum satis.
Misce.

ANIMADVERSIO ET USUS.

De utraque Aqua vim Stypticam appromittere possumus, & de primâ asseverat Buchnerus l. c. sequentia: Egregii usûs est hæc Aqua tam in sistendis nimiis hæmorrhagiis violentis, quàm in consolidandis vulneribus recentibus partiũ imprimis carnosarum, quippe quæ solo ejus usu intrà breve temporis spatium, felicissimè iterũ coalescunt.

De

De Aqua ſtyptica rubra Dieppelii *videri poteſt Diſſert: Inaug:* Ioan. Iacobi Bierbrauer *1715 Ultrajecti ad Rhenum habita* De Pharmaco vulgari moderno, ac ſimul de Medea Priſcorum ; *inter Corollaria ſeu* Deſideria *ad calcem Diſſertationis adjecta, hæc fuit quarta*: Anatomicos rogo , ut mihi explicent, quòd, cum cani abſcindo & diſſeco pedem, omnes arterias & venas cum eo, ut sanguis impetu effluat , tamen in momento ſiſtatur, cúm cani per os infundo ſemicochlear certi liquoris , grati , acidi , & parum adſtringentis , ut in puncto ſanguis effluere omittat, ut ne gutta amplius profundatur ? dicant , quomodo in momento liquor ad locum illum perveniat, ut in puncto ſiſti queat ? & ſi ſanguis ità coagulctur , ut ob adſtringentem liquorem fluere nequeat , quomodo canis currere poſſit , quàm primùm relaxatur ligatus canis, & currit tribus pedibus clamans & timens ? & quomodo tunc vivere poſſit , ſi circulus ità impeditus , ut ſanguis nequeat effluere ? *hæc pro tunc defendens.* Joan: Schulzius *in animadverſione ad Diſpenſ. Brandenb. p. m. 38. ad aquam hanc Styptican , ità de illa teſtatur :* tam efficax eſt ad ſanguinem ſiſtendum , illicôque guttas aliquot ori inſundas, omnis hæmorhagia momento ſubſiſtat, ipſemet, *inquit*, multis præſentibus Med. Studioſis Halæ 1716. Cani vivo arteriam cruralem aperui , impetuoſéque proſilientem ſanguinem mox ſiſti & ſuper vulnere denſe coagulari vidi , cum paucas guttulas ori inſtillâſſem. *Paravit præfatus Schulzius aquam hanc ex lap: hæmatit. cryſtall: Tartari & aceto deſtillato ; utramque noſtram Deſcriptionem accepimus 1716. ab ipſo* D. Bierbrauer , *qui tunc temporis Emmerici ad Rhenum praxim faciebat.*

IV. *Quæ demum fata habuerit apud Germanos* Aqua *hæc* Dieppelii *videri poteſt, apud cit. ſuprà I.C.* Kundmann *loc. citat., nec non apud* Philipp. Wilh. Hart-ſœkerum. Suite des conjectures Phyſiques. Acta Erud. *Lipſ. 1709. menſ. Febr. p.* 86. Eph. nat. curioſ. Cent. *V. & VI Obſ. XVII. p. m. 206.* Roſin Lentil. Eteodrom. *menſ. 8. p. m. 972. Ioh.* Kanold Send-Schreiben von der Peſt *p. m. 27. Sicut Balſam. Burrhian. & liquor ejus ophtalmicus ſuam habuêre famam & fata; ità & liquor ille* Diepp: Vulnerarius. G. E. Stahl. Frid. Hoffmann. *aliique varia inſtituerunt experimenta cum liquore hoc & liquoribus etiam aliis, & jam vinum Rhenan: jam nihil inſtillarunt vulneribus, & æquè conſolidatio & curatio dicitur ſubſecuta ; alii vim medicatricem adſcripſerunt aceto , alii herbarum Vulnerariarum ſuccis , alii nulli horum ; videri merentur, quæ habet* I. M: Verdries *in* Eph. nat. curioſ. Cent. *V & VI. Obſ. XVII. p. 206. ubi varia hanc in rem recenſet ac ibid. Profeſſ. Anatom.* Bertholdus *hanc aquam experimentavit , ac hocce de ea judicium tulit*: liquoris hujus virtuti ſingularem hunc effectum non poſſe attribui , ſed vulnus (capitis clavo pertuſi) ità eſſe comparatum, ut naturæ vi medicatrice ſponte conſolidetur atque curetur. *Interea tamen manſit fama & gloria hujus Aquæ non tan-*

tantùm magna apud Gallos in aqua d' arquebusade, dum à Chyrurgis castrensibus magna semper quantitas ad exercitum devehitur; verùm etiam inter Germanos ipse Balsamus Vulneraria Dieppel: *proficuè fuit sæpissimè adhibitus in aliis quàm capitum vulneribus, adeò ut hodiedum utramque aquam experientiâ confirmatam habeamus.*

V. *De cætero usus hujus aquæ sclopetariæ externus talis esse solet; vulnera & ulcera lavantur hac aqua tepefacta, dein superimponuntur lintea eâdem aquâ humectata, sic intra breve tempus vulnera & ulcera consolidantur. Hæc Aqua etiam ad luxationes & alias similes affectiones nervorum à resolutione & flaccidita-te dependentes adhibetur, partem affectam linteis humectatis calidè fomentando. Imò etiam in usus internos trahi solet. vid. Act. Medic. Berolinens. Dec. 1. vol. 3. p. m. 78. ubi in una die 6. & 8. vicibus ad unciam unam vulneratis exhibita legitur.*

IV. *Dispensatorium Viennense etiam habet Descriptionem, undique approbandam.*

AQUA ZEDOARIÆ.

℞. Zedoariæ libram unam.
Infunde in vini albi generosi libris sex, spiritus frumenti libris quatuor, stent per noctem in digestione, postea destillentur ex arena L. A. ad libras sex vel quinque.

ANIMADVERSIO ET USUS.

I. *Usus hujus Aquæ pro scopo Alexipharmaco, & Carminativo expetitur. Aliis semen Anisi & Cortices citri pro ratione superaddere placet, ut magis aromatica reddatur, per nos licet.*

II. *Adhibetur ad flatus discutiendos, frigidam ventriculi intemperiem corrigendam, & concoctionem promovendam, ab uncia semis ad unciam unam.*

DE AQUIS DESTILLATIS SIMPLICIBUS.

ANIMADVERSIO ET USUS.

I. *Aquæ destillatæ ex Vegetabilibus, sequuntur quidem suo modo indolem suorum simplicium; vix autem, imò nequaquam, admitti potest in Aquis his integram esse virtutem eam omnem, quam planta tota possidebat. Pulcherrima hanc in rem monet* H. Boerhave *in Elem. Chem. Tom. 2. p. m. 79. ubi ità:* Monendi Medici sedulò, ut in infusis, decoctis, defrutis, sapis, tales vires quærant. Nonne ridiculus, qui in aqua stillatitia Hordei inerti, vappidáque, nutrimentum vel leve quærit? qui in aqua de carne concisa Caponis nauseosa alimentum obtinendum putat? quis pul-

pulcherrimas acetosæ ipsius virtutes in calidis, laxis, putridis, scatenti bile oppressis, ægris quæreret in aqua destillante de hac herba? inimitabiles Plantaginis vires frustrà aquæ ejusdem imputas: proscribendæ ex arte sincera aniles hujusmodi & puriles ineptiæ, Seria serio! *hucusque* Boerhavius *in terminis, ex quo etiam sequentia congruentissima & doctissima deduci posse videntur, nempe:*

II. Sunt tamen nonnullæ herbæ, quarum virtus hæret in illa parte volatili, quæ destillatione cauta & certa à planta separari potest; in illis enim Aquis ritè paratis residet subinde omnis illa facultas, quæ Decoctis extractisque perit. Sic virtus fl. lavendulæ, lilior: convall: H. rutæ, contra certas Epilepsiæ species, quæ à turbato liquidi nervosi impetu oriuntur, in Aqua stillatitia hæret, in Decocto verò vel extracto periit, quia pars hæc volatilis exhalavit. Econtra vis Antiepileptica Pœoniæ in Decocto manet, in Aqua destillata deest. Nam dantur certæ quædam plantæ Medicatæ, quarum vires medicinales hærent in parte hac volatili, certo caloris gradu, quem mox determinabimus, elevabiles, ità tamen ut his ablatis per destillationem, in certarum herbarum remanentia ejusdémque Decocto remaneant virtutes aliæ etiam facultate Medicinali divites; & huic vel Decocto seu Extracto, exinde per inspissationem parato, sub calore moderato, si illi misceatur Aqua prima abdistillata, habebitur pro potissima parte tota & adunata potestas plantæ datæ.

III. *An in succis herbarum expressis non contineatur tota vis Medica plantæ? meritò controvertitur; licèt enim virtus partium solidarum herbas constituentium huc non ingredi, sed in capite mortuo remanere videtur; cùm tamen potissima virtus Medicinalis Vegetabilium in parte succosa concentrari & consistere videatur, succi Vegetabilium expressi, & sic nullam alterationem passi, jure judicantur possidere efficaciam suorum simplicium. An autem tota hæc virtus, vel quidnam in specie ex hisce succis alembicum superascendat, mox dispiciemus, atque jam prævie insinuatum est sæpius in ipso Decocto vel extracto remanere, dum aliud ope destillationis exinde abstrahi potest, ambo iterum unita, pristinam totius assumpti Vegetabilis pro maxima parte iterum possidebunt.*

IV. *Oportet tamen unius etiam herbæ contrarias non tantùm facultates distinguere & perpendere, nam, exemplum esto: in* Cinnamomo. *Aqua ejus stillatitia prima aperit, calefacit, excitat., movet, stimulat, vomitum sistit &c. Aqua stillatitia ejus secunda, adstringit, frigefacit, naujeosa est; Decoctum verò ultimum, in aheno superstes, colore fusco rubro, opacum, spissum, odore nullo, sapore austero, adstringit, roborat, alvum sistit. Verùm etiam hoc generaliter sciendum est: sub omni tali destillatione prodire* Primùm *Aquam eam, in qua pars volatilis & spirituosa, de quo mox, ubi de Aquis odoriferis dicemus, continetur.* Secundò: *Exit Aqua altera pellucida ùt prior., sed tenuis odore proprio Plantæ carens, imò acidulum*

dulum ſpirans, ùt plurimùm ſapore nativo Plantæ deſtituta, acidula ferè ſemper, vix ſpumoſa, & limpidior, niſi quod filamentis albis flocculentiſque quodammodo ſordeſcat ejus limpiditas; quin etiam, ſi cava Alembici æneiv el ipſius aheni haud accuratè obducta ſtanno, acedo poſtremæ Aquæ ære roſo inficitur, unde non tantùm virideſcit, nauſeoſa, emetica, venenata evadit utentibus; ſed debilibus imprimis, infantibuſque ſurſum, deorſum, acri cum tormine, alvum perturbans exiſtit, proùt Boerhavius Elem. Chem. Tom. 2. p. m. 71. *hiſce ipſiſmet verbis doctiſſimè exponit* ac p. m. 72. *ſuperaddit*: Vim Anthelminticam, quam Medicorum celeberrimi tribuunt aquis quibuſdam deſtillatis, pendere indè quòd aciditas aquæ ultimæ, æs ſolverit, ſicque facultatem hanc, non ſuam, acquiſiverit.

VI. *Conſtat ergò apertò & ſatìs manifeſtè, eſſe* primò : *in plantis ſpiritum quendam volatilem, qui ope certi caloris gradûs in alembicum elevatur.* Secundò : *Eſſe in plantis aceſcentibus ſalem acidum adeò volatilem, ut pariter certo ignis gradu elevetur & à corpore ſuæ ſtirpis ſeparetur, & huic ſpiritui acido ſolummodò ineſt vis ea frigefaciendi &c. Ac pateſcit exinde, ſi abenum ac capitellum vitreum locò æneiv adhibita fuerint, omne æris contagium abeſt.*

VII. *Pateſcit etiam : differentiam inter herbas deſtillationi ſubjiciendas eſſe ſatis magnam. Nam vel ſunt herbæ odoriferæ, aromaticæ, vel ſuccoſæ aut exſuccæ; aut verò ſunt Herbæ odoris & ferè ſaporis magìs experites. Item quod potiſſimum conſtituit diſtinctionem : vel ſunt Herbæ aceſcentes vel alcaleſcentes. Illæ ſunt, quæ facilem ſubeunt fermentationem, hæ ſunt, quæ ſucco acri, & ſale volatili alcalino vel alcaleſcenti præditæ, proniſſimæ ſunt in putrefactionem; utrimque habetur liquor diverſus, ut mox fuſiùs exponemus, ubi de aquarum harum deſtillatione.*

VIII. *Quo tempore colligendæ ſint Herbæ deſtillationi ſubjiciendæ? Reſp. carpendæ ſunt in illo ſuæ ætatis vigore, quo folia illarum jam adulta, cæteræque partes ſe quàm proximè accingunt producendis brevi Floribus & gignendis inde fructibus, ſed prius quàm flores perfecerint & ſemina, quia effœta redditur crebrò virtus plantarum, quam in his Aquis quærimus, poſtquam fructus abſolverunt, ſpecies quippe marceſcentis languoris dein obſervatur. De cætero tempus Auroræ herbis legendis favet optimè, quoniam volatilia tum collecta frigore nocturno & roris lentore coërcita, nondum calore ſolis diſſipata ſunt; Et hæc ità quidem intelligimus, quoties quæſita hoc opere virtus* Aquæ Stillatitiæ *præcipuè hæret in foliis, ùt in* Mentha, Majorana, Betonica &c. *Aliter verò ſe res habet quando in Floribus aut ſeminibus vis aromatica, neque in aliis plantæ partibus deprehenditur,* Roſæ, Lilia-Convallium, *aliáque multa, exemplum præbent; tunc quippe eligendæ ſunt partes florales quando odorem ſuum diffundunt fragrantiſſimum, & carpere quidem oportet floſculos ferè apertos, necdum marceſcentes, matutino rore perfuſos, ex ratione mox dicta; De collectione ſeminum corti-*

cum & radicum ſuo tempore etiam ſua dicemus.

IX. *Hoc unicum adhuc hic præmittendum videtur, ut circa regimen & gradus ignis, deſtillationi adhibendos, nonnulla pariter moneamus prævie. Nemo autem exactiùs & accuratiùs hæc docuit, quam* Boerhavius in Elem. Chem. ubi juxta Thermometrum Fahrenheitianum ignem pro lubitu dirigi exactiſſimè & doctiſſimè demonſtravit. *Sic pro uſu vulgari* deſtillationum Lib. cit Tom. 2. p. m. 70. *ſequentia tradit:* Sub calore 150 graduum per 24 horas jubet primò inſtituere digeſtionem, dein debet focus furni ſub veſica ità inſtrui, donec ebulliat leniter aqva cum herbis, in veſica; ídque cognoſci poteſt audita certa ſibili ſpecie à ruptis bullis ebullientis materiæ nata, aut etiam ſcitur hic caloris gradus, ſimul ac finis roſtri alembici, aut principium ſerpentis, adeò calet, ut lædat attingentis digitos, aut, dum Aqua in refrigeratorio calefacta æſtu ſerpentis impoſiti fumare incipit, ſi quoque gutta cadens de ſerpente guttam illicò ſequitur, ità ut ferè rivulus ſit quaſi continuatus; ex omnibus his notis cognoſcitur calor requiſitus, qui ſi minor, quàm leniter ebullicns, tum non elevabitur vis hìc quæſita; qvando autem nimiùm ignis incenditur, tum tumultuans materies undis tumidis tranſgreditur in alembicum, roſtrúmque ejus, ſicque inquinat liquorem deſtillantem; quin etiam tunc herbis ſimul elatis, ínque ſerpentis cava delapſis, obſtruitur, corrumpitúrque canalis, quare extremo roſtro alembici conſultò telæ raræ fruſtulum artificiosè apponitur, ut ſi fortè id infortunii contigerit, herbæ arceantur ab infarctu in tubum deſtillatoriũ; dein etiam accidit aliud majus, ſcilicet herbæ in roſtro alembici per nimiam ebullitionem aggeſtæ iter aquæ & vapori in canalem deſtillatorium intercludunt, unde ſummo cum impetu diſploditur alembicus, fervidúsque ſe effundens halitus, oculis, vultu, pulmonibus, ſubitò receptus, peſſima damna, quin & mortem incautis dare poterit, quare cautè agat, quicunque prima vice tyro hæc aggreditur. Cæterum quò oleoſa magis, valde tenax, gummoſa, reſinoſa hinc ſpumeſcens in ebulliendo herba, eò plus hujus periculi imminet.

X. *De cætero differre aquam illam, quæ primum exit ſub deſtillatione, ab altera & tertia, quæ ſubſequuntur, dictum eſt ſupra* n. 5. & 6.

Ut tamen interea penitus conſtet, quid ex unaquaque ſpecie plantarum ſpecificè obtineri queat ope deſtillationis, ac quâ demum meliori methodo? dabimus tam herbarum variarum, id eſt tam odoriferarum quàm non odoratarum, ſuccoſarum & plus minùs exſuccarum, aceſcentium & alcaleſcentium, item florum æquè ac foliorum, ſeminum, corticum & radicum, ſuo ſemper tempore collectorum, examen & probam Chymicam. Sit igitur:

Mo-

METHODUS DESTILLANDI AQUAM Ex Herbis aut Floribus Aromaticis & Odoriferis

℞. Plántas, quas lubet, recentes (fol. Flores) mundatis illis bene & discerptis grosse, affunde pro qualibet libra plantarum, libras circiter quatuor aquæ communis, destilla l. a. & prolice liquoris libram unam.

ANIMADVERSIO ET USUS.

I. *Si Plantæ assumantur succosæ, minùs Aquarum iis affundendum est, & sufficiunt sæpius partes duæ vel ad summum tres. Si verò minùs succosæ accipiantur, pro ordinario partes quatuor aquæ iis addere oportet. Idem observandum, si flores destillentur inodori minus succosi, plus Aquæ, si verò odoriferi & magis succosi accipiantur, minus Aquæ addendum iis est, & melior videtur aqua pluvialis quàm fontana, eáque etiam semper affundenda est calens, sic felicior fit partium medicatarum extractio; & aliquando mox post aliquot horas instituì potest destillatio, cum aliis verò saltèm maceratio per 24. horas præmitti debet; & aliunde jam notum est: herbas & quasvis earum partes, ubi recentes assumptæ fuerint, plus dare olei, diutius enim macerando & fermentando oleosum in spirituosum elevatur, unde si vel oleum Plantarum vel Aqua spirituosa exoptatur, patescit clarissimè proscopo priori recentes, pro posteriori maceratas ac plus minus fermentatas herbas esse assumendas.*

II. *Cùm nonnulli flores odoriferi & herbæ, per se sint subinde multùm succosæ, ex eorum succo expresso destillari potest liquor sinè additione alterius Aquæ, & tales appellantur* Aquæ Essentiales, *talem Aquam cum conservatione odoris, saporis, coloris prætendunt Chymicophili obtineri, si herbæ flores, recenter decerpti, ac in lagenam vitream vel stanneam concluſi, immittantur in profundum putei, ubi ùt dicunt, igne frigido resolvuntur in liquamen, cujus liquor supernatans sapore, colore, odore refert, H. flores pristinos, ac vel per se adhibendus, vel destillationi ulteriori adhuc subjiciendus, totam essentiam plantæ vel florum assumptorum exhibere dicitur.* Boerhavius *interea aliam præscribit methodum, quam nos etiam recommendamus.*

AQUÆ ESSENTIALES BOERHAVII.

℞. Plantã (vel flores aut folia ejus) quam volueris, accipiatur autem adulta, & in optimo vigore constituta, recens collecta matutino tempore, rore adhuc respersa, integra, non contusa; habeatur etiam Furnus ex cupro vel stanno, aut etiam è lateribus exstructus, ità, ut non tantùm Alembicus ei commodè superimponi & agglutinari possit; verùm etiam necesse est, ut ad altitudinem trium pollicum illi imponatur crater accommodus, seu lamina proportionata, lata, pura; ponatur herba supra laminam, molliter & non compressa, &

roſtro applicetur excipulum; dein furnô bene clauſô, intrudatur per igniarium ad foculum furni, pruna, una, alterave, coruſca, ſinè fumo, excitetur calor æqualis, non major 85. graduum, Thermometri Farrenheitiani, conſervandus tamdiu, quamdiu liquor aliquis deſtillat in recipientem; tum amotâ hac herbâ nova in idem propoſitum ſic iterum tractari poterit ſucceſſivè, donec ſatis hujus aquæ fuerit paratum.

ANIMADVERSIO ET USUS.

I. *Hæc Aquæ deſtillatio deſcribitur* à Boerhavio in Elem: Chymiæ Tom. 2. Proceſſ. 1. p. m. 14. & ſequ: *& Furnus ejus extat.* Tab. XVII. fig. 2. *& modus ille deſtillandi eſt valde elegans, licèt parùm admodùm de liquore obtineatur. Continent hæ Aquæ primò rorem, qui ſuper foliis hærebat, & qui proprias ſuas habet partes, ut videri poteſt alibi.* 2. *In hoc tamen rore continentur etiam partes plantæ liquidæ, quæ præcedentis diei calore excitatæ & excoctæ, noctu exhalantes, ſunt in hoc rore detentæ, cum iſto concreverunt in unum extrinſecum liquidum, ſæpè ſatis tenax, uti Cera, Manna, & Mel imprimis docent.* 3. *Continetur in ea exhalans Aqua ſeu ſuccus in vaſculis plantæ contentus, & ſpirituoſum fragrans ceu ſpiritus* Rector Bœrhavii *aut Ens appropriatum* Paracelſi, *quod non tantùm ſingularem Plantæ virtutem in minimo eóque ſubtiliſſimo & maximè volatili continet; verùm etiam quod vim propriam ac odorem ſpecificum, ſicuti odor Lavendulæ alius eſt ac Meliſſæ &c. poſſidet, utrumque ſpecificæ virtutis; ac juxta eundem* Boerhavium *huic Aquæ ineſt vis ſeminalis, ac ab hac eſſe adſtruit, quod ejuſmodi Aquæ contrahant mucilaginem ſeu algam quaſi quandam, tenuem ſubalbicantem, in medio hujus laticis ſuſpenſam, quæ quotidiè increſcit & ſeſe magis magiſque extendit, unde poſt annos totus liquor lenteſcere, turbari, ac opacus reddi dicitur; forte hæc Aqua eſt ea, quæ reaffundenda eſt capiti mortuo, ſi Palingeneſiam ſiſtere poſſibile eſt.*

II. *Folia quæ ſuper craticula remanent, ſunt quidem integra, viriditatem tamen amittunt, fiunt fuſca, perdunt habitum plenum ſucculentum, contrahuntur, fiunt minora, rugoſa, leviora, friabilia, odore ferè carent nativo, acquirunt ſaporem aliquantum alienum à proprio plantæ, vires tamen, ſi exinde paretur infuſum, poſſident adhuc aliquas medicatas, ut ſupra de Extractis dictum eſt. Sique ei reddatur Aqua hæc prima mox mentionata reſultare dicitur in hoc novo compoſito totius Plantæ virtus Medica; licèt ejuſmodi reunitiones* Clariſſimus Pott, *in Regno Vegetabili non ità ſuccedere contrà* Boerhavium *aſſerat*, in regno minerali eas facilius admittendas exiſtimans.

III. *Vires harum Aquarum Eſſentialium ſunt admodum eximiæ, nam egregiè ſpiritus & nervos irritant, inertiæ horum & languori iſtorum ſuccurunt bene, ac præſertim in affectibus iis qui ab impetu turbato liquidi nervoſi oriuntur, mira præſtant, ut in* Apoplexia, Epilepſia, hyſterica affectione, venenis expellendis & promovendis ſudoribus &c. *Spiritus*

tus ille Plantarum, in his aquis contentus, res prorsus singularis in unoquoque stirpium genere, est inimitabilis omnino, neque arti producendus ullâ, vires habet igitur sibi soli proprias, mirificè tamen amicas nostris hominum spiritibus. De cætero: sicut singularis est vis uniuscujusque vegetabilis in specie, nam Rosa *aliter, aliter* Lilium; *aliter* Melissa *& rursum aliter* Rosmarinum *odorem afficit, ità & singula horum alium concitant affectum & effectum. Sic hæc propria Vis Plantæ, communi illi, à spiritu Rectore, ut* Boerhavius *vult, procedenti, sæpe præstat contraria. Exemplo est* Hyacinthus Indicus Tuberosus, *cujus spiritus existit fragrantissimus, sed hypochondriacis viris hystericisque fœminis spasmos facit mirabiles.* Ruta, *odoratissimos Spiritus latè diffundit quoque, sed hi corpore humano excepti in iisdem corporibus natos priori odore spasmos, solvunt; imò prætendit* Boerhavius, *tenui huic stirpium vapori deberi stupendos illos effectus, quos in corpore hominis excitant vegetabilia tam evacuando quàm alterando & mutando, probatúmque vult illud ex eo, quoniam principio hoc spirituoso de medicamentis, imò & de venenis sublato aut separato, reliquam molem sine ulla ferè ponderis jactura omni illa efficacia carere asserit. Conferatur hanc in rem* Martin: Kergeri Tract: de fermentatione, *in quo formis prædominantibus aut subjugatis, eminere incipientibus, similem efficaciam Author attribuit. Hoc saltem certum videtur: ejusmodi Aquis essentificatis plurimam virtutem medicinalem esse adscribendam, & tametsi pretiosiores sunt ob paucitatem, quâ obtinentur, quoad effectum tamen efficacissimas ac æstumatissimas, ac inde dignissimas eas judicamus ùt in usus Pharmaceuticos imposterum recipiantur.*

MODUS DESTILLANDI HERBAS Viscosas, Exsuccas, Et Inodoras.

℞. Herbas præfatas, quas placuerit, incisis affunde Aquæ Pluvialis partes quatuor, digere ac macera pro necessitate, deinde l. a. destilla.

ANIMADVERSIO ET USUS.

I. *Jam ex prioribus constat: si vegetabile subjiciatur destillationi, quod manifestè odorum est, tunc pars ejus optima consistere videtur in portione ejus oleosa; & vel sub forma Olei vel spiritus alembicum superascendit. Si verò habetur Planta, plus minùs inodora, & tamen multùm sapida, tunc illa plus continet salis, & virtus quoque medica potissimùm ab eodem sale deducenda, in Infuso, Decocto vel Extracto quærenda. Si verò nec sapore nec odore notabili herba talis sensus nostros afficit, eò quoque minor erit ejusdem virtus medicinalis, uti* P. Hermannus dixisse fertur: sapor nullus, odor nullus, ergò nec ferè virtus ulla.

II. *An ergò Plantæ suprafatæ stillent Aquam medicamentosam? meritò dubitatur; hanc in rem ità judicat* Bœrhavius Tom. 1. Elem. Chym. p. m. 79. *ibidem asserens*: Vires plantarum adstringentes, alen-

tes, aut alcalinæ, consolidantes, demulcentes, emollientes, farinosæ, gelatinosæ, refrigerantes, stipticæ, nunquam arte destillationis Aquis communicari queunt, sed quærendæ in tota plantæ compage, vel in parte ejus fixiore; Ergo Pharmacia levanda tot frustraneis laboribus præparandi tales Aquas; contra Medici monendi sedulò, ut in infusis Decoctis, defrutis, sapis, tales vires quærant. *Unicum fortè admittendum: si tales herbæ in aliqualem fermentationem deduci possent Aquas earum vires aliquas acquirere; De cætero: similes Aquæ adhiberi ad summum possunt, loco alterius Aquæ in vehiculi vicem, sed non ob virtutem specificam, nisi fortè cum* Boerhavio *quis admittat spiritum Rectorem & Ens appropriatum Paracelsi, licèt non adsit multa pars volatilis oleosa, sub tali destillatione simul tamen etiam extillare in liquorem abinde prolectum, de quo conferatur* Boerhavius Tom. 2. Elem. Chem. p. 18. 74. 113.

MODUS DESTILLANDI

Plantas sapidas, succosas, alcalescentes & acescentes.

℞. Herbas recentes, quas placet, minutim concisas, repone ad macerandum, ac elapso debito tempore l. a. destilla.

ANIMADVERSIO ET USUS.

I. *Herbæ* alcalescentes *dicuntur illæ, quæ facilè putrefactionem subeunt; & potissimùm sale volatili acri turgidæ sunt, adeòut vel contritæ aut parum rasæ exhalent vaporem acrem, oculis naribúsque infensum, aut pressæ succum præbent acrimoniâ notabili præditum, ùt sunt* allia, cepæ, squillæ, raphani, cochlearia, esula, sinapi, tabaca &c. Acescentes *verò Plantæ sunt, quæ faciliùs in speciem fermentationis aguntur. De ambabus hoc notandum: omnes absolutè quidem herbas posse putrescere, sed non omnes æquè fermentationi esse aptas.*

II. *Plantæ fermentatæ dant spiritum vinosum inflammabilem, acescentia*, originali imbutum; *Herbæ putrefactæ exhibent spiritum alcalinum urinosum volatilem, inde formatur conclusio: qui vult habere* spiritum *vel* Aquam spirituosam vinosam, *debet vegetabile illud, ex quo talem spiritum desiderat, prius plus minus fermentari. Qui vult* Aquam *vel* spiritum urinosum, *debet illud prius putrefactioni permittere. Sed observandum hìc, ut jam monitum, licèt omnia fermentabilia possint putrefieri, non omnia tamen putrefacienda queunt ideo & à contrario etiam fermentari, ex quo sequitur alterum: Non ex omni vegetabili posse obtineri spiritum vinosum inflammabilem acescentem, qualem herbæ alcalicæ aut alcalescentes multum, nunquam suppeditant.*

III. *Herbæ ergò acescentes, recentes, etsi succosæ & sapidæ ac sale multo imbutæ vix largiuntur Aquam spirituosam, nisi prius fuerint maceratæ ac paululum fermentatæ. Plan-*

tæ

tæ alcalescentes adhuc liquorem stillant sale aliquo acri infectum, diutius verò maceratæ aut putrefactæ spiritum volatilem urinosum largiuntur; sunt & Plantæ mediæ, quæ tam in fermentationem quàm putrefactionem inclinant juxta manipulationis & digestionis diversitatem, unde etiam si posterius nolumus, Herbis concisis aut contusis sal commune additur, quod & macerationem & resolutionem adjuvat, æquè ac putrefactionem impedit; sicut pariter additio fermenti cujuscunque acescentem fermentationem promovet & procurat. Utrimque autem obtenta Aqua vel spiritus diversæ etiam est efficaciæ & virtutis medicinalis, quod per se ab Artis Medicæ Tyronibus facillimè capitur.

IV. *Cum de reliquo in Officinis nostris paucæ admodum extent Aquæ, maceratione fermentativa præparatæ, easdem ulteriori usui parandas, Practicis commendamus. Conferantur supra dicta de* Aqua Veronicæ vinosa per fermentationem, *& in specie Aquas Absynth. C. B. Cent. min. Cochlear. Fumar. Melissæ. Alenth. Ruth. Salv. Scord. &c. &c. methodo alterutrâ multò meliores & efficaciores haberi posse, totaliter persvasi sumus, & hac lege facultas herbarum illarum, quarum virtus aliàs in Infuso, Decocto vel Extracto remanere consvevit, in Aquam destillatam pro multa parte cogi potest.*

V. *Aquas quarumvis herbarum destillatas exaltare possumus in virtutibus & qualitatibus suis, si semel abdestillatæ, novis iteratò Herbis reaffundantur, & aliquamdiu insimul macerentur, tunc utique liquor demum prodiens, multò erit magis medicinalis, & efficacior, ùt patet in Aqua* Chamomillæ Dorncreilii, *Aqua* Melissæ composita, *si liquor rimus super novas herbas aut flores recohobetur.*

VI. *Volunt etiam nonnulli, ut de spiritibus ac aliquid de Oleo proprio Plantæ, Aquæ abinde destillatæ certis Artificiis reuniatur, ac abinde Aquas Essentificatas efficere volunt; sed ut supra jam dictum, ejusmodi reunitiones in regno vegetabili sunt difficiles, & præstat potiùs unâ fidelià Aquas fermentatione prævia in magis spirituosas exaltare.* *Conferatur p. 68. n 3.*

VII. *Aquas è fructibus, si fuerint multum succosi, sine additione Aquæ, destillare convenit, prævia tamen maceratione ac post incipientem fermentationem; si minùs succosi fuerint, libram unam vel alteram Aquæ affundere licet, & eodem modo digestio vel fermentatio præmittenda prout plus vel minus spirituosæ eorum Aquæ desiderantur. Sic destillantur Aquæ* Cerasorum, Fragorum, Rubi Idæi, &c.

VIII. *Dum verò cortices, ligna, & similia destillare placet, si ea fuerint odorata aromatica, sine longa maceratione, cum s. q. Aquæ destillandæ sunt; si minùs aromatica, longiori digestione & extractione opus est; idem observandum, si semina destillationi subjicienda sunt; & regula quasi generalis est: farinacea ferè omnia, non dant liquorem bonum, nisi prævie macerata, ac plus minus fermentata. Et hæc interea sufficiant, nec vacat plura superaddere. Igitur ad alia, quæ in ordine sequuntur, & quidem sit:*

AR-

ARCANUM CORALLINUM.

℞. Mercurii vivi, optimè purgati, unciam unam.
Spiritûs Nitri rectificati, uncias quatuor.

M. Digere ac solve Mercurium in hoc spiritu Nitri; dein eum rursus per retortam, igne sat intenso, avoca, idque repete ter, ignem augendo fortiùs, sic reducetur in præcipitatum rubicundissimum. Postremò spiritus vini rectificatissimus super hoc Mercurio, in pollinem trito, deflagret aliquoties.

ANIMADVERSIO ET USUS.

I. *Quomodo Mercurius pro hoc, aliisque laboribus, purgari debeat, innuemus de Mercurio acturi.*

II. *Mercurius hic dicitur reduci in præcipitatum rubicundissimum. Evidens est: nullibi esse præcipitationem veram, sed spuriam, id est potiùs evaporationem spiritûs nitri & soluti Mercurii calcinationem. Igne quidem, ùt dicitur, satis intenso, sed tamen non fortissimo, aliàs Mercurius in Aërem avolaret, nàm licèt Chemicorum multi existimaverint Mercurium geminato sic opere posse figi, ac aurum demum nasci, prout* Sylvius *in Posthumis habet, nemo tamen voti sui compos factus legitur, nec prudentiores fidem promissis adhibent, licèt de Mercurio præcipitato albo, ùt infra audiemus, cum luna calcinata, Auri micam observari confirmet* Clarissimus D. Pott in M. S. super Chem. Boerhav: p. m. 211, ad Proceſſ. IV. Parte 3. de Mineral. *De ordinario per additionem Salis alcalini, calcis vivæ, limaturæ ferri ac institutâ destillatione per retortam reobtinetur pristinum pondus & forma Mercurii vivi.*

III. *Color Mercurii hujus satis rubicundus est, coccineus plerumque, supra tamen hanc massam inter collum, & in collo retortæ, perstat undique Mercurius diversi coloris, qui diversâ acrimoniâ differt, solus rubicundus, in usum trahendus. Color ejus etiam modificari potest, si denuò calcinetur in tigillo ad lubitum vel super lamina ferrea per arundinem aurifabrorum vel fistulam tabacariam.*

IV. *Mercurius hic rubicundus ob colorem appellatur* Arcanum Corallinum, *sed sicut Mercurius mille colorum Protheus est, ità etiam hic dici potest*: ô formose puer! nimium ne crede colori, *Remedium est mercuriale, quod acidum acre nondum satis intimè conjunctum habet, & quô illud magis ab extra mercurio adhæret, eò violentiùs & insecuriùs agere assolet. Quapropter etiam pauciſſimi Authores Mercurium hunc Præcipitatum rubrum usibus Medicis internis adhibere consueverunt, quem tantùm Chyrurgis ad externas ulcerationes & carnis luxuriantis exesionem similesque usus septicos permittunt. Deflagratio igitur cum spiritu vini, hujus acrimoniæ & virulentiæ correctorium existimatur, ùt habet* Paracelsus, Helmontius *aliique, ast vix satis abundè. Nam licèt ope* spiritûs vini,

aci-

acidum Nitri *simili fortè modò mitigari dicant, ùt in* Spiritu Nitri dulci *experimur, vix tamen hæc mitificatio sufficiens est, ac inde cum* Boerhavio *judicamus* usum hujus Mercurii *non satis esse tutum; Novimus verissimè* in Anglia Mercurium hunc *cum oleo Tartari per deliquium, ac dein per Spiritûs vini deflagrationem correctum, meliora præstitisse; Conferatur* Casparus Neumann in Lection. M. S. Cap. de Mercurio p.m. 206. *ubi hoc medicamentum idem nuncupari dicit* Princes Poudre, *prout etiam hìc Pragæ* Pilulæ *admodum* famosæ *sunt, dictæ* Wrschowicianæ, *quæ constant ex* Mercurio præcipitato rubro per aquam calcis vivæ edulcorato, *ac dein ad lubitum per ignem in tigillo, vel ope tabacariæ fistulæ super lamina, ad colorem lateritium calcinatus, licèt aliàs eum, qui auroræ adinstar tinctus est, præferendum velint fautores* Arcani hujus. *Plura vide infrà, ubi de* Mercurio.

ARCANUM DUPLICATUM MYNSICHTI.

℞. Caput mortuum à destillatione aquæ fortis, ex vitriolo & nitro paratæ, residuum, optimè calcinatum, extrahatur cum aqua calida sal, liquor decantetur, ac probè filtretur, dein per debitam exhalationem inspissetur, & inspissatum de novo calcinetur, & hic labor solutionis & inspissationis aliquoties repeti potest; demum solutio debitè inspissata reponatur ad locum frigidum, ut in crystallos abeat, L.A. exsiccandas.

ANIMADVERSIO ET USUS.

I. Medicamentum hoc salinum *meliori jure dicitur* Nitrum vitriolatum *seu* Sal duplicatum; *olim sub nomine* Panacææ Holsaticæ *sæpiùs carô admodùm pretiô divenditum fuisse testantur Authores. Multis, postquam* ejus præparatio *innotuit, visum fuit de virulentia suspectum, præsertim, dum experientia etiam nonnunquam dedit, tam* tormina, *quàm* hypercatharses ab hoc sale *patientibus fuisse excitatas; inde etiam adhuc hodiedum à multis cum metu & timore circa illegitimam præparationem præscribitur, præsertim etiam ex eo, quia* Zwelfferus in Mantissa Spagyr. Part. 2. Cap. 11. p.m. 407. *multas difficultates* contra remedii hujus præparationem & effectus *movet, sed ùt judicat* Clariss. Buchnerus & Junckenius, *præter necessitatem; licèt enim* Zwelfferus aliique *existiment* aliquid spirituum corrosivorum in capite hoc mortuo *remanere, qui deinde* noxam corporibus humanis *inferant;* Peritiores *tamen* in rebus chemicis *hodiedum* hujus Corrosivi Correctionem *agnoscunt, dum* acidum vitriolicum in terra alcalina nitri *verè invertitur ac planè alteratur; nam sicuti certum videtur:* hoc medicamentum *nil esse aliud, quàm* Sal medium, ex acido vitrioli & nitri terrâ alcalicâ sub destillatione aquæ fortis productum; *ità portio, si quæ remanserit, ab ipso vitriolo, magis acida aut acris, vel si pertimescantur, particulæ metallicæ ferreæ vel cupreæ restitantes in* dicto capite mortuo,

ſequentibus modis earum correctio obtinetur certiſſimè.

II. *Si ergò in* ſale Arcani duplicati *adhuc inhæreant* particulæ metallicæ ferri aut cupri, *quæ poſteriores facillimè excitant* vomitum, cardialgias, tormina, aliásque irritationes periculoſas; *tunc primò non tantùm* caput mortuum *Aquæ fortis primum, probè adhuc calcinandum eſt; verùm etiam inſpiſſationis maſſa ulteriùs ſemper adhuc pari calcinatione exurenda, & ſub quavis ſolutione & filtratione, ac inſpiſſatione ad hocce ſedulò attendendum eſt, ut* ramenta metallica *plenariè abinde ſegregentur & abjiciantur; dein etiam diſquirendum*: An acidum vitrioli per alcali ſufficienter ſit ſaturatum? *hócque ipſum exploratur* partim guſtu, partim viſu; *ſi enim vel* ſapor acidus, *vel* color virideſcens *in ſolutione obſervetur*, alcali *deeſſe videtur; hujus verò certitudo melior adhuc haberi poteſt, ſi ſolutioni inſtilletur* oleum Tartari *per deliquium vel* aliud alcali (*nos præferimus* nitrum fixum alcaliſatum *vel* ejus liquorem) *ſi tunc* efferveſcentia *exoritur*, ulteriori ſaturatione *per* hoc alcali *opus eſt; & tali modô non tantùm* acidum vitrioli, *quod ſuperabundaverat, corrigitur & mutatur in* ſal neutrum; *verùm etiam* partes metallicæ ſub tali ſaturatione *ad fundum præcipitantur, ac ſic omnis metus* malæ præparationis & mali effectûs *meritò abeſt; hoc tamen etiam obſervandum, ut in fine Cryſtalli* prognatæ *aquâ affusâ ritè abluantur.*

III. Arcanum duplicatum *præparandi* brevior & extemporanea *poteſt eſſe* methodus: *ſi accipiatur* liquor nitri fixi, *vel potiùs* ſimplex nitri alcaliſati ſolutio, *eidémque inſtilletur vel* oleum vitrioli *vel* purior vitrioli ſolutio, *quouſque non ampliùs ad invicem efferveſcant; ubi* omnis pars metallica *ad fundum ſeceſſerit, &* efferveſcentia nulla *ampliùs obſervatur, tunc* liquore *probè* filtrato *ac* inſpiſſato, *per repetitos tales labores obtinetur* Sal *non tantùm verè* analogum, *ſed veriſſimè* idem, *ùt ex* capite mortuo aquæ fortis. *Intereà cavendum pariter, ut* ſolutio vitrioli *non contineat* multas partes metallicas, *aut ſi* oleum vitrioli *aſſumptum fuerit, nè illud* cupri ramenta *poſſideat, ubi dein, ſi reliqua depuratio non ritè inſtituatur,* ſal *utique accipietur* emeticum, *& variis modis lædens ac nocens; Præter hæc etiam & hoc monendum eſt*: Arcanum hoc, aliáque talia ſalia enixa *non eſſe paranda per* inſpiſſationem *ad* ſiccitatem, *ſed eò uſque* ſolutiones *evaporandæ ſunt, ut* ſalia *per* cryſtalliſationem *ex* ipſo liquore *obtineantur, quod pariter de* Tartaro vitriolato parando *dictum volumus, ſub* cryſtalliſatione *enim purior pars in* ſal *abire ſolet, ubi ſub inſpiſſatione* maſſa *etiam* heterogenea *in* unum magma *denſatur.*

IV. *Vires* hujus Salis duplicati *ſunt incidentes, reſolventes, ac, ùt loqui amant, digeſtivæ; nec tantùm* hoc Sal medium, *in* humorum viſcidorum colliquatione *ac* deterſione *conducit egregiè; verùm etiam*

etiam in affectibus biliosis *cum absorbentibns* remixtum, *efficaciter prodest*, *ob* nitri terram, & vitrioli acidum; *num vero præ* Tartaro vitriolato *prærogativam habeat*, *vel* hic *præ* illo? *videbimus infrà*, *ubi de* Tartaro vitriolato; *hoc unicum hodie monentes*: *Si* acidum vitrioli *cum* terra alcalica salis communis *facit* Sal mirabile Glauberi, *quod in quibusdam differt* à Tartaro vitriolato; *Conferatur* Boerhav. Elem. Chem. Tom. 2. Proceff. XLV. pag. m. 413. aliisque. *Si* Spiritus nitri sali communi affusus *facit quidem* nitrum regeneratum, *ast non* pyramidale *vel* prismaticum, *sed* cubicum, *dubitari posset*: an ob alcali salis communis diversum ab alcali Salis Tartari? vel ob remanentiam salis acidi, quale in sale comuni est, & de quo nonnihil remansit fortè in terra alcalica; *Eodem modo controverti potest meritò*: An non pariter sal enixum ex acido vitrioli & terra alcalica nitri diversum erit à sale enixo ex acido eodem vitriolico, cum terra tamen alcalica Tartari prognato?

V. *Solutio* Arcani duplicati, *frigori aut exhalationi liberæ in aëre aperto exposita*, curiosam *exhibet* vegetationis speciem, *dum superficies tota primùm lanugine densa obducitur*, *dein etiam quasi* pubescentia plantularum ramosarum *observatur*, *adeò mirè*, *ut hac methodo palingenesiæ possibilitatem ex* hoc phœnomeno *nonnulli deduci posse voluerint*, *præsertim dum* Marcus Marci ideam operatricem *in* Salibus *radicari docuit*, *quam hodiedum* Boethavius à Spiritu Rectore, *qui cum* aquis essentialihus *alembicum superascendere ei asseritur*, *provenire tradit*. *Conferatur* Boerhavius *de* Nitro vegetante, & D. Petit Gallus, qui juxta Neumannum, Tract. de Nitro, de hac Vegetatione comentatus est satis curiosè.

VI. *Dosis* hujus Salis *est* à scrupulo uno ad drachmam unam, *præsertim si* scopo laxandi *propinatur*. *Datur aliàs communissimè & congruentissimè cum* absorbentibus ostracodermatibus, conchis, lap. ocul. cancr. *nec non proficuè cum* Pulvere Rad. Ari *ad* cruditates viscosas corrigendas. Chyrurgis *etiam inservit ad* fungositates carnosas exedendas, *præcipue in* partibus sensibilioribus, *sed nonnisi in* subtilissimam pollinem *redactum*.

ARCANUM TARTARI, *seu* TERRA FOLIATA TARTARI.

℞. Salis Tartari, libram unam.

Aceti vini, quantum sufficit, solvendo & saturando Sali Tartari, affunde acetum sali per vices, donec nullam amplius adverteris effervescentiam, dein liquorem affusum abdestilla, prodibit phlegma insipidum; residuo sali rursus reaffunde novum acetum, & iterum abstrahe liquidum, prodibit cum tempore acidulum, & tamdiu labor hic affusionis & destillationis repetendus

eſt, donec Sale alcalico per acidum aceti probè ſaturato, acetum demum redièrit ejusdem qualitatis, utì affuſum fuerat, remanente in fundo materiâ nigricante, quam l. a. purificare ac in terram ſeu ſalem plùs minùs album reducere poteris, vel etiam in liquorem aqueum, aut Spiritu vini diſſolvendum.

ANIMADVERSIO ET USUS.

I. Tartarus Paracelſo *quidem variè accipitur, dum non tantùm talem* in vegetabilibus *ſtatuit, verùm etiam* in animalibus & mineralibus; *imò* corpora quævis lapidea, arenoſa, lutoſa, & viſcoſa, Tartari nomine *appellat. Nobis ſignificat* Sal eſſentiale Vini, *hoc eſt*: Materiam oleoſo-ſalino-terream, *quæ poſt* fermentationis motum, & plurimarum impuritatum fœcúmque factam eliminationem *ad* latera doliorum *ſub* forma plùs minùs verarum cryſtallorum *deponi ſolet.* Tartarus hic vini *conſtat ex* Terra alcaleſcente, acido vegetabili, & oleoſo pingui. *In ſe & per ſe eſt* ſal acidum, *dum verò igne potentiori calcinatur* hoc oleoſum *cum* acido & terreo ſuo principio *abit in* verum Sal alcali, *ùt pulcherrimè expoſuit* Clariſſimus Neumann in Tract. de Salibus alcalino-fixis. Hoc Sal Tartari *ità* calcinatum & alcaliſatum *aſſumendum eſt pro labore noſtro.* Huic ſali *affundendum eſt* acetum. *An iſtud neceſſariò eſſe debeat* acetum vini *vel etiam* cereviſiæ? *diſceptant Doctiores.* Deſtillatum *plerique præferunt ex eo, nè* maſſa tartarea *nimiùm evadat* oleoſa *ac* impurior, *cùm* illud, *quod non deſtillatum eſt*, magma copioſum ſulphureo-pingue *in ſinu ſuo recondat, ac dum idem minùs* acidum *eſt*, major *ejus* copia *pro ſaturatione requiritur. Dummodò probè* acidum *extiterit, utrumque &* cereviſiæ & vini deſtillatum *ſatisfacient intentioni deſideratæ, ſicut hodiedum* Spiritum vini *è vino vel frumenti*, ejusdem virtutis *eſſe, defendunt complures, ùt ſuô locô audiemus, niſi quis* acidi vinoſi *ex vino inclinationem & proportionem majorem ad* alcali tartareum vini *comprobare poſſet.*

II. *Curioſum eſt: dum prima vice affunditur acetum* Sali Tartari, *vix animadvertitur* efferveſcentia, *dubiô procul, quia* acidum hoc vegetabile *aliqualiter* debilius *videtur; dum verò bis vel ter affuſio continuatur, ut* acidum *incipiat prædominari, & præſertim ſub ſecunda & tertia affuſione jam* major *ſuboritur* ebullitio *cum* prævia ſpumeſcentia, *& quò* acetum *fuerit magis* macrum, maſſa remanens *etiam erit minùs* nigreſcens, *utpote dum* color hic & *quaſi* carbo tartareus *ab* oleo aceti *provenire videtur.*

III. *An* acetum affuſum *ope deſtillationis ſit* abſtrahendum vaſibus clauſis, *num verò ſufficiat & laborem facilitet atque acceleret* ſimplex evaporatio? *ex eo deciditur, quia aliunde ſub laboribus primis nîl aliud, quàm* portio aceti phlegmatica *abſtrahitur*, nullis *ſpecificè* uſibus *inſerviens, niſi quòd juxta* Wedelium aqua hæc *ad* depuratio-

nem

nem opii *adhiberi possit, sed ad quid?* *si* opium acidis *corrigere juvat*, acetum plùs minùs dilutum *vel* fortius *assumere consultum videtur.*

IV. Hoc Medicamentum *passim apud Authores diversos*, diversa *obtinuit* nomina, *plerumque dicitur*: Terra foliata Tartari, *ex eo, quoniam si* lento temporis spatio *cum expectatione patienti inspissetur & exsiccetur* massa, *sub proportionato ignis gradu, jucundo spectaculo apparebunt primò* bullæ salis soluti *per* crustam salinam *in* superficie sicca prorumpentes, *quæ humido evaporato, in* forma *pariter* salina priori crustæ salinæ, *jam* siccatæ, *insident; & hac ulteriùs ratione* massa *in* miram *successivè* molem *extus & subtus ità increscit, ut superiùs* crystalliformis, *inferiùs verò* lamellarum tenuissimarum *adinstar, levissimè sibi invicem* appositarum, *appareat, unde nomen dictum* Terræ foliatæ *sortita videtur massa descripta. Cùm verò hæc* Terra foliata Tartari, *ità* calcinata, *facillimè ex aëre attrahat* humidum, *ac abinde liquescat, unde etiam rariss imè in* forma sicca *conservari ac præscribi assuevit, inde plerumque sub nomine:* Liquoris Terræ foliatæ Tartari, *in officinis extare assolet. Alii verò agnoscentes* indolem & qualitatem saponaceam hujus medicamenti, *virtute cujus tam in* liquore aqueo, *quàm etiam in* quovis spirituoso *dissolvitur facilè, ac* vires vinosas *in eo concentrare ac augere volentes*, massam inspissatam *iteratò solvunt in* Spiritu vini, *ac sic appellant* Arcanum Tartari. *Cur* Arcanum *quærit* Neumannus? *fortè quia* conjunctio & concentratio Salis alcalici *cum* proprio acido, *cum* proprio oleo, *ac* spiritu proprio arcanam & incognitam antiquis regenerationem novi Tartari *efficit. Unde etiam* Boerhav. Element. Chem. Tom. 2. Proceff. LXXVJ. p. m. 266. hoc medicamentũ *tractat sub nomine* Tartari regenerati, *tenerioris tamen & magis depuratæ, ac inde efficacioris est texturæ & compositionis. Aliis* Terra foliata Tart. *in sicco, dicta fuit* sal essentiale vini, *ùt habet* Zwelffe-rus, *quod tamen magis ipsi* Tartaro communi *quadrat, ùt dictum superiùs. Alii appellant* Magisterium Tartari purgans, *ùt habet* Schrœderus. *Sed cur litigandum de* nomine? *Verba valent, ùt nummi. Suo jam tempore* Bern. Swalwe in Tractatu de acido & alcali p. m. 131. *sub nomine* Tartari regenerati *sequentia notabiliora de* hoc medicamine *edidit, dum ità scripsit*: Sal Tartari medium vivificativum est, quatenus multiplices subit formas, ab acido superveniente; qui combibens acetum vini in Tartarum transponi rursum potest. Ex illo eodem Spiritus prolectus oleiformis, vix alius, quàm qui ex Tartaro crudo, nisi quòd aceti bonitatem consequens sit. Aliunde autem suam causam habet, quòd faciliùs liquescat regeneratus Tartarus. *Cujus* causa *omninò* miranda, *cùm aliàs* Salia quævis enixa *huic deliquescentiæ non ità sint* obnoxia; *ratio autem phœnomeni videtur in* casu nostro, *quòd* acidum vegetabile *videatur* mitius, *& non*

ità fixans alcali proprium, *ac ſi* acidum minerale potentius *affuſum fuiſſet. Dein etiam quia* maſſa præparata *videtur eſſe* naturæ ſaponaceæ, *tum plùs* alcalinæ, *nondum ſatis* ſaturatæ *ac ſic per ſe* facilioris deliqueſcentiæ, *& præſertim dum per* calcinationes fortiores maſſa *exſiccatur*, *ac* oleo ſuo *& ſimul* acido *privatur*, *quod præcipuè accidere ſolet*, *ſi* terram hanc foliatam magis albeſcentem *deſiderant*, *quod utique* calcinatione *obtinetur*, *ſed penes* virtus ſaponacea *perit*, *unde non immeritò monet* Neumannus Tract. de Sale communi, Tartaro, Sale armoniaco & formicis pag. m. 144. terram foliatam Tartari albidiorem *non* æqualis *eſſe* virtutis *cum ea*, *quæ plùs minùs* nigricantem, *ac ùt aliqui exiſtimant*, viliorem *habet* colorem.

V. Quantitas aceti *ad hunc laborem*, *plerumque eſt ùt* XIV. *ad unum id eſt* ad unciam unam Salis Tartari *requiruntur* unciæ XIV. aceti boni. *Ex his ſi* acidum genuinum, *quod in* ſale *reſtat*, *in computum trahatur*, *erit proportio ferè hæc*: *Ad partes* XX. alcali, *partes* IX. acidi concentrati, *nam* uncia una ſalis Tartari *augetur in pondere* Terræ foliatæ *ad* drachmas tres & triginta aliquot grana, *unde* acidi *in* ſale remanentis portio *intelligi poteſt*, *nec non* quantitas acidi *in* aceto. *An* Tartarus ſolubilis, *aut* Tartarus tartariſatus *ſit* analogum *cum* Terra foliata Tartari, *vix aſſeret*, *qui novit* illum *parari ſinè* combinatione principii oleoſi, *quod in* aceto *eſt*, *& in* terra foliata Tartari *maſſæ conjunctum. An locò* Salis Tartari *nequeat etiam aſſumi* Sal Herbarum combuſtarum, cineres clavellati, nitrum alcaliſatum, *vel* ſoda *aut* terra ſalis communis, aliúdve ſal alcalicum, *diſpiciemus*, *ubi de* Tartaro vitriolato *acturi ſumus. An* Sal Tartari *poſſit ope* aceti *volatiliſari? pariter ad* alia tempora, aliámque *ad* quæſtionem & occaſionem *ſpectat*: *Hoc unicum monendum ſupereſt*: *laborem omnem quidem in* vaſe fictili *peragi poſſe*, *ſed tutiùs & meliùs erit in* vaſis vitreis *cuncta peragere. Plura qui volet*, *adeat* Diſſertat. Gotth. Zeidler von Roſenberg / 1730. Jenæ habitam ſub Clariſſ. Teichmeyero. *Item* Diſſert. de Arcano Tartari 1732. Halæ ſub Excell. DD. Junckero expoſitam. *Nec non præ aliis legi meretur* Boerhavius l. c. *ubi de* Tartaro regenerato.

VI. *De cætero virtutes* hujus Medicamenti *quod attinet*, *ſi ritè præparatum eſt*, *ſunt eæ admodùm eximiæ*: Boerhavius *in compendio eas complectitur*, *ità diſſerens*: Qualitatem habet ſaponaceam, *id eſt*, abſtergentem, aperientem, penetrantem, ſuper omnia medicamenta nota; Vidi, *inquit*, ſanè mira per hoc medicamentum præſtita, liquefacit enim omnia obſtinatiſſima obſtruentia; hinc ad ſcyrrhum curandum, mihi optimè ſucceſſit, dum ſenſim malum reſolveretur, prout & alii Authores teſtantur, ſcyrrhum hepatis inde curatum. Uſus *aliàs eſt* polychreſtus, *dum in* Affectibus hypochondriacis, nephriticis,

cis, cachecticis & uterinis infarctibus, *ac* indurationibus resolvend s *ac* educendis *efficaciter operatur*, *aliquamdiu tamen continuandus. Sicut in* discutiendis tumoribus induratis *multum laudatur*, *ità in* resolvendis *specificè* strumis *deprædicatur. In* Mensium vitiis pituitosis *ac præsertim* fluore albo, *nec non in* affectibus Gonorrhaicis *proficuè etiam exhibetur.* Alvum *laxat*, urinam *promovet*, viscositates *attenuat*, glutinosum *resolvit*, infarctus *deoppillat*, *& sic multis modis prodest. Si* semivolatilisatum *defenditur*, *hæc omnia in excellentiori gradu possideri*, *omninò cum* Helmontio ejúsque assectis *asseri potest. Imò accedere videtur ad naturam alcahest*, *dum* Helmontius *huic* illud vicarium *substitui posse tradit*, *saltèm pro* optimo menstruo rerum extrahendarum & dissolvendarum *semper inserviet. Dum ad intra adhibetur*, *dosis est*: à drachma semis *ad* drachmam unam *in* vehiculo proportionato; *cum tamen sit* medicamentum pretiosum, *& ùt loquitur* Schulzius, pauperum crumenas superans, *dari ejus locô potest*, *non tam* Tartarus tartarisatus, *ùt alii volunt*, *sed quod melius asserit* Boerhavius, solutio cinerum clavellatorum *cum* vigecuplo aceti *facta*, *cocta*, *& filtrata*, *quæ æquivalens in* operando *illi æstimatur.*

AURUM FULMINANS.

℞. Auri per antimonium fusi ac debitè repurgati, laminati & minutim inciśi, seu lima-

ti subtiliter, unciam semis, seu q. p.

Solve in s. q. Aquæ Regiæ l. a. hoc est: sub igne lampadis solutionem in cucurbitâ parvula promove, vel in arena liquorem digere. Solutione factâ, si quid adhuc restat non solutum, iteratò Aquam Regiam reaffunde, aut si aurum impurum fuerit assumptum, scito: remanentiam ipsam esse ex *liga*, ùt appellant, cupri vel argenti, quæ separanda & abjicienda est. Dein solutionibus affunde in vitro capaci ol. Tartari per deliquium, seu Sal Tartari in aqua pluviæ solutum, sensim & guttatim, donec pulvis aliquis ad fundum cadat, qui calamô subinde movendus est, & desuper rursus instilletur oleum vel solutio Salis Tartari, quousque aurum sub forma pulveris, coloris lutei, præcipitatum in fundo subsideat, & aqua solvens clara desuper ac limpida persistat. Hoc facto: experiri poterit, an debita præcipitatio peracta sit, affulis aliquot adhuc guttis olei seu solutionis Tartari; dein liquorem supernatantem clarum & album decanta, & aurum præcipitatum, aquâ modicùm calefactâ sæpiùs affusâ, edulcora, donec nulla amplius acrimonia vel salsedo percipitur; Pulvis remanens in umbra suâ sponte, vel leviśimo igne exsiccetur, cavendo solis aut ignis notabiliorem calorem, imò etiâ sub trituratione non tantùm leniśimè teratur in mortario vitreo vel super porphyrite; verùm etiam minor ejus quantitas pro una vice assumatur in terendo,

nè incauto ſub labore fulminationem concipiat nocivam, ac detrimentum inferat.

ANIMADVERSIO ET USUS.

I. *Quid* aurum *ſit in* ſuis principiis conſtitutivis, *non tam diſceptatur, quàm*, veriùs loquendo, *ignoratur*; *ob* quatuor *tamen* qualitates planè ſingulares *non incongruè deſcribitur ità*: quòd ſit metallum perfectum coloris inter flavum & fulvum medii, maximè ſolidum, ſeu fixum, ponderoſiſſimum, ductile, ac quòd omnia ſua principia arctiſſimè invicem mixta & compacta habet. *Qualitates ergò* auri *dictæ ſunt:* ſplendor, gravitas, fixitas & ductibilitas. *Dicitur aliàs* aurum, *Chemicis* Sol, *quâ autem ex ratione? non vacat id hodie pluribus diſquirere. Audit etiam* Rex metallorum, *ſed unde? fortè ex* uſu civili & politico, *nam ad* uſus cõmunes hominum, ferrum *multò videtur* præſtantius. *An ergò ob qualitates ſuprafatas*, prærogativam *obtinuit? aſt nec has juvat hìc perquirere; ſed hac vice exponimus ſolummodò, quòd* aurum *ope* aquæ Regiæ *ſolvi ac parari poſſit, methodô deſcriptâ*, pulvis, *qui paſſim dicitur* aurum fulminans, *aut ùt alii appellant*, ſclopetarium. *Quid ſit* Aqua Regia, *ac quomodo paretur, dictum eſt ſuprà* p. m. 54. *Docuerunt plures* aurum *ſolvi poſſe*, oleô vitrioli, ſpiritu ſalis, *aut* ſpiritu nitri *utrimque* purô & ſolitariô, *aſt non reſpondet* effectus Theoriæ, *debet eſſe* ſpiritus nitri *cum* ſpititu ſalis, *vel potiùs* ſpiritus ſalis *cum* ſpiritu nitri remixtus, *aut idem cum* aliquo urinoſo *acuatus*, *& nullus* horum ſpirituum *ſeorſim ſolus* hanc *poſſidet* virtutem aurum ſolvendi. *Controvertitur à nonnullis*, *an* ſpiritui ſalis, *num verò* Spiritui nitri prævalentia *debeatur*. Ipſum *quidem* ſal marinum aurum *ſatìs bene ſolvit*, *ſed ideo*, *quia in eo* aliquid nitri *eſt*, *quod tamen non facit* Spiritus ſalis, *in quo nihil* nitri *continetur*; *econtra* Aqua fortis *vel* Spiritus nitri aurum *etiam ſolvit, dummodò ei quantitas quarta* ſalis armoniaci *addita fuerit*, *& nonne tunc à potiori tamen* liquor ille *exiſtit* nitroſus? *aliàs in communi a pleriſque* effectus *adſcribitur* Spiritui ſalis, *qui ope* nitri *vel* aliquo urinoſo *eò exaltari debet*. *Conferantur ſuprà de* Aqua forti *dicta*, *& exiſtimat* Clariſſimus Hoffmannus *ex* nitro *vel* urinoſo ſali communi *accedere* ſubtile ſulphureum, *quod* hæcce ſpicula ſalis communis *acuificet*, *quæ ſibi ſola relicta* hunc impulſum & vim penetrantem *ac* diſſolventem *non haberent*. *Quidquid hanc in rem ſtatuendum ſit*, *relinquimus* Doctioribus; *interea in aprico eſt*: Aquam Regiam *eſſe* liquorem *ſuô modô* duplicatum, *ex* acido ſalis communis & nitroſo *vel* urinoſo compoſitum.

II. Aurum *pro* hoc labore *aſſumendum ſemper ſit* optimum, *id eſt* probè purgatum *ab* inquinamentis aliorum metallorum, *præſertim* à Venere, *nam* ejusdem remanentiæ *paſſim adſcribitur* vis deleteria, *quæ ab* auro fulminante *ſæpiùs obſervata fuit*; *licèt ſub* ipſa

ſolu-

solutione auri *in* Aqua Regia, additamenta auri *ab* eadem aqua *non solventur*, *sed in* fundo cucurbitæ *remanent* intacta *& non* soluta, *hinc abjicienda seu seorsim asservanda.* Liga *seu* additamentum comune *in* nummis nostris *seu* Ducatis aureis Cæsareis *est* argentum, *in* Hollandicis, *ut* monetarii nostri *affirmant*, cuprum; *si ergò* horum nummorum lamellæ *assumuntur*, *facilè scitur*, *quid non solutum remaneat.* Aurum *ergò per* antimonium fusum *vel* methodò *adhuc* exactiori purificatum, *pro* parando auro fulminante *optimè inserviet*, *& si aliud assumptum fuerit*, *probè attendendum est*, *ut* additamentum Ligæ pulveri præcipitato *non maneat permixtum.*

III. Præcipitatio hæc *duplici viâ institui potest*, *vel cum* solutione alcali fixi, *vel per* alcali volatile, Spiritum Salis armoniac. aquos. &c. Priori methodô *obtinetur* plus pulveris aurei, *sed* minùs fulminantis; *per* alcali volat. *acquiritur* minùs auri, *sed* plus fulminantis, *ideo etiam* nonnulla Dispensatoria *suadent adhibere utrumque liquorem.* De cætero: *sub ipsa* hujus remedii *Præparatione*, *præter superiùs dicta*, *sequentia quatuor adhuc observanda sunt*: 1. Ut solutio ante affusionem alcali diluatur aquâ calidâ, portione circiter decuplâ, aliàs difficiliùs succedit præcipitatio. 2. Sub præcipitatione ad punctum saturationis attendendum, aliàs vel non omne aurum ex liquore decidit, quod & color hujus liquoris testatur, vel, si nimium de liquore alcalino affundatur, perit vis fulminans; 3. Præcipitatus crocus ritè abluendus est, & edulcorandus, aliàs periculosas edere solet operationes; & 4. Cum provida & cauta circumspectione siccandus & terendus est; exsiccatio optimè fit in umbra, aut saltèm sinè magno calore; nam sub fortiori agitatione triturationis æquè ac sub calore exsiccationis majori, facillimè pulvis hic accenditur, & cum fragore & damno adstantium disploditur, ac omnia diffringit. *Exempla extant passim multa apud Authores*; Conferantur Acta Curiosor. Natur. & Medicor. Wratislav., in Notis ad Dispens. Brandenburg. citata ab Excell. Buchnero. *Inde suadent Authores*, *si* lævigatione *vel* trituratione aliqua *adhuc opus est*, *ut* pauxillum *semper* hujus calcis *assumatur*, *&* pistillum ligneum, *nè fortiori pressione ac attritu* incalescentia *excitetur.*

IV. *Quoniam* Pharmacopœi *passim ex* aureo uno *seu ex* drachma una auri, *in* Aqua Regia soluti, *acquirunt* auri fulminantis *circiter* scrupulos quatuor, *apertè patescit*: accrementum hoc *unicè à remanentia salium* auro *immixtorum deducendum esse*; *ac idcirco mox monitum est*, *ut* pulvis præcipitatus *ritè abluatur & edulcoretur ab* hisce salibus acribus, *alioquin vel* tormina *vel* hypercatharses *facilè causantur*; *quòd si verò* salia omnia (*quod quidem admodum difficile*) *aut pro* maxima parte *auferantur*, vim diaphoreticam *ei* fautores *adscribunt*,

bunt, *alii verò* vim medicamentosam *perire asserunt*; virtus aliqua stimulans, omnibus calcibus metallicis communis, *ùt superiùs de* Antimonio Diaphoretico *dictum, remanere fortè dici posset, eámque & augere & augeri*, *si* aliis stimulantibus, *præcipuè* salinis, *remisceatur*, *prout nonnulli* ipsum Antimonium Diaphoreticum, *alii verò* Tartarum Vitriol. & similia salia neutra huic calci superaddenda, *suadent*; *sed partim* hic pulvis *ex* natura sua *ob* salia remanentia, *partim ob* succos acidos *in primis viis sæpius* existentes, & *adhuc faciliùs ob* salia *noviter* superaddita & remixta, vehementiùs irritare, *ac* copiosiùs evacuare *non tantùm potest*, *sed & solet*.

V. Virtus *aliàs* medicamentosa hujus calcis aureæ *deprædicatur à multis admodum* magna, *dum non tantùm* quà purgans *aut* evacuans, *verùm etiam* quà speciale carminativum, sedativum & anodynum *ac* antispasmodium egregium *decantatur*. *Vide sis* Teichmeyeri Instit. Chem. pag. m. 214. *ubi in* doloribus abdominis desperatissimis, colica spasmodica, *cum* alvi obstructione pertinaci, *adhuc hodiedum potenter laudatur*. *Ab aliis verò* usus hujus pulveris *reprobatur*, *tanquam* periculosus, & remedium *asseritur* infidum & *non satìs* securum. *Conferatur* Stahl. in Diagram. de veræ πρεσξενηρίδεως Med. Pract.. vera dignitate, *dum ibidem* intestina *abinde dicuntur fuisse* perforata. *Communissimum est*, *quòd* Diarrhæam *excitare assolet*, *videatur* Ludovici in Pharmacop. moderno sæculo applicata Diss. 1. p. 182. *Item*: Scripta Stahlii & Alberti contra P. Wolffium occasione similis Casûs publicata. Funesti *certè* plures casus *hinc inde apud Authores extant* multi, multi *itidem* glorioſi & favorabiles. *In* Affectibus Hydropicis *ac* Tympanitide *plures cum* Euphoria *exhibitum asseverant*. *Alii*, *ùt suprà dictum*, *in* affectibus & afflictionibus colicosis *illud deprædicant*; *imò & in* morbis infantum à strigmentis glutinosis, *primas vias* obsidentibus, *crebrò utiliter propinatum*, *testantur plures*, *etsi etiam* salia neutra superaddita *fuerint*; Conferatur Lentilius in Miscell. Medic. Pract. Part. 1. p. 26. & sequent. *Item in* Eteodrom. p. 135. *Alii referunt ejusmodi in casibus*, *infantibus tenerioribus* debilitates & anxietates *plerumque concitari* tantas, *ut mors in olla*, *vel præ foribus adesse videatur*. *Hoc etiam speciale observârunt* Clinici: *quòd fœces plerumque secedant post* assumptum hunc pulverem *nigræ*, *aut* variis coloribus *tinctæ*, *ùt de* Martialibus assumptis *constat*, *unde autem hoc ipsum ortum habeat*, *disquirendum vice alia*.

VI. *De* auro hoc fulminante *aliàs* trita *est* sententia, *aut* vulgaris *potiùs* error, *illud deorsum tantùm sub* accensione *seu* fulminatione sua *agere*, *dum econtra* pulvis communis pyrius *effectum hunc superiora versùs edere dicitur*. *Sed si* vasculum, *in quo* accensio *fit*, cooperculô *tegatur*, *vel* cochlear, *in quo* fulminatio *instituitur*, florenô *tegatur*, *ad ulnas aliquot*, *testante* Teichmeyero, *in altum ille proici-*

jicitur, unde hodiedum in aprico est: aurum fulminans *& sursum & deorsum & lateraliter*, vim suam explosivam *exserere, ubicunque* resistentiam *invenerit.* Hanc vim fulminantem *aut* tonitruantem huic croco *vel* calci auri *posse adimi modis diversis, tradunt diversi. Si post* præcipitationem, acidum *potentius & præsertim* vitriolicum *affundatur, aut etiam, si tantùm* flores sulphuris *eidem commisceantur, & abinde deflagrentur*, vis fulminans *sublata est. Idem fit, si* nimia saturatio *per* alcali fixum *facta est. Econtra restitui etiam semper potest* vis hæc fulminans, *si* calci *reaffundatur* Spiritus alcalinus, salis armoniaci, urinæ, &c. *vel* solus *etiam* spiritus vini, bene oleosus, *aut ad* reabsorbendum acidum affusum *oleum* Tartari *per* deliq. *Unde autem* hæc vis fulminans *dependeat, adhuc sub judice lis est.* Doctiores *eam oriri prætendunt*, à virtute inflammante nitri, *seu* à sale armoniaco nitroso; *sed de his aliisque qualitatibus & earum reductionibus* auri fulminantis *videatur* F. Hoffmannus in Observ. Physico-Chymicis Cap. de Auro lib. III. Observat. XX. p. 365. *& seq.* Junckerus in Conspectu Chemiæ Tab. XXXIII. pag. m. 858. Junckenius in Corpore Pharmaceutico aliique.

VII. *Prostant adhuc in Dispensatoriis aliis*: Aurum Balsamicum, Aurum Horizontale & varii croci auri, *de his posterioribus dicemus, ubi de* crocis. Aurum Horizontale *immeritò dicitur* Cinnab. *cum* Sacch. & oleo Cinnam. *remixta*; *vocatur potiùs* Panacæa Kornmanniana, *cujus* duplicem descriptionem *habet* Wepferus in Observationibus suis, *videatur* Observat. 135. & 634. *imò* Pulvis aureus Cellensis, ejusdem *fermè est* compositionis, *nunquam tamen verè* aurum, *sed cujus vires ex* Cinnabari & oleo cinnamomi *petendæ videntur. Si verò* Aurum fulminans, *oleo* cinnamomi, *vel ol.* Juniperi, *aut ol.* rorismarini, *vel oleo* vini *irroretur, ac* digestio aliqua *instituatur, fit* aliquid solutionis bonæ, *ùt infrà audiemus, ubi de* Tincturis auri.

BACILLI DE LIQUIRITIA.

℞. Pulveris rad. liquiritiæ, uncias duas.
Sacch. albi, libram unam.
Croci orient. scrupul. unum.
Tragacant. q. s. c. Aqua pectoral. solut.
M. F. l. a. Bacilli, calore fornacis exsiccandi.

ANIMADVERSIO ET USUS.

I. Bacilli *ex* rad. liquiritia *adinstar* penicilli *in alterutra extremitate discerpti, distinguendi sunt* à Bacillis his, compositionis medicæ; *& quemadmodum ex* Massa Trochiscorum Becchicorum, *simili methodo formari possunt* Baculi albi, nigri, rubri, *ità istos appellandos censemus* Becchicos flavos.

II. *Vires* horum Bacillorum

ſunt demulcentes & incraſſantes, ac inde in Affectibus pectoris catarrhoſis, tuſſi, raucedine, phthyſi, *ſæpe conducunt, quatenus* materiam acrem, tenuiorem, & volubilem *ac* rejectioni aptiorem *reddunt, atque etiam* moleſtiorem irritationem *mitigant.*

BALSAMA.

BALSAMUS ABSYNTHII MYNSICHTI.

℞. Olei Nucis Moſchatæ expreſſi, uncias duas.
Abſynthii vulgaris,
Nardini compoſiti, ana unciam unam.
Maſtichis, unciam ſemis.
Abſynthii deſtillati, drachmam unam.
Menthæ criſpæ,
Thymi, ana drachmam
Caryophillorum, (ſemis.
Macis, ana drach. unam.
Miſc. & fiat L. A. Balſamum juſtæ conſiſtentiæ.

VIRES ET USUS.

Ventriculo inunctum ejus frigiditati coctricem ac retentricem vim roborando, cibi aviditatem excitando, flatus conceptos diſſipando, *mirificè conducit*; *nec non* ad cæliacos, ſtomachicos, colicos, & dyſſentericos cruciatus *valde utile*; cerebri *quoque &* nervorum frigidis affectibus *opitulatur.* Ità Author.

BALSAMUS APOPLECTICUS.

℞. Olei Nuciſtæ expreſſ. & colat. unciam unam.
Olei Anthos,
Caryophillorum,
Cinnamomi, ana ſcrupu-
Lavendulæ, (lum unum.
Ligni Rhodi,
Majoranæ,
Ruthæ,
Succini, ana ſcrupulum ſemis.
Balſami Indici nigri, drachmã unam ſemis.
M. c. ſ. q. fuliginis ſuccini, vel Bolet. Cervin. f. l. a. Balſamus.

ANIMADVERSIO ET USUS.

I. Varii *variorum Authorum* Balſami apoplectici *paſſim extant*; omnes *tamen in eo potiſſimùm* convenientes, *quòd* pro baſi *habeant* oleum Nuciſtæ expreſſum, *cui dein* alia olea deſtillata aromatica ætherea *ſuperadduntur*, *ac miſcelæ* horum oleorum *potiſſimùm vires omnes* eorum *adſcribendæ videntur*; Mynſichtus *inter alia exigit* oleum Roſarum verum, *ſed quis illud parare novit? aut* quantum *quis etiam* meliori artificio *ſibi obtinere confidit? inde plerumque* oleum ligni Rhodi *locò* ejus *ſubſtituitur.* Veteres *etiam* ambram, moſchum, & zibethum *addere ſolebant*, &

Bal-

Balſamum completum *appellabant; hodiedum paſſim hæc omitti aſſolent, quia pauci* has graveolentias *ferunt*, & Sexus fœmineus *planè abhorret* à ſimilibus, *unde conſultiùs omittuntur.*

II. Ejusmodi Balſama *in* debilitatibus, deliquiis, convulſionibus, apoplexia *applicantur, & inunguntur* naribus, vertici *ac* pulſibus, *ut* ſpiritus *excitentur* & vires *refocillentur*, & *nonnunquam cum* fructu, *ubi* malum *ex* inanitione, *ùt loqui amant, provenerit*; *dum verò* malum *ex* congeſtione ortum *habet*, ejusmodi remedia expanſiva *non ſemper conducunt.*

BALSAMUS ARCÆI.

℞. Terebinthinæ Venetæ,
Gummi Elemi, ana unciam ſemis.
Sevi hircini caſtrati, uncias duas.
Axungiæ porci non ſalitæ, unciam unam.

M. f. l. a. ung. ſeu Balſam. hunc in modum, ut primò gummi Elemi ſolvatur in terebinthina igne leniori, dein axungia & ſevum liquefacta commiſceantur exactè.

ANIMADVERSIO ET USUS.

Uſitatiſſimum eſt hoc Balſam. *in* Belgio & Gallia, *ac hodiedum paſſim per* Germaniam *ad* vulnera & ulcera recentia carne implenda, *nec non in* læſionibus nervorum, *unde etiam* ad luxationes & contuſiones *nonnulli adhibent.* Galli *præſertim poſt* operationem *hoc ſolo* vulnera *conſolidant*; & noſtris *inſervire ſolet* pro digeſtivo. Uſum *tamem* & parandi rationem *videat, qui volet* apud Authorem Franciſc. Arcæum Chyrurg. Hiſpan. in Tract. De recta curandorum Vulnerum Ratione, pag. 22. & 43. *ubi obſervabit* præparationem modernam *aliquantum differre* ab Authoris invento, *ùt etiam habet* Schulzius.

BALSAMUS BURRHY.

℞. Picis navalis,
Reſin. alb. ana uncias duas.
Myrrh. rubr. unciam unam.
Gummi Galban.
Olibani, ana unciam ſemis.
Storacis optimi, uncias quatuor.
Benzoës, unciam ſemis.

Pulveriſata M. & affunde

Olei Olivarum, libram ſemis.

Coque lento & cauto igne, dein immiſce lentè & per vices Gum. Arab. in vin. ſolut. unciam unam ſemis, & ſucceſſivè etiam

Sang. Draconis, unciam ſem.
Caryophill. ar. drachm. duas.
Ceræ Virg. libram ſemis.
Olei Laur. unc. unam ſemis.

Coque ad conſiſtentiam aliquam ac per linteolum filtratis iterum adde

Olei Terebinth. unc. ſemis.
Rorismarini, drachmas duas.

Olei Jaſmini, unciam unam
Majoranæ, (ſemis.
Ruthæ, ana unciam ſemis.
Nucis Moſchat. expreſſ. unciam unam ſemis.

Coque iterum igne lento, & ſub finem adde

Balſami Indici nigri,
Opobalſami veri, ana unciam unam.
Olei Lavendulæ, drachm. duas.
Spicæ, drachmas ſex.

Et ſi completum deſideras, adde etiam

Moſchi & Zibethi ana ſcrupul. ſemis, quæ ſolvi queunt in oleis mox dictis.

M. F. L. A. Balſam. ſervetur uſui.

ANIMADVERSIO ET USUS.

I. Balſamus hic *aliàs etiam dicitur* Innocentii XI. in ſicco; *in* Sileſia *appellatur* Der Liebenthaleriſche Balſam; *adſcribitur* Famoſo Burrho, Innocentii XI. captivo, *& hinc inde* variæ ejus deſcriptiones *circumferuntur*. Excellent. D. C. G. Reuſnerus *etiam in* Eph. Nat. Curioſ. Cent. VI. Obſerv. XXXI. pag. 258. aliquam ejus compoſitionem *divulgavit*, *in qua* axungias nonnullas *commemorat*, *quarum nullam nos* in ulla deſcriptione *vidimus*; *de cætero pleræque* cum noſtra *conveniunt*, *niſi quòd hinc inde* differentia *ſit in* doſibus ingredientium. Methodus *aliàs* præparandi hunc Balſamum *in arte peritis aliunde* nota *eſt*, *nempe quid* priùs, *quid* poſteriùs *immiſcere oporteat*. Nos *ſecuti ſumus* Methodum, *prout nobis* communicata *eſt*, *& hocce modò* Virgines Moniales Liebenthalii, *ac* Balneatorem loci, *nomine* Vulter. Balſ. hunc *parare*, *non infundatè nobis aſſeveratum eſt*. *Hoc ſpecialiter obſervandum*, *quòd* ſub additione Balſami Indici & Opobalſami omnis pix & reſina *facilè ex eo ſecedant*. *De cætero eò animitendum eſt*, *ut tam* odor oleorum Balſamicorum *conſervetur*, *quàm* color *procuretur non nimis* nigricans, *ſed obſcuro-fuſcus*.

II. Virtus & laudes ejus *non tantùm* per longiſſimas decantationes deſcriptæ, *verùm* typis *etiam* impreſſæ, *circumferuntur*.

III. Viennenſium deſcriptio *ab aliis dicitur* Balſamus Burrhy apoplecticus, *à noſtro deſcripto* diſtinctus; *imò hìc* Pragæ *habetur* Balſamus Burrhy fœtidus *à mulieribus* adamatus, *& alio nomine etiam dicitur* Der Laſchansckiſche ſtinckende Balſam / cujus Deſcriptio *cum illa* Viennenſium *fermè eadem ac ità eſt*:

BALSAMUS BURRHY FOETIDUS.

℞. Olei Nuciſt. expreſſi, unciam
Ruthæ, (unam.
Majoranæ,
Anthos,
Succini, ana deſtillator. drachmam ſemis.
Olei deſtill. cran. human. fœtidi, q. ſ.

M. f. l. a. Balſamus cum moſco & ambra ad lubitum completandus.

BALSAMUS CARYOPHILLORUM.

℞. Olei deſtillati Caryophillorum drachmam unam.
Nuciſtæ expreſſi, quantum ſufficit.

Fiat Balſamus juſtæ conſiſtentiæ, qui tingatur Pulvere ſubtiliter trito Caryophillorum.

ANIMADVERSIO ET USUS.

I. Vires ejus *dependent* à Caryophillis, *quæ in oleo ſunt concentratæ*; Uſus *æquè in* capitis & nervorum Affectibus, *ùt aliorum*, extrinſecus *eſt*.

II. Ejusmodi Balſami plures *ex* ſimplicioribus oleis *confici poſſunt*, *quò meritò referuntur* Balſam. Cinnamomi, Citri, Lavendulæ, Macis, Majoranæ, Roſarum, Succini, *omnes* hacce methodo *præparandi*.

BALSAMUS COELESTIS.

℞. Radicis Pœoniæ,
Acori, ana unciam unam.
Seminis Pœoniæ, (nam.
Ligni Viſci Quercini, ana unciam ſemis.
Florum Anthos,
Roſarum rubrarum,
Lavendulæ,
Tiliæ,
Papaveris erratici,
Nymphææ, ana manipul. ſemis.
Camphoræ, drachm. unam.
Santali rubri, drachm. duas.
Extract. Caſtorei, drachmam unam.
Eſſentiæ Opii, drachm. duas.
Spiritûs Sanguinis humani, libram unam.
Spiritus Vini rectificati, libram ſemis.

Inciſa & contuſa ſtent in infuſione in vitro bene obturato, & lutato in loco calido, ad minimum unius menſis ſpatiô, dein ſervetur uſui.

ANIMADVERSIO ET USUS.

I. Deſcriptio hæc, Celebri Practico Pragenſi D.D. Dobrzensky *debetur*; *paſſim & frequentiùs hodiedum ob* ſingularem ejus virtutem energeticam *in* omnibus Affectibus apoplecticis, epilepticis, ſyncopticis, & hyſtericis *adhibetur*. *Doſis eſt* à guttis quinque *pro* ratione ætatis *uſque ad* viginti.

II. *Quomodo* Spiritus Sanguinis humani *parandus ſit*, *dicemus ſuô locô*. Extractum Caſtorei & Eſſentia opii *adduntur ultimatim*.

BALSAMUS EMBRYONUM.

Vide

AQUAS.

BALSAMUS è GALBANO.

℞. Gummi Galbani, libram ſemis.
Olei Terebinthinæ, libras tres.

Digerantur in cucurbita vitrea leni

leni calore per quatuordecim dies; postea destillentur, & adde

Olei Lavendulæ, unciam unam.

Digerantur iterum aliquamdiu, & si demum cum Spiritu vini circulentur omnia, tenue & penetrantissimum evadit Balsamum.

ANIMADVERSIO ET USUS.

Alio nomine etiam dicitur Galbanetum Theophrast. *quamvis potiùs* Balsamus hic Sennerto *debeatur, qui etiam vult* omnes digestiones *cum* subsequa destillatione *instituendas esse, qualem* nos *pro* prima vice *fieri posse admittimus, de reliquo* digestionem & circulationem *sufficere existimantes. Usurpatur pro* inunctionibus *in* Affectibus paralyticis, & uterinis.

BALSAMUS HYPNOTICUS MYNSICHTI.

℞. Olei Nucis moschatæ express. drachmas quinque.
Rosarum vulgaris,
Violarum,
Nymphææ, ana drachmas duas.
Sem. Hyosciami expressi,
Papav. albi expressi,
de Lateribus seu Philos.
Benzoini, ana drachmam unam.

Misce fideliter, & postea adde sequentia:

Unguenti Populeonis, unciam unam.
Medullæ Cervinæ, drachmas tres.
Opii Spiritu Vini soluti,
Extracti Croci Orientalis, ana drachmam unam.
Ambræ & Moschi,
Olei Rosarum veri, ana scrupulum unum.

Misce & fiat juxta artem Balsamus.

ANIMADVERSIO ET USUS.

I. Ambra & Moschus *omitti, & facilè pro* ratione petentis *addi possunt. De* Oleo Rosarum vero *suprà dictum est, ubi de* Balsamo Apoplectico.

II. Usum & vires *sequentes tribuit Author* huic Balsamo, *nempe quòd* naribus & pulsibus temporum & bracchiorum, *nec non si opus*, auribus & pedum plantis *inunctus*, somnum *suaviter conciliet*, & dolores capitis *mitiget.*

BALSAMUS JACOBI DEL PINTHO.

℞. Olibani,
Myrrhæ,
Mastichis,
Aloë,
Sarcocollæ,
Storacis cal.
Benzoë, ana unciam semis.
Olei Hypericonis, libram unam semis.
Ceræ Citrinæ, uncias tres.
Colophonii,
Terebinthinæ Venetæ, ana unciam unam.

Colaturæ refrigeratæ adde

Axungiæ humanæ,
Olei Petræ, ana drachmas sex.
Spicæ, unciam semis.

Olei Ju-

Olei Juniperi ex baccis, drachmam unam.

M. Fiat Balſamus ſecundùm artem.

ANIMADVERSIO ET USUS.

Hic Balſamus *ab aliis dicitur* Vulnerarius Italicus; *inſervit commodè in* gravibus exulcerationibus renum, veſicæ, pulmonum, aliísque viſcerum internorum læſionibus, *dum in* ſuppurationes *abiverunt*, *abſtergit egregiè*, & conſolidationem *æquè promovet*; *ac* ipſam *etiam* ſanguinis *alicubi* ſtagnantis diſcuſſionem & reſolutionem *procurare dicitur*, *ſed* prudenter *exhibitus*. Doſis *communiter eſt adinſtar* nucis avellanæ, *in* cereviſia calida *vel* juſculo *aut* decocto appropriato.

BALSAMUS INNOCENTII XI.

℞. Flor. Hypericon. libram unam,
Thuris maſculi, unciam ſemis.
Styrac. Calam. uncias duas.
Benzoës optim. uncias tres.
Aloës ſuccotr.
Myrrhæ elect.
Croci Auſtriaci, ana unciam ſemis.
Radicis Angelicæ, unc. unam.
Terebinth. Venet. unc. ſemis.
Balſami Peruvian. ſicci, unciam unam.
Spiritûs Vini rectificati, menſuram unam ſemis.

M. F. L. A. Balſamus, cui ſi moſchi & ambræ addideris ad ſcrupulum ſemis vel unum, habebis *Balſamum completum*, dum ſinè his paratus, *incompletus* dicitur.

ANIMADVERSIO ET USUS.

I. *Attribuitur* hoc Medicamentum *quidem* INNOCENTIO XI. Pontifici Maximo, *ſed alii id* Burrhyanum *aſſerunt*, *ac inde etiam illis dicitur*: Balſamus Burrhy in liquido, *ut contradiſtinguatur ab* altero Balſamo Burrhyano *ſuperiùs* pag. 89. *deſcripto*; jure potiori *dici poſſet*: Tinctura Balſamica Burrhyana.

II. Modus *procedendi & præparandi* optimus *eſt*, *ut non omnia ſimul & ſemel infundantur*; balſamus *enim* & balſamicorum virtus *adhæreſcit tenacius* reliquis ingredientibus, *à quibus difficulter ſecedit*; *inde juxta* noſtram methodum *primò* Flores Hypericonis ſoli & *per ſe ſimpliciter in* Spiritu vini *infunduntur*; *dein* Spiritus *pulchrè* tinctus *decantatur cum expreſſione fortì*, & *reaffunditur* Radic. Angel. *ac* Croco. *reliquæ verò ſpecies* gummata & balſamica *priùs cum* liquore nitri *vel* liquore *ex* Tartaro & nitro præparato *macerantur*, & *dein iis* Eſſentia *ſeu* Tinctura priorum *demum affunditur*, *ac ſub* convenienti digeſtione *exſpectatur* Specierum Solutio *aut* Extractio *ac ſic acquiritur* Tinctura Balſamica, *ſeu* Balſamus *in* liquido.

III. *Vires* hujus medicamenti *decantantur admodum mirandæ*, &

 hanc

hanc in rem conferri possunt plures schedæ *variis in locis typis* impressæ. Potissima virtus *dicitur* vulneraria & balsamica *eò usque, ut* omnem putredinem *etiam à carne aëri libero & subtus fimeta sepulto arcere credatur, & quæ non sunt* laudes aliæ hyperbolicæ? *in* externis vulneribus & ulceribus *sæpè egregia præstat, nec non in* læsionibus & exulcerationibus internis, viscerum, pulmonum, hepatis, renum, uretherum, vesicæ &c. &c. *prudentiori usu adhibitum*; proficua *præstat etiam in* affectibus oris, *præsertim* ejus fœtore, *in* vitiis stomachi, intestinorúmque, colica, flatulentiis, diarrhæa, gonorrhæa, vitiisque mensium, &c. Dosis *est à* guttis viginti *ad* quadraginta *& ultrà.*

IV. Variæ aliæ hujus medicamenti *extant* descriptiones, quarum *nos ipsi dare possemus ultra viginti.* Nos *tamen* hanc *elegimus*, simpliciorem *quidem, nostro tamen judiciô* concinniorem. *Hoc demum præterire non possumus in* Exercitu Cæsareo *apud eos, qui* rei Tormentariæ *præsunt, ceu ùt vulgò appellantur apud* Artigleriam, *in* usu quotidiano *ac etiam sub secreto haberi* Balsamum Vulnerarium *aliquem, qui ab Authore suo* Domino Generali *de* Steinsberg *nomen adhuc conservat, quem sicut in copia paratum semper secum vehunt, ità à multis jam annis* eum *experiuntur* saluberrimum *in* læsionibus & vulneribus quibusvis, ejus *verò* descriptio, *licèt* fusior & amplior *existat, cum* illa *tamen* Burrhiana *coincidit, &* sequentem *habemus* ejusdem fidam communicationem.

BALSAMUS STENISBERGIANUS.

℞. Gummi Heder. uncias tres.
Olibani,
Mastichis, ana unciam unam.
Florum Angelicæ, (fortè majori jure Rad.)
Aloës succotr. ana unc. duas.
Benzoës, uncias quatuor.
Rad. Gent. unciam unam.
Myrrhæ elect. uncias quatuor.
Storac. cal.
Balsam. peruv. in carabassis seu in sicco, ana uncias quatuor.
Balsami Ind. nigri, unc. duas.
Olei abietis,
Terebinth. claræ Ven. ana uncias quatuor.
Florum Rorismarini, uncias duas.
Hypericonis, manipulum unum.
Opobalsami veri, uncias quatuor.

Flores infunde in Spiritûs vini libris duodecim, extrahe, & exprime, dein superfunde spiritum expressum reliquis speciebus, & per digestionem extrahe.

D. S. suo nomine.

V. *Datur adhuc* famosus alius Balsamus, Æthiopicus dictus, *cujus* descriptionem genuinam *nos ex* Officina Electorali Palatina Dusseldorpiensi *aliquando accepimus* hanc:

BALSAMUS ÆTHIOPICUS.

℞. Balſ. Peruv. ſicci, unc. unam.
Balſami Indici nigri,
Storacis cal. ana uncias duas.
Radicis Angelicæ,
Myrrhæ, &
Thuris,
Ambræ gryſ. ana unc. ſemis.
Moſch. drachmam unam.
Croci, drachmas duas.
Pulveriſatis pulveriſandis affunde
Liquor. Tartari, libram unam.
Quem ità parabis:
Sume Tartari crudi, libras duas.
Nitri, libram unam.
Pulveriſa M. detona, & cum ſpatula ferrea in crucibulo bene agita, fluant bene calcinanda, dein frigefacta conjice in aquam pluviæ, ut ſolvantur, utere pro menſtruo methodô ſuperius inſinuata. Præmiſſa ſufficienti digeſtione & maturatione affundes tandem Spiritûs vini tartariſati menſuras duas, digere locô calidô per decem dies, dein decanta, quod clarum eſt, ac ei adde
Olei Cinnam. drachm. duas.
M. Serva uſui.

Maſſæ remanenti reaffundi poteſt iterum Spiritûs vini menſura una, digere & procedito ùt ſuperiùs, ac demum omnes liquores comiſce. Habes balſamum, quem genuinum æthiopicum appellant. Balſami Æthiopici deſcriptio etiam videri poteſt apud Pomet. in ſeiner Material-Kammer/ pag. m. 414. quem Ratisbonenſes pro *Balſamo Innocentii* venumdant, & certè ab eo non multum differt, ùt perpendenti pateſcit. Conferantur de Balſamo Innocentii hoc etiam Ephemerides Wratislavienſium Medicorum, ſeu Kunſt-Natur- und Literatur-Geſchichte/ D. Kanoldi im 18. Verſuch/ pag. m. 629. de anno 1721. Menſe Decembri, Articulô XIV. aliique; variâ hunc Balſamum ab Authoribus ſeu potiùs poſſeſſoribus ſuis obtinuiſſe nomina, ibidem congruentiſſimè monetur.

BALSAMUS LAVENDULÆ.

℞. Olei deſtillati Lavend. drachmam unam.
Nuciſtæ expreſſi mediante Spiritu vini odore ſuo privati, drachmas tres.
Miſce, fiat L. A. Balſamus, tingatur pulvere Florum Cyani.

ANIMADVERSIO ET USUS.

Color & odor *in* hujusmodi ſimplicibus Balſamis præcipua *ſunt*, *quæ* eos *recommendant*. Odor *debet eſſe non* alius, *quàm* illius, cujus titulum *fert*, *unde etiam* oleum nuciſtæ, quod *aſſumitur*, odore ſuo *eſt* privandum *ope* Spiritûs vini. *Alii accipiunt quidem* oleum Been, quod ſaporem & odorem ſpecialem *nullum habet*, *unde etiam pro* adulterandis óleis *ſæpiùs adhibetur*; huic *addunt* ceræ q. ſ. *ut obtineant* conſiſtentiam debitam, *dein ut* color *concilietur*, *ab aliquibus immiſcetur aliquid* ſmaltæ cœruleæ oder blauen Sterck; *Nos præferimus* pulverem Flor. Cyani. Vi-

Vires hujus Balſami cephalicæ *ſunt*; uſus *verò pro* inunctionibus *externè deſtinatus eſt.*

BALSAMUS LOCATELLI SIMPLEX.

℞. Ceræ flavæ, uncias quatuor.
Olei olivarum,
Terebinthinæ Venetæ optim. ana uncias octo.
Solvantur leni igne, tum ab igne remotis addantur
Olei Hypericonis, unciæ duæ.
Balſami Indici nigri, ſeu Peruviani, uncia una ſemis.
Santali rubri ſubtiliſſimè pulveriſati, uncia una.
Agitentur invicem ad refrigerationem.

ANIMADVERSIO ET USUS.

In Compoſitione hujus Balſami *paſſim variant* Auctores, *plerique ſinè* oleo Hyperici *illum habent*, nos *tamen* illud *approbamus*, hoc *inſuper monentes*, *ut nonnihil* vini rubri *ſub* coctione *addatur*, *nè* olea rancedinem & acrimoniam *ex* aduſtione *contrahant*, internis uſibus *admodùm* noxiam. *Aliàs* bene præparatum Balſamum hoc inſignium virium *prædicatur*, *dum non ſolùm internè in* Hæmophthyſi, *ac in* exulcerationibus Pulmonum, aliorúmque viſcerum internorum, *verùm etiam* externè *in* contuſionibus & vulneribus conſolidandis *proficuè adhibetur*. *Datur internè* à drachma una ad unciam ſemis.

BALSAMUS LOCATELLI COMPOSITUS.

℞. Radic. Conſolid. major. uncias duas.
Rub. tinctor.
Urtic. maj. ana unciam ſemis.
Raſ. Santal. rubri, drachmas decem.
Fl. Hypericonis,
Bellid.
Roſarum rubrarum.
Pap. err.
Herb. Veronicæ,
Farfar. ana manipulum unum ſemis.
Scabioſ.
Pyrol.
Agrim. ana manipulum unum.

Coque in aquæ ferratæ & vini rubri ſ. q. colat. libris quatuor, adde
Butyri recentis non ſaliti,
Olei Hyper. ana libram unam & uncias tres.
Axungiæ porci, uncias ſex.
Cort. Rad. Alkann. drachmas decem.

Stent ſimul in infuſione ad ignem lentum continuò agitando, uſque dum butyrum cum oleo ſufficienter ſit tinctum, poſtea coletur & addatur
Tereb. clar. uncias octo.
Pulv. gum. Elemi,
Olibani,
Maſtichis, ana uncias duas.
Arab. uncias duas ſemis.
Trag. unc. unam.
Ceræ citr. uncias ſex.
Balſami peruv. uncias tres.

Sper-

Spermatis. Ceti, unciam unam.

M. F. L. A. Balſamus.

ANIMADVERSIO ET USUS.

I. Diverſiſſimæ *extant* Deſcriptiones hujus balſami; Leodienſis & Colonienſis *cenſentur pro* optimis, noſtra *eſt è* poſteriori civitate; *qui verò* ſelectum ampliorem *habere deſiderat, videat* Diſpenſatorium Brandenburgenſe, *ubi* compoſitiones plures *reperiet.*

II. Vulnerarium *eſt decantatum in* Phthyſi, Hæmophthyſi, *imò & in* Dyſſenteria *nonnulli exhibent*; *in* læſionibus à gravi quodam caſu, *in* exulcerationibus viſcerum, renum, veſicæ, gonorrhæa & fluore albo *egregiè prodeſt. Doſis* drachma una *in* Decocto vulnerario *manè & veſperi.*

BALSAMUS PARALYTICUS MYNSICHTI.

℞. Olei Galbani cum Spiritu Terebinth. deſtillati.
Succini rectificati, ana unciam unam.
Rorismarini,
Angelicæ, ana drachmam unam.
Chamomillæ Romanæ,
Caryophillor. ana drachmam ſemis.
Salviæ,
Lavendulæ, ana ſcrupulum unum.

Miſce & cum oleo nucis moſchatæ ſ. q. fiat juſtæ conſiſtentiæ balſamus, ſeu lenimentum molle, cui pro ditioribus ſaltèm adde Trochiſc. Galliæ moſchat. ſcrupulum unum.

ANIMADVERSIO ET USUS.

Nuchæ & cerebro *tanquam* origini nervorum, *nec non* membris paralyticis *inunctus mirabiliter juvat, & multùm facit in* Paralyſi: *quia* omnes nervos *penetrat ac roborat, quod in* hoc morbo *maximè requiritur. Ità Author.*

BALSAMUS RUTHÆ COMPOSITUS.

℞. Olei Nucis moſchatæ expreſſi & duriuſculi q. p.

Coquantur cum ſ. q. decocti herbæ Ruthæ recentis, donec omnis fragrantia olei exhalârit, adde

Olei deſtillati Ruthæ q. p.
Magiſterii herbæ Ruthæ q. ſ.

M. F. Balſamus.

ANIMADVERSIO ET USUS.

Balſamus Ruthæ ſimplex *paratur ex* Oleo Nuciſtæ, *vel* oleo Been *cum* cera remixto *ac* ol. Ruthæ *q. ſ.* Zwelfferus hunc *quasi* magis compoſitum *tradit, & juxta* hanc normam *etiam* Balſama Majoranæ, Lavendulæ, Rorismarini, Roſarum, &c. *fieri poſſunt.* Colorem viridem *alii procurant per* immixtiones Rad. curcumæ & Indigo, *nam ex* flavo & cœruleo *emergit* viridis color; *Nos* Magiſterium Ruthæ *adhibemus, quod nihil aliud eſt, quàm* Succus

Ruthæ expreſſus, *qui per* chartam emporeticam *filtratur*, *ſic in* filtro *remanet* pulvis viridis, *ſuô modô* Magiſterium Ruthæ dicendus. Vires *cùm* deſumendæ *ſint unicè à qualitate* conſtituentis, *ſunt* antiſpaſticæ, *ac* convulſiones illatas Rutha *relaxat ac ſolvit*, *proùt dictum ſuprà* pag. m. 73.

BALSAMUS SCHERZERIANUS.

℞. Olei Nucis moſchatæ expreſſ. unciam unam.
Deſtillat. Majoranæ,
Lavendulæ,
Rorismarini,
Succini,
Serpilli, ana drachm. duas.
Ruthæ,
Pulegii,
Meliſſæ,
Menthæ,
Cardamomi, ana ſcrup. unum.
Ceræ albæ Virgineæ, drachmam unam.
Fiat L. A. Balſamus.

ANIMADVERSIO ET USUS.

Magnam hic Balſamus *inter alios ſibi nanciſcitur* prærogativam; *non ſolùm enim* odore *omnibus* grato & tolerabili *ſe commendat*, *verùm etiam* eam *jam nactus eſt* famam & approbationem, *quòd ubique in* uſus *trahatur*. *Multis inſervit pro* præſervativo univerſali *in* morbis contagioſis, *dum* portiunculam *ori illiniunt*, *mox* ſalivam *prolicit*, quam prolectam *non deglutire*, *ſed ejicere oportet*, *nè quidquam de* miaſmate maligno *cum eadem* primis viis *communicetur*. *An autem* ſola hæc exſpuitio *à* noſtro D.D. Dobrzensky *in* univerſali ſuo Præſervativo *primitùs* recommendata, *non plus boni præſtet per* ſe ſola, *quàm* olea hæc aromatica calidiora venenis *vel reſiſtendo*, *vel* eadem *corrigendo*, *meritò ambigitur*. *Præterea in* Colicis affectibus & torminibus ventris *præcipuè* infantum abdomini *illinitus* dolores *ſedat*, adultioribus piſi magnitudine *ad* intra *cum* juſculo *in* prædictis Affectibus, paſſione hyſterica, & flatulentiis *à* cauſa *ſic dicta* frigida ſubortis, *cum* notabili effectu *exhibetur*.

BALSAMUS SOMNIFERUS, STOMACHALIS.

Videantur inter UNGUENTA.

BALSAMUS SUCCINI.

℞. Olei Nuciſtæ cum Spiritu vini odore ſuo ſpoliati, drachmas tres.
Succini deſtillati, drachmam unam.
Salis Succini volatilis, ſcrupulum ſemis.
Exactè miſcendo fiat L. A. Balſamus.

ANIMADVERSIO ET USUS.

Univerſale *quasi habetur* remedium Cephalicum vertici & temporibus *illinitum*, *ſed quid valeat*, & *ubi*, *noſcunt* Doctiores.

BAL-

BALSAMUS SULPHURIS ANISATUS.

℞. Olei anisi, uncias sex.
Florum Sulphuris, unciam unam.

Misce, in vitro digerantur, & circulentur tam diu, donec oleum Anisi Tincturam sulphuris perfectissimè extraxerit: postea aufer oleum rubicundissimum per inclinationem, filtra & ad usum reserva.

ANIMADVERSIO ET USUS.

I. Hac lege, & methodo eâdem *parantur etiam*

Balsam. Sulph. Juniperatus.
- - Terebinthin.

Imò etiam, qui apud alios in usu sunt:

Balsam. Sulph. Amygdalatus.
- - Succinatus.

II. *Differentia totâ* horum Balsamorum *dependet à* viribus assumpti olei: *Controvertunt verò* plures, *an* magna ejusmodi Balsamis *inesse possit* virtus *ab* assumpto Sulphure, *cùm* pauciſſima quantitas ejus *in* olea dicta *secedere videatur, imò vix ultrà* tria *vel* quatuor grana *in* uncias oleorum *intrare asserit* Clariſſimus Schulzius; *licèt hìc plurimùm contradicat* Boerhav. Elem. Chem. Tom. 2. Proceſſ. CLVI. p. m. 429. *admittens* Sulphur ità ſolvi, ut priorem naturam ſulphuris prorſus amittat.

III. *In vulgus* Chyrurgorum *ac* Agyrtarum ejusmodi Balſami notiſſimi & uſitatiſſimi *ſunt*; tutiſſimus *tamen pro* uſibus internis *eſt* Balſamus Sulphuris Amygdalatus, *non* aduſtus *igne nimio, nè* acrior *evadat, ſatìs* egregium *aliàs ad* ulcera interna & externa remedium. Doſis gutt. XII. XX. & *ultrà.*

IV. Balſamus Sulphuris Aniſatus *potiſſimùm laudatur in* affectibus pectoris catarrhoſis, aſthmate humido, & *in* colica *etiam* flatulenta, *nec non in* Pleuritide ſuppurata & *in* aliis Apoſtematibus & ulcerationibus internis; permulti *etiam* illum *laudant & deprædicant præcipuè in* Phthyſi; *aſt plerumque in* gravibus exulcerationibus omnibus *cum* periculo *aut* noxa *exhibetur, præſertim in* Doſi majori, *quia* humores circulantes *abinde exagitantur, caleſiunt & in* orgaſmum *concitantur, unde vel* hæmorrhagiæ ſubitaneæ, *vel* inflammationes & congeſtiones novæ, *vel ſaltèm* febres hecticæ *accelerantur, ut maturiùs occumbant & intereant patientes, temperatioribus conſervabiles, proùt* ejusmodi caſus plures *recenſet* Clariſſ. Buchnerus *in* Notis *ad* Diſpenſatorium Brandenburg. pag. m. 40. *ubi tamen* infarctus Phlegmatum viſcoſorum *adeſt*, & facultas ſtomachi concoctrix debilis, *locum habet, præſertim apud* homines robuſtos, plebejos & *minùs* delicatos; *Alii pro* majori horum phlegmatum reſolutione *addunt* gummi ammoniacum; *quod in* oleo ſolubile *exiſtit*,

nec

nec contemnendam utilitatem *adferre poteſt pro* humorum tenaciorum reſolutione.

V. Balſamus Sulphuris Juniperatus *parari debet ex* oleo *è* baccis parato, *quale* Illuſtris F. Hoffmann. *deſcribit in* Obſerv. Phyſic. Chym. lib. 1. Obſerv. 3. p. m. 12. *& tunc inſervit prudenter adhibitus ad* ſcopos diureticos, emmenagogos, carminativos.

VI. Balſamus Sulphuris ſuccinatus *ad* affectiones catarrhales *præ* aliis *laudatur*, *ſed videtur* calidioris *eſſe* indolis, *adeóque non nisi* pituitoſis & frigidioris naturæ hominibus *congruè exhibendus.*

VII. Balſamus Sulphuris Terebinthinatus *in* Affectibus Gonorrhaicis *potiſſimùm adhibetur*, *licèt etiam in* morbis malignis, peſte, *ac* morbis Epidemicis *à* nonnullis *commendatur*, *ex eo*, *quòd* terebinthinacea putrefactioni *reſiſtere*, *vel à* putredine cuncta *præſervare dicantur*; *ſed in* his *verè* morbis *plus nocet*, *quàm prodeſſe poſſit*, *licèt in* conſervandis præparatis anatomicis, *in* durationem eorum longævam *multum* boni *præſtet*; *ad* intra *verò exhibitus* vim *ſic* dictam balſamicam ejusmodi remedia *non procurant* ea lege balſamica, *quam vulgò tradere ſolent etiam* medicinam *profitentes*. *In* Affectibus *verò* externis atteſtante Stahlio & Boerhavio terebinthinata mira *efficiunt*, *proùt enim* Terebinthina ipſa pleraque unguenta digeſtiva Chyrurgorum noſtrorum *ingreditur*; *ità etiam* Balſamus hic Sulphuris *in* læſionibus *aut* ulceribus partium tendinoſarum *aut* nervoſarum, *quando valdè dolent & madent*, aliquot guttæ, tepidæ, *inſtillantur cum* effectu optimo. *Conferatur* Chyrurgia Junckeri & Boerhavius *in* Element. Chem. Tom. II. p. m. 430. *imò ſunt*, *qui* Balſamum Sulphuris antimoniatum *ex* ſulphure antimonii *ſic parant*, *& in* fiſtulis ani bonum effectum *conſecutum fuiſſe novimus.*

VIII. *De cætero*, *cùm etiam* Emplaſtrum Dia-ſulphuris Rulandi *ingrediatur*, illius Balſami Sulphuris præpandi methodum *mox ſubjiciemus.*

IX. Pharmacopœi hoſce Balſamos parando *attendant*, *nè ſub* majori ignitione iis *accidat* infortunium, *quale* Frider. Hoffmann. *deſcribit in* Obſerv. Phyſ. Chym. lib. 3. Obſ. XV. pag. m. 340. *ſub Tit.* Balſam. Sulphur. Terebinth. vis exploſiva, *ubi* Balſami Sulphuris, *ſicut* Pulveris pyrii & tonitruantis *ac* auri fulminantis vis exploſiva *in* cautelam præparantium *exponitur.*

BALSAMUS SULPHURIS RULANDI.

℞. Florum Sulphuris, unc. unam.
Olei Raparum vel nucum, libram unam.
Vini generoſi, uncias duas.
Macerentur octo diebus lento igne aliquoties agitando; poſtea coquantur lente ad conſumptionem vini, tandem cola & ſerva.

ANIMAD-

ANIMADVERSIO ET USUS.

I. Descriptio hujus Balsami *non* unanimis *existit*, *aliqui* acetum *superaddunt, & coquunt ad* consumptionem vini & aceti.

II. Spindlerus *in* Thesauro Medico Rulandino *recipit*

Olei Rosarum simplicis, libras duas.
Terebinthinæ claræ, uncias duas vel tres.
Sulphuris citrini pellucidi, unciam unam semis.

Liquefactâ Terebinthinâ *affundit* oleum rosarum, *& separatim* sulphure liquefactô *commisceri*, & lento igne *ebulliri jubet sæpiùs agitando* baccillô ligneô, *donec* rubrum *acquisiverit* colorem.

III. Hoffmannus neutrum *credit esse* genuinum, *hinc recipit*

Flor. sulphuris ter sublimator. uncias tres.
Olei Rosarum completi, libram semis.
Vini rubri optimi, uncias tres.

Et postquàm uti in priori vinum assumptum *est*, *in* colatura *dissolvit* Terebinthinæ claræ uncias duas semis; *Nos selectum relinquimus ex poscentibus*, *qui* Emplastrum Diasulphuris Rulandi *juxta propriam rationem expetunt* parandum.

IV. *In* variis morbis à Rulando Balsamus hic *est adhibitus*, Anodynum *est* insigne, maturativum *ac* digestivum *in* vulneribus partium nervosarum, *discutit enim*, *atque resolvit*, *digerit*, *ac* ulcera *mundificat*, dolores *quoque mitigat*, *præcipuè autem* ad ambusta *conducit*. Auribus *inditus* dolores earundem *tollere perhibetur*.

V. *Alii pro* Emplastro Rulandi *accipiunt* olea destillata ætherea terebitnh.junip.spicæ &c. *& parant* Balsamum sulphuris *cum* oleis æthereis, *quem in* resolvendis tumoribus durissimis scirrhosis *summè* proficuum *testantur*.

BALSAMUS TEREBINTHINÆ,

Vide

BUTYRUM.

BALSAMUS VULNERARIUS VIRIDIS,

Vide

OLEUM CARDUI BENEDICTI COMPOSITUM.

BALSAMUS VULNERARIUS DIEPPELII,

Vide

AQUA SCLOPETARIA.

BEZOARTICUM JOVIALE.

℞. Reguli Antimonii, uncias tres.
Jovis Anglici purificati, uncias duas.

Liquefiant invicem in Regulum Jovialem, tum redigantur in pulverem subtilissimum, addantúrque Mercurii sublimati unciæ sex; quæ omnia inter se bene mixta destillentur ex retorta, apparebit materia alba adinstar Butyri Antimonii, hunc album & crassum humorem inde cucurbitæ, & destillando omnem humiditatem abstrahe, addendo successivè tan-

tantùm Spiritûs Salis Nitri, quantùm pondus exempti pulveris requirit, deſtillentúrque ex arena uſque ad aridum, exemptum in pulverem redigatur, & abſtractum liquorem unà cum unciis duabus Spiritûs Salis Nitri recentis ſuffunde, & ſecunda vice ùt priùs ad ſiccitatem abſtrahe. Album pulverem denuò exime, ac in minutiſſimum pulverem contere, & liquorem deſtillatum cum aliis duabus Spiritûs Salis Nitri unciis affunde, & tertia vice deſtilla. Tum demum exemptum & tritum pulverem tigillo immitte, & ad ignem duas vel tres horas excandeſcere ſine, & poſtea ad uſum repone.

ANIMADVERSIO ET USUS.

I. *Quidam ſuadent, ut* Pulvis candens *in* Spiritu Vini *extinguatur*, & ſiccatus *in* uſum *aſſervetur; Alii iterum aliquantiſper ſolùm* pulverem igniri *jubent, quem* Spiritu vini rectificato *irrorant, aut* Spirirum vini *deſuper accendunt, & poſtmodùm* pulverem exſiccatum *ſervant. Nos* Mynſichtum *ſecuti ſumus.*

II. Hic Pulvis *nihil aliud eſt, quàm* Calx ſtanni & Antimonii, *cui* magnæ *tribuuntur* vires Diaphoreticæ & Anodynæ; Baglivius *ſpecialiter in* Paſſionibus Hyſtericis *illum commendat.*

III. Mynſichtus vires ejus *ſequentibus depredicat, dicens*: Diaphoreticum eſt ſtupendum, & efficaciſſimum ſecretum in omnibus & ſingulis matricis ægritudinibus, aliiſque mulierum morbis quàmplurimis. *In* Febribus, Peſte, Scorbuto, morbis Epidemicis, & omnis generis imbibito lethali veneno, *ut etiam in* omnibus caſibus, *in quibus* Bezoarticis & ſudoriferis *eſt locus. Datur aliàs adinſtar* Antimonii Diaphoretici *cum* nitro, *aut* ſalibus mediis. *Doſis eſt* à granis tribus ád ſex in vehiculo appropriato.

BEZOARTICUM MARTIALE,

Vide

CERUSSA ANTIMONII MARTIALIS.

BEZOARTICUM MINERALE.

℞. Butyri Antimonii rectificati & à Mercurio liberati, ex. gr. uncias tres vel quatuor.

Huic in vitro capaci affunde guttatim Spiritûs Nitri rectificati uncias circiter quatuor, quamdiu effervescit; ceſſante omni ebullitione digere per noctem, tum per retortam vitream abſtrahe Spiritum nitri, ídque ter repetendo cum nova Spiritûs Salis Nitri affuſione procede, uti cum Bezoartico Joviali.

ANIMADVERSIO ET USUS.

Aliter ad mentem Wedelii *ex* Mercurii vitæ unciis ſex & nitri depurati libra ſemis *paratur calcinando & edulcorando ad modum* Antimonii Diaphoretici.

Magnum

Magnum *aliàs ſcribitur eſſe* Alexiterium, ſaluberrimúmque remedium Bezoarticum, *cui, an in viribus* Antimonium Diaphoreticum *cedat, multi negant*; *cùm æquè in* omnibus morbis malignis *ad* procurandos ſudores *uſurpetur*; *Quidam* illud *in* Variolis *commendant*. *Doſis* à granis ſex ad ſcrupulum unum.

BUTYRUM ANTIMONII.

℞. Mercurii ſublimati corroſivi, Antimonii puriſſimi, ana libram unam.

Pulveriſata ſubtiliſſimè in mortario lapideo exactè miſceantur, cavendo fumum exhalantem, deſtillentur per retortam vitream collì capacis (tertiam ejus partem vacuâ linquendo) ex arena igne mediocri; egreditur primò liquor ſeu butyrum Antimonii adinſtar glaciei, qui ſi ob frigus externum in collo concreverit, cautè carbonem ignitum admove, ut liqueſcat, nè collum obturetur. Sícque competenti ignis gradu in vas recipiens butyrum omne elicietur. Electô omni liquore adauge ignem ſupra arenam, & ſublimabitur Cinnabaris Antimonii. Liquor egreſſus rectificetur per retortam vitream.

ANIMADVERSIO ET USUS.

I. *Quòd ſi* hoc oleum *ſeu* butyrum Cinnabari ſuâ *ſubtiliter* tritâ *imprægnetur*, *ac per viginti quatuor horas vitrô clausô in cinere aut loco humido digerantur, feliciùs unita per retortam rectificantur, magísque efficax* Butyr. Antimonii *acquiritur*.

II. *Alii* retortam *cum* materia *ante deſtillationem in celari per* triduum *reponunt*, *& poſtmodùm* igne apertô ſucceſſivè auctô *deſtillare jubent*, *quô caſu per* retortam fictilem lutatam & ampliori collô prædítam *deſtillatio inſtituì deberet*.

III. *Dum* hujus olei *ſeu* butyri uncia una *cum* Aquæ frigidæ unciis decem *miſceatur*, Pulvis albus Alchorethi, *ſeu* Mercurius Vitæ dictus, emeticam vim *habens ex* eo *præcipitatur*; liquor *autem* reliquus acidulus, *ſi rectificetur ſub nomine* Spiritûs Vitrioli Philoſophici, *aliorum ſpirituum acidorum*, *præcipuè* ſalis naturam *habens*, *notus eſt*.

IV. Uſus hujus Butyri *ſolummodò* externus *eſt*, *in* Gangræna & Sphacelo, *in quibus ſi* pars mortua *circumliniatur*, putredo *ulteriùs non ſerpit*, ſectióque *feliciùs peragi poteſt*; *ſimiliter* Carbunculus peſtilentialis oleô hoc circumlinitus *paulatim emoriendo excutitur*, *adeóque* aptus *redditur*, *quòd poſtmodùm* emplaſtris *faciliùs cedat*. *Uſitatum itidem* Chyrurgis *exiſtit* corroſivum.

BUTYRUM RUBRUM POTABILE, ET BUTYRUM VIRIDE REGINÆ,

Vide:

UNGUENTA.

BUTYRUM TEREBINTHINATUM.

℞. Terebinthinæ Venetæ vitello ovi ſolutæ, unciam ſemis.
Butyri recentis non ſaliti, unciam unam.
Aquæ Malvæ, unciam ſemis.
Syrupi de Althæa Fernelii, unciam unam ſemis.
Miſce.

ANIMADVERSIO ET USUS.

Frequentiùs à noſtris Practicis *expetitur*, *licèt nonnunquam juxta intentionem* Medici *& circumſtantias* Patientis *immutetur*. *Adhiberi ſolet* in Affectibus renum, & veſicæ, *imò* & in morbis pectoris pertinacioribus. *Datur ad unciam ſemis, aut drachmas ſex.*

C.

CERATUM CITRINUM.

℞. Reſinæ, libram unam.
Ceræ Citrinæ, libram ſemis.
Sevi Cervini, uncias quatuor.
Terebinthinæ, uncias duas.
Liquando, & colando fiat Emplaſtrum.

ANIMADVERSIO ET USUS.

Emplaſtri nomine *etiam expetitur*, cui *dum libræ uni*, æruginis mundatæ *drach. duæ addantur*, *efficitur* Emplaſtrum viride, *id*, *quod cõmuniter à plebeis ſub nomine* Grünes Zug-Pflaſter *expeti ſolet*, *inſervit* ad ulcera purganda. *Priùs verò ceratum* vulneribus recentibus *medetur*, *quæ cicatrice brevi temporis ſpatio occludit.*

CERATUM MATRICALE,

Vide:
EMPLASTRUM.

CERATUM SANTALINUM MESUE.

℞. Roſarum rubrarum, unciam unam ſemis.
Santali rubri, drachmas decem.
albi, (cem.
citrini, ana drachmas ſex.
Boli armenæ, drachmas ſept.
Spodii, drachmas quatuor.
Camphoræ, drahmas duas.
Olei roſati, libram unam.
Ceræ albæ, uncias ſex vel q. ſ.
Ceræ cum oleo liquefactæ commiſce pulveres.

VIRES ET USUS.

Phlegmnonas & calidas intemperies ventriculi & hepatis, *atque* aliarum partium *emendat*, externè *applicatum.*

CERUSSA ANTIMONII,

Vide:
ANTIMONIUM.

CIN-

CINNABARIS ANTIMONII.

De præparatione ejus dictum est in conficiendo Antimonii Butyro fol. 103. Quod si autem in majori copia confici desideraretur, exstillatô omni butyrô seu oleô Antimonii juxta priùs dicta, retortâ frigefactâ residuum exemptum pulverisetur, ac additâ denuò Mercurii sublimati portione æquali, ac tantumdem arenæ puriſſimæ (quæ colliquationem impedit, & opus facilitat) probè insimul commixta retortæ inde, ac igne ab initio successivè aucto urge, acquiretur, Cinnabaris multò major quantitas, quàm aliàs per sublimationem. Quæ deinde repetita sublimatione per se, vel subtiliſſima pulverisatione, ac sex vel octo dierum digestione perfici ac depurari poterit.

Adhuc alium modum Cinnabarim Antimonii in majori copia consequendam tradit D.D. Joannes Georgius Sommerus in Ann. Nat. Cur. Decur. II. Ann. VI. Observat. IX. quem si cui sequi lubet, videri potest.

VIRES ET USUS.

Habetur pro specifico in affectibus capitis & nervorum, *unde in* Epilepsia, vertigine, convulsionibus, febribus continuis *atque* malignis, *ac in* omnibus morbis contagiosis, *in quibus* serum acre, austeram coagulationem sanguinis *minatur. Conducit itidem in* variolis & morbillis, Arthritide, Paralysi, *ac* doloribus partium nervosarum, *hinc &* morbis hystericis *medetur. Dosis est à granis sex ad scrupulum unum.*

CINNABARIS FACTITIA.

℞. Sulphuris communis, libram unam.

Huic liquefactô in vase fictili infunde

Mercurii vivi, libram unam semis.

Agitentur insimul spatulâ ligneâ tam diu, donec Mercurius à sulphure planè consumptus videatur. Hanc massam refrigeratam tere super marmore, atque sublima ex vase lutato; igne primò leni dein auctiori gradatim adhibitô. Primô ascendit fumus citrinus, paulatim rubescens, ac dum fumus nigro-rubeus ascendere incipit, urge igne violentissimo horis quatuor vel quinque, & sublimabitur Cinnabaris, adhæreſcétque lateribus, quam exime, rejectis fœcibus in fundo & capitello.

ANIMADVERSIO ET USUS.

Rarioris *est* usûs *in* medicina, *ast ratio non est, cur non locò* Cinnabaris nativæ, (*quæ adhuc* multa recrementa mineralia *subinde* admixta *habet, de quibus nos latet,* cujus indolis *sint, ac quandoque fragmentis* auripigmenti rubri nativi *adulterari solet*) *in* morbis capitis & nervorum spasmodicis *ac*

convulsivis, *in* scabie, febribus, &c. *adhiberi valeat.*

CINNABARIS SUBLIMATA.

Sublimatio Cinnabaris fit per retortam, applicatô recipiente capaci, cui aliquota pars aquæ insit, juncturis bene clausis igne successivè auctо, quô Mercurius, si quis mineræ sit superfluus, ab aqua recipiatur & conservetur. Flores verò Cinnabarini collo retortæ adhærentes, ac ritè sic depurati cautè separandi & servandi, heterogenea reliqua ipsi cohærentia in fundo retortæ restant.

ANIMADVERSIO ET USUS.

Per sublimationem Cinnabaris *optimè præparatur, hoc modô enim* omnes heterogeneitates, *quæ* Cinnabari nativæ *inesse possunt, optimè segregantur, ac in fundo remanent, tanquam* usui medico *ineptæ. Usurpatur in* affectibus *mox de* Cinnabari factitia *recensitis. Dosis est à granis tribus ad scrupulum semis.*

CONDITA VARIA.

Condita in nostris Pharmacopoliis tum in liquido, tum in sicco dispensari solent, potissimùm verò ad conciliandam gratiam morsulis & electuariis adhibentur; & ut à corruptione longiori tempore immunes perseverent, radices autem & cortices condiuntur, ut palato masticatæ magis arrideant.

RADIX CALAMI AROMATICI IN LIQUIDO.

℞. Radic. Calami aromatici quantùm placet.

Mundetur ab exteriori cortice, ac uno aut altero die in aqua pura quotidie reiterata macerетur, dein sacharô in aqua macerationi adhibita solutô & clarificato, ac ad consistentiam syrupi tenuioris coctô, imponatur radix in particulas scissa ac denuò coquatur, donec superflua humiditas evaporaverit, & sacharum in debitam syrupi consistentiam inspissetur. In hoc syrupo asservatur radix condita in liquido.

Tali modô parari potest Radix Cichorii, Enulæ, Eryngii, Scorzoneræ, &c.

Quô modô Radices in sicco condiantur? vulgo notum est.

CARO CITRI CONDITA IN LIQUIDO.

Pari passu in sacharo aquâ soluto, & ad syrupi consistentiam inspissato caro citri parumper incoquitur.

CORTICES AURANTIORUM ET CITRI IN LIQUIDO.

Cortices recentes ab interiori albedi-

bedine probè liberati, unô aut altero die in aqua pura quotidie reiteratâ macerentur, dein in aqua fontana ad mediocrem mollitiem coquantur, exempti ex aqua, parúmque ſiccati ſacharo aquâ hac ſoluto & clarificato, ac ad debitam conſiſtentiam inſpiſſato inditi modicum coquantur, & ſic conditi aſſervantur.

NUX JUGLANS CONDITA.

Collectæ nuces immaturæ circa feſtum Sancti Joannis perforentur undique, poſtea octo diebus in aqua fontana, quotidie recenti affusâ macerentur, dein ad mollitiem coquantur, hinc Cinnamomô & caryophyllis ſtipatæ in duplo ſachari clarificati & ad Syrupi conſiſtentiam inſpiſſati conditæ aſſerventur.

ZINZIBER IN LIQUIDO CONDITUM.

Paratur priùs maceratum & coctum, ut radices in liquido conditæ.

CONFECTIO ALKERMES INCOMPLETA.

℞. Sachari albiſſimi,
Succi pomorum Borsdorffiorum recenter expreſſi, & cum prædicto ſacharo ad conſiſtentiam mellis cocti,
Granor. Kermes monſpelienſium ſpiſſioris ana libram unam ſemis.
Cinnamomi optimi,
Ligni Aloës ſelecti, & ſubtiliſſimè pulveriſati, ana unciam ſemis.
Lapidis Lazuli,
Margarittarum orientalium præparatarum, ana drachmas duas.
Foliorum auri, pondere drachmæ unius.
Miſceantur bene, & fiat L. A. Confectio.

Quòd ſi completa confectio expetatur, addatur Confectioni priori
Moſchi in Spiritu Roſarum ſoluti,
Ambræ Gryſeæ, ana drachma una.
Probè commixta ſerventur uſui.

ANIMADVERSIO ET USUS.

I. *Cùm* ſuccus granorum Kermes *potiſſimùm* conſtituens hujus compoſitionis *exiſtat, inde & nomen traxit, aliàs etiam à multis ſub nomine* Electuarii Alkermes *expeti ſolet.* Succus hic, *qui ad nos* Monſpeliô *adfertur, non* nimiô ſacharô conditus *eſſe debet, neque nimiùm* denſus, *ſed* ſpiſſiuſculus *ſit, neceſſe eſt, quod & de* ſucco pomorum *cum* ſacharo inſpiſſato *bene notandum eſt; nam ſi in* ejusmodi Conſectiones *aut* Electuaria craſſioris conſiſtentiæ ſyrupi *tanquam* corpora & baſes *aſſumantur, exiguô temporis intervallô areſcunt, & condenſantur, ac in* lapillos cryſtalliſando *concreſcunt.*

II. *Notandum, ut* ſuccus pomorum *recenter ſit expreſſus, qui cum* ſacharo *ad* mellis conſiſten-

tiam *inſpiſſatus*, *mucilagineam conſiſtentiam*, *quæ nunquam in* cryſtallos *aut* lapillos ſacharinos *tam facilè degenerare poteſt*, *& confectio durabilior evadit.*

III. *Ab* Avicenna & Meſue, *ac* multis aliis *magnoperè commendatur tanquam* præſtantiſſimum analepticum & aphrodiſiacum remedium; *in* Syncope & mœſtitia *ſinè cauſa manifeſta affligente* ſingularem *creditur ferre* opem; *ſiquidem* cor & vitales ſpiritus *valdè corroborat*, animum *exhilarat*, palpitationes cordis *repellit*, *nec non ab* Apoplexia *præſervare refertur*. *Doſis* completæ *ad drachmam ſemis*, incompletæ *verò etiam ad drachmas duas extendi poteſt.*

CONFECTIO ANACARDINA.

℞. Myrobalanor. Chebularum,
Emblicarum,
Belliricarum,
Indarum,.
Piperis nigri,
longi,
Caſtorei, ana drachmas duas.
Coſti dulcis,
Anacardiorum præparatorum
Sachari albi,
Seminis nigellæ,
Baccarum lauri, ana drachmas ſex.
Cyperi rotundi, unciam ſemis.

Singulis in ſubtiliſſimum pulverem redactis, ac exactè commixtis, cum mellis deſpumati triplo fiat L. A. Electu arium.

ANIMADVERSIO ET USUS.

I. Meſue Confectionem hanc *cum* butyro *parare docet*, *ex eo*, *quòd* acrimoniam, *ac* vim quandam deleteriam *in* anacardiis *obtundat ac corrigat*, *aſt cùm perſuaſum nobis ſit*, *ob diuturniorem ad nos delationem exſiccatione ſolâ ſat eſſe correctam*, butyrum *verò* confectionem *reddat* rancidam, *ac* ingratam, *cum omnibus aliis idem omittendum conſentimus.*

II. Præparatio Anacardiorum *conſiſtit in* debita exſiccatione & pulveriſatione. *Rarioris uſûs eſt*, *cùm hucuſque ob* Anacardia *in noſtris Regionibus intrinſecè exhibenda* Practici *non fidant*; *Aliàs in* affectibus cerebri frigidis, memoria confortanda, *ac* omnibus ſenſibus *ſubvenire creditur*; Auguſtani *monent*, *nè in* labore concitatiori, ira, coitu, & ebrietate *ſumatur*, *quo caſu* teſte Hoffmanno de Medic. Offic: *ab ejus uſu* maniaci *evaſerunt.*

CONFECTIO HAMECH.

℞. Myrobalanor. Citrinarum, uncias quatuor.
Chebularum,
Indarum,
Rhabarbari electi,
Agarici,
Colocynthidis,
Polypodii,
Violarum,
Epithymi, ana uncias duas.
Abſythii,
Thymi,
Fol. Senn. ſelect. ana unc. duas.

Se-

Seminis Aniſi,
Fœniculi,
Roſarum rubrarum, ana drachmas ſex.
Prunorum, numerô ſexaginta.
Paſſularum exacinatarum, uncias ſex.
Macerentur omnia in
Succi fumariæ libra una
Seri lactis caprini libris duodecim.
In vaſe vitreato bene clauſo in loco tepido per viginti quatuor horas; poſtea ferveant unâ vel altera ebullitione; colentur. In colatura ſolvatur
Sachari albi libra una ſemis.
Et ad debitam conſiſtentiam coquatur, addendo in fine
Pulpæ caſſiæ, uncias quatuor,
Tamarindorum, uncias quinque.
Et ubi ab igne remota fuerit, ſequentes pulveres paulatim inſpergendo:
Pulveris Scammonii præparati, unciam unam ſemis.
Myrobalanorum
Citrinarum,
Chebularum,
Indarum, ana unc. ſemis.
Belliricarum,
Emblicarum,
Rhabarbari,
Seminis fumariæ, ana drachmas tres.
Aniſi,
Spicæ Indicæ, ana drachmas duas.
Miſce fiat Electuarium, ùt Artis eſt.

ANIMADVERSIO ET USUS.

I. Confectio hæc *tum ab* Authore ſuo Meſue, *tum à* Prædeceſſoribus noſtris *adeò* commendatiſſima *eſt*, *ut* Celeberrimus *quondam* Medicus Joannes Baptiſta Montanus *auream eam dixerit. Dabatur olim frequentiſſimè in* quovis morbo Chronico contumaciori, *ùt* Scabie, Lepra, Febribus quartanis *cum* Decocto *vel* Infuſo Ellebori nigri *à drachmis duabus ad unciam unam. Hodiedum verò in noſtris partibus ob* doſim ejus exceſſivam *rariùs expetitur.*

II. *Quidam* confectionem hanc *ad unciam unam vel duas* Clyſteribus *potiùs deſtinandam, quàm ad* uſum intrinſecum *adhibendam ſuadent. Aſt conſuetudini vulgi aliquid relinquendum, cùm* Chyrurgis *quandoque, imò &* Medicis *ſacra anchora dici ſoleat.*

III. Uſus ejus *eſt ad* utramque bilem, & pituitam ſalſam repurgandam, *unde in morbis inde natis*: Impetigini, Scabiei, Elephantiaſi, Cancro exedenti *ac in* morbis melancholicis *magnopere laudatur in doſi ſuprà dicta.*

CONFECTIO DE HYACINTHO.

℞. Specierum de Hyacintho incomplet. quantùm fert deſcriptio.
Syrupi Acetoſitatis Citri, libram unam.
Miſce, F. lege artis Electuarium.

ANIMADVERSIO ET USUS.

Multùm in hac Confectione *disceptant* Practici, *siquidem multi volunt, quòd præter pretium* exigua virtus & effectus *ex* pretiosis ingredientibus *sperari possit, quod iterum alii impugnare conantur, interim & consuetudini in* usu receptiori *aliquid dandum est, cùm satis* egregium & conveniens *existat* remedium toxicum. *Cujus usus est in* excretionibus quibuscunque excessivis, sudoribus colliquativis hecticorum, in Cardialgia, Lypothymia, *ac* Febribus malignis. *Dosis est à drachma semis ad unam & duas.*

CONSERVÆ FLORUM ET HERBARUM.

Quemadmodum *Condita* Radicibus, sic *Conservæ* Floribus & Herbis præcipuè odoriferis, sale volatili-oleoso præditis propriè conveniunt, recentibus attamen & succulentis, siccatæ enim exhalando virtute suâ privantur. Dantur autem duplicis indolis flores, quidam enim humidiores & mucilaginosi sunt; ùt Borraginis, Buglossi, Rosarum, &c. Alii sicciores; quales sunt Lavendulæ, Majoranæ, Melissæ, & similes. Succulentiorum & humidiorum libræ uni, sufficiet Sachari quantitas semi alterius libræ. In siccioribus verò, quos cum pauxillo aquæ appropriatæ destillatæ humectare oportet, æqualis sachari quantitas sufficiet.

Optima methodus est Zwelferi, quâ Conservæ per decoctionem parantur. Exempli gratiâ:

℞. Florum Rosarum è flavedine mundatarum recentium, libram unam.

Coquantur in aquæ pluviæ libris quatuor, donec folia florum molleſcant, tum succus exprimatur; flores verò paulisper seponantur, donec in succo expresso sachari libra una semis ad Syrupi consistentiam decocta sit; tunc rursus adde folia priùs ad mollitiem decocta; misceatur & reponantur ad usum.

Hac methodo vires omnes manent combinatæ, & emergit Conserva delicati odoris & saporis; & folia, quæ per decoctionem colore suô roseô orbata erant, eundem ex succo rursus addito, recuperant.

CONSERVA CITRI EX PULPA.

Pulpa seu caro Citri (aut fructuum aliorum) contusa per setaceum trajicitur, túmque cum sachari albissimi sufficienti quantitate ad justam Electuarii consistentiam conditur.

Usum præcipuum habent Conservæ, ut unà cum Conditis, & syrupis inserviant excipiendis pulveribus, hinc basim Bolorum & electuariorum constituunt. Quæ in Officinis nostris prostent, in indice pretii seu taxa videri possunt. Singularum verò virtutes ex simplicium qualitatibus patescunt.

CRE-

CREMOR TARTARI VERUS seu SPUMA.

℞. Tartari optimè loti, q. v.
Affunde aquæ ferventis bonam quantitatem, agita ſpatulâ ligneâ, & ſolvetur quodammodo, faciétque turbidum liquorem, in quo ſplendentia corpuſcula innatant, quæ per manicam Hyppocratis colentur, quamdiu adhuc calent; aliàs, quod ſolutum erat, rurſus coagulatur: reſtanti Tartaro reaffunde aliam aquam ferventem, quam agitatam & calentem iterum cola, ídque toties reitera, donec nihil nisi arena irreſolubilis reſtet. Aquas has Tartaro imprægnatas repone, ut refrigeſcant, & videbis Tartarum purum partim ſupernatare inſtar cuticulæ (quæ ſub nomine *Cremoris Tartari veri* ſeu *Spumæ* colligenda & exſiccanda eſt) partim inſtar Cryſtallorum vel ad fundum reſidere, vel parietibus ac bacillis immiſſis adhærere.

ANIMADVERSIO ET USUS.

I. *Si major aquæ quantitas* coagulationem *impediret*, evaporatione aliquali *erit neceſsè*.

II. *Si* depuratum hoc Tartari *haud ſatis candidum ſit, debet denuò in* aqua ferventi *ſolvi, hinc* filtrandum *& ad* coagulationem *ùt antè reponendum eſt.*

III. Cryſtalli *ſeorſim* collectæ (*titulô* Cryſtallorum) *aſſervantur, quæ cum priori* ejuſdem *ſunt* indolis & efficaciæ, *unde ſi commixtim colligantur, ſub nomine* Cremoris Tartari vulgaris *venire ſolent.*

IV. *Uſus* hujus Tartari depurati *craſſos, tartareósque humores, præſertim in primis viis ſtabulantes incidere ac attenuare: unde commodè adhibetur in* obſtructionibus hepatis, lienis, meſenterii, renum, *in* affectu hypochondriaco, &c. *hinc* digeſtivum univerſale *dici poteſt, cùm plerumque catarcticis præmitti ſoleat, ac ad* laxandam alvum, *ſi* unô *aut* alterô granô Diagrydii *acuetur*, commodiſſimum *exhibet* medicamentum. *Doſis ejus eſt à drachma ſemis ad drachmam unam.*

CROCUS MARTIS ADSTRINGENS.

℞. Limaturæ martis, q. v.
Hanc igne fortiſſimo eouſque reverbera, donec in Crocum elevetur leviſſimum & rubicundiſſimum.

ANIMADVERSIO ET USUS.

I. *Sunt, qui ob* accelerandam reverberationem *Salis communis decrep. partes æquales ſuperaddunt, ac mixta reverberant per diem. Hinc* Martem edulcoratum *ſubtiliſimè levigant, denuóque reverberant* (*dies octo vel decem*) *donec elevetur* Crocus ſubtiliſſimus, *quem quotidiè auferunt, atque* Aquâ Plantaginis *præparant.*

II. *Alii citioris reverberationis gratiâ*, limaturam *initiô aliquoties* urinâ puerorum, *vel* aquâ ſalsâ *aut* acetô *conſpergunt, iterum exſiccant, ac poſtmodùm* reverberatio-

ni *ſubjiciunt*. *Et ſic* reverberatione *unius & alterius diei* Mars *in* florem *ſurgit* rubicundiſſimum, *qui quotidie* (*nè vi ignis pereat, vel nigreſcat*) *colligatur*.

III. *Si* quæ pars *nondum ſatìs reverberata ſit*, elaboratiorémque *ſeparâre velis*, *affunde* aquam, *agita*, *atque antequam penitus ſubſideat*, aquam *leviore ſcilicet & magis elaborato Croco* turbidam *in aliud vas effunde*, *parte graviore*, *quæ ſubſidet in priori vaſe relictâ*: *Abſtractâ & decantatâ dein aquâ*, *habes* Crocum leviorem, crudioribus ſuis *ac* gravioribus portionibus ſpoliatum.

IV. Crocus hic adſtringens *ac* ſiccativus *confert in* Dyſſenteria, Lienteria, Gonorrhæa, & aliis alvi *ac* menſtruorum profluviis. *Externus ejus uſus eſt in* exſiccandis ulceribus & vulneribus. *Doſis eſt à granis tribus ad ſcrupulum ſemis & ultrà*.

CROCUS MARTIS APERITIVUS.

℞. Limaturæ Martis, unc. unam. Diſſolve in Spiritûs vitrioli ſufficienti quantitate, poſtea exſicca, & leni igne in pulverem rubicundum calcina.

ANIMADVERSIO ET USUS.

Quamvis & in hac Confectione Croci *ac* præparandi modo *varient Authores*, receptiorem Pharmacopææ Auguſtanæ Renovatæ *ſequimur*. *Cujus vires ſunt reſerandi, aperiendi, & attenuandi*: *hinc in* Ictero, Hydrope, Cachexia, affectu Hypochondriaco curando, *in* Hæmorrhagiis uteri, Lochiorum, *ac* Hæmorrhoidum exceſſu adhibetur. *Doſis ejus eſt à granis tribus ad ſcrupulum ſemis*.

CROCUS METALLORUM P.A.R.

℞. Antimonii electi,
Nitri, ana libram unam.
Minutiſſimè trita, & mixta, in crucibulo vel catino firmo detonentur, poſtea maſſam exemptam in aqua ſolvendo, pars ſubtilior eluatur, ac poſtquam hæc ſubſederit, aqua decantetur, novâque affusâ aquâ pulvis probè eluatur, liquor autem decantatus, & cum aceto præcipitatus dat *Sulphur Antimonii auratum diaphoreticum*, communiter ſic dictum.

ANIMADVERSIO ET USUS.

Crocus hic, *ut* Emeticum Medicamentum, *ubi* mitiora *locum non habent*, multa *cum* utilitate & circumſpectione *exhiberi ſolet*, *tutior tamen ejus uſus eſt apud* Veterinarios, *qui eundem* canibus & equis *uſque ad unciam ſemis quotidie porrigunt*. *Quamvis etiam in* doloribus capitis ab impuritate ventriculi illud lancinantibus, *in* Epilepſia, *in* vermibus *cujuscunque generis* uſus ipſius inſignis, *cautè tamen* adhibendus, *eſſe poſſit*.

CROCUS SOLIS P.A.R.

℞. Folior. Auri, drachmas duas.
Nitri depurati,
Salis communis, ana unc. quatuor.
Aluminis, unc. duas.

Cum

Cum aqua fontana ad eminentiam ſex digitorum affuſa, coquantur in ollula nova vitreata ad ſiccitatem, ſub finem augendo ignem, coagulum hoc iterum cum aqua ſolvatur, filtretur, & oleum tartari p.d. inſtillando præcipitetur in pulverem, qui cum multa aqua edulcoratus, & exſiccatus, in crucibulo leni igne calcinetur in Crocum purpureum.

ANIMADVERSIO ET USUS.

Modus hic eſt ad mentem Zwelferi, & Tackenii, *quibus* alia methodus *præplaceret*, *adire poſſunt* Joann. Helfricum Juncken, &c. Vires *ejus* cordiales & diaphoreticæ *deprædicantur*. *Doſis eſt à* grano uno *ad* grana quinque *vel* ſex.

E.

ELECTUARIUM ANTIFEBRILE PRAGENSE.

℞. Conſervæ Acetoſellæ, unciam ſemis.
Pulveris Corticis Peruviani, drachmam unam ſemis.
Arcani duplicati,
Antihect. Poteri albi,
Salis Abſynthii,
Centauri minoris,
Antimonii Diaphoretici, ana drachmam ſemis.
Salis volat. oleoſi Sylvii, guttas viginti quinque.
Syrupi Acetoſellæ, q. ſ.
M. F. Electuarium.

ELECTUARIUM ANTIFEBRILE D.D. FUCHS.

℞. Conſervæ Roſarum antiquarum, uncias duas.
Confectio. Alkerm. incomplet. drachmas duas.
Arcani duplicat. drach. unam.
Salis Centauri minoris,
Cardui Benedicti, ana drachmam ſemis.
Magiſterii Antimonii Diaphoretici, drachmam unam.
Pulveris Corticis Peruviani, unciam unam.
Succi Citri recentis,
Syrupi Card. Bened. ana q. ſ.
Ad conſiſtentiam Electuarii.

ELECTUARIUM ANTIFEBRILE D.D. Löw.

℞. Pulveris Chinachinæ, drachmas ſex.
Conſervæ Acetoſellæ, unciam ſemis.
Syrupi ejusdem, q. ſ.
Ad conſiſtentiam Electuarii.

ANIMADVERSIO ET USUS.

Hæ ſunt deſcriptiones ab expertiſſimis Practicis Pragenſibus *commendatæ*, *quarum attamen* uſus cautior

tior *ſit*, *oportet*; *ubi enim* magna *adhuedum* congeries eruditatum *in primis viis latitat*, *ac* corpus *non debitè* evacuatum, *non tam* felix *exinde ſperari poteſt* effectus. Corpore *verò debitè* evacuato *ac* materiâ febrili *jam* concocta *vix unquam citrà* bonum effectum *exhibetur*. *Doſis cujuslibet eſt à* drachmis duabus *ad* unciam ſemis *unâ & altera horâ ante Paroxiſmum*.

ELECTUARIUM ANTIDOTUM MATHIOLI.

℞. Rhabarbari,
Rhapontici, Agarici,
Radicis Phu, Calami aromat.
Cyperi, Quinquefolii,
Tormentillæ, Ariſtolochiæ rotundæ, Pœoniæ, Helenii, Coſti, Ireos Illiricæ, Chamæleontis albi, ana darchmas tres.
Galangæ, Imperatoriæ, Dictamni albi, Angelicæ, Filipend. Zedoariæ, Zinziberis, ana drach. duas.
Gentianæ, Morsûs Diaboli, ana drachmas duas.
Sem. Citri, Viticis, Cocci infectoriæ, Fraxini, Oxalidis, Paſtinacæ ſylveſtris, Napi, Nigellæ, Pœoniæ, Ocymi, Irionis, Thlaſpios, Fœniculi, Ammeos, ana drachmas duas.
Baccarum Lauri, Juniperi, Hederæ, Smilacis aſperæ, Cubebarum,
Folior. Scordii, Chamædryos, Chamæpityos, Centauri minoris, Stœchadis Arabicæ, Nardi celticæ, Calaminthæ, Ruthæ, Menthæ, Betonicæ, Verbenacæ, Scabioſæ, Cardui Benedicti, Meliſſophilli, ana drachm. unam ſemis.
Millefolii, Libanotidis maris, Dictamni cretici, ana drachmas tres.
Sampſuchi, Hyperici, Junci odorati, Marrubii, Galegæ, Sabinæ, Pimpinellæ, ana drachmas duas.
Caricarum, Nucum juglandium, Piſtaciorum, ana uncias tres.
Myrobalanorum emblicarum drachmas quatuor.
Flor. Bugloſſi utriuſque, Roſarum, Lavendulæ, Salviæ, Rorismarini, ana ſcrupulos quatuor.
Croci, drachmas tres.
Caſſiæ ligneæ veræ, drachmas decem.
Caryophillorum, Nucis moſchatæ, Macis, ana drachmas duas ſemis.
Piperis nigri, longi, Sandalorum omnium, Agallochi, ana drachmam unam ſemis.
Cornu Cervi, unciam ſemis.
Unicornu, drachmam unam.
Oſſis de Corde Cervi, Ramentorum Eboris, Virgæ cervinæ, Caſtorei, ana ſcrupulos quatuor.
Terræ lemniæ, drachm. tres.

Opii

Opii, drachmam unam ſemis.
Margarittarum Orientalium,
Fragmentor. Smaragdi,
Hyacinthi,
Corallii rubri, ana drachmam unam ſemis.
Camphoræ, drachmas tres.
Maſtiches, Thuris, Styracis, Myrrhæ, Gummi Arabici, Reſinæ terebinthinæ, Sagapeni, Opopanacis, Laſerpitii, ana drachmas duas ſemis.
Moſchi odorati, Ambræ, ana drachmam unam.
Specier. Cordialium temperat.
Diamargariti frigidi,
Diamoſchu dulcis,
Diambræ,
De Gemmis frigid.,
Trochiſcor. de Camphora,
Scillinorum, ana drachmas duas ſemis.
de Vipera, uncias duas.
Succi Oxalidis, Sonchi, Scordii, Echii, Bugloſſi, Melliſophylli, ana libram ſemis.
Hypociſtidis, drachmas duas.
Theriacæ electæ,
Mithridatii optimi, ana uncias ſex.
Vini veteris albi odorati, libras tres.
Mellis optimi, libras octo & uncias ſex.

Fiat ſecundùm Artem Electuarium eô modô, quo Theriaca aut Mithridatium conficiuntur.

ANIMADVERSIO ET USUS.

I. Compoſitio hæc *ob rariorem ejuſdem uſum inter minùs uſualia in P. A. R. collocatur, in cujus locum uſitatior* Therica *ac* Mithridatium *expeti ſolet. Deſcribitur* à Petro Andreâ Mathiolo in Comment. ad lib. VI. Dioſcoridis.

II. Ejus uſus *eſt adversùs* pleraque venena, *quæ per os ingeruntur, itémque adversùs* ea, *quæ* morſu *vel* ictu *inferuntur.* Peſti *plurimùm adverſatur*, morbósque malignos *præcavet ac expellit; hinc* Theriacæ *aut* Mithridatii vires *æmulatur. Doſis eſt à drachma una ad drachmas duas externè quandoque* morſibus venenatis *applicatur.*

ELECTUARIUM
DE BACCIS LAURI RHASIS.

℞. Folior. Ruthæ, drach. decem.
Seminis Ammeos,
Cumini,
Nigellæ,
Liguſtici,
Carvi,
Dauci,
Calami aromatici,
Origani,
Amygdalorum amarorum.
Piperis nigri,
longi,
Mentaſtri,
Baccarum lauri,
Caſtorei, ana drachm. duas.
Sagapeni, unciam ſemis.
Opopanacis, drachmas tres.
Mellis triplum, id eſt libram unam, uncias quatuor, drachmas ſeptem.

Tritis diligenter, quæ terenda sunt, fiat Electuarium, additis circà finem lachrymis vinô dilutis.

ANIMADVERSIO ET USUS.

I. Descriptionem Electuarii hujus *parùm æstimat* Clariss. Ludovici, *cùm ob* ingratum ejus saporem *pro* usu interno *vix ægrotis exhiberi possit, & non nisì pro* clysteribus *exhiberi soleat.*

II. *Commendatur ad* Colicam, & Iliacam passionem; *ac* doloribus intestinorum *ex causa frigida* ortis, *unde* flatus *evocando & discutiendo in* Enemetibus *adhibetur.*

ELECTUARIUM BENEDICTUM LAXATIVUM.

℞. Diagrydii,
Extracti Esulæ,
Hermodactylorum,
Rosarum, ana drachmas quinque.
Turbith gummosi, (que.
Sachari Thomæi, ana drachmas decem.
Seminis Amomi, Apii, Asparagi, Carvi, Fœniculi, Lithospermi, Petroselini, Rusci,
Cardamomi minoris,
Caryophillorum,
Croci,
Galangæ.
Macis,
Piperis longi,
Saxifragiæ veræ,
Spicæ Indicæ,
Zinziberis, ana drachmam unam.
Cum s. q. mellis optimè despumati libra una semis, fiat ùt artis Electuarium.

ANIMADVERSIO ET USUS.

Aliàs etiam Benedictum Laxativum Nicolai *vocatur, quod nomen ab* Auctore Massaria *accepit. Vix unquam amplius à modernis intrà sumendum; verùm potiùs in* Enematibus *præscribitur. Dosim ejus statuit* Author *ab uncia semis ad unciam unam.*

ELECTUARIUM CARYOCOSTICUM P. A. R.

℞. Costi amari,
Seminis Cimini,
Zinziberis albi,
Caryophyllorum, ana drachmam unam.
Diagrydii, (
Hormodactylorum alborum superiore cortice mundatorum, ana drachmas duas.
Mellis despumati & sufficienter inspissati,
Vini odoriferi, ana unc. tres.
Fiat L. A. Electuarium.

ANIMADVERSIO ET USUS.

Nomen suum *sortitur à Caryophyllis & Costo compositionèm ingredientibus. Septem drachmæ habent* Diagrydii *quindecim grana, & totidem grana de* Hermodactylis. Bilem utramque *evacuat,* Cachexiæ *& ex* illa provenientibus morbis variis *conducit,* obstructiones viscerum *reserat, eorundémque* du-

duritiem *attenuat & emollit. Dosis à drachma una ad unciam semis.*

ELECTUARIUM CHALYBEATUM P. A. R.

℞. Limaturæ chalybis præparat. uncias septem.
Cinnamomi acuti,
Nucis moschatæ, ana drachmas sex.
Rhabarbari electi, drachmas duas.
Specierum Aromat. Rosat. drachmas sex.
Mellis optimi despumati,
Sachari albissimi, ana uncias tredecim.

Misce ad lentum ignem, & fiat Electuarium.

ANIMADVERSIO ET USUS.

Hujus Electuarii *inventorem esse* Fabricium Barzonium Professorem Bononiensem *testantur* Augustani, *cujus usum in* Cachexia mulierum, *in* jecoris diuturna obstructione, & virginum albo Ictero *singularem esse comprobant* Clarissimi Viri D.D. Crato, Mentzelius, & Meermannus. *Dosis ejus à drachma una (quæ grana duodecim circiter chalybis præparati continet) ad drachmas duas pro ratione Subjecti extendi potest.*

ELECTUARIUM DENTIFRICIUM.

℞. Coralliorum rubrorum, unciam semis.
Cremoris Tartari, (nam.
Terræ Catechu, ana unciam u.
Oculorum cancrorum,
Ossis sepiæ,
Radicis tormentillæ,
Mastichis,
Myrrhæ,
Aluminis usti, ana drachmas duas.
Sanguinis Draconis, unciam unam.
Laccæ florentinæ, drach. sex.

Misce fiat pulvis, & cum succo mororum & melle rosarum s. q. fiat Electuarium.

ANIMADVERSIO ET USUS.

I. Pro varia dispositione Medici hoc Electuarium *parari solet, dum* Caryophylli, Radix Ireos Fl. Moschus & similia *ad placitum superaddi possunt; prout si* Pulverem dentifricium Augustanorum (*de quo infrà*) *cum s. q.* mellis Rosat. *ad* Consistentiam Electuarii *miscere libet, cum vel sinè* (*pro re nata*) moscho & zibetho. *In promptu* electuarium dentifricium *habetur.*

II. *Adhibetur commodè in* gingivarum laxitate, Scorbuto, & mucositate dentium, *quos à sordibus purgat, dealbat, & à carie præservat,* Gingivas *quoque stringit, manè & vesperi illinitum, quô factô os* aquâ tepidâ *vel* vinô rubrô *eluendum.*

ELECTUARIUM DIACARTHAMI

℞. Specierum diatragacanthi frigid. unciam semis.
Pulpæ Cydoniorum conditæ, unciam unam.
Medullæ carthami, unc. semis.

Zinziberis, drachmas duas.
Diagrydii, drachmas tres.
Turbith albi, drachmas ſex.
Mannæ, drachmas duas.
Mellis roſati colati,
Sachari Cantii, ana unciam unam.
Hermodactylorum, unciam ſemis.
Sachari albi in Aqua Borraginis diſſoluti, uncias decem ſemis.
Fiat Electuarium liquidum.

ANIMADVERSIO ET USUS.

I. *Eſt Compoſitio* D. Arnoldi de Villa nova, *in quam* Auguſtani *animadvertunt, ut* Pulpa Cydoniorum *ſacharô condiatur, aut in ejus locum eorundem Cydoniatum ſuccedat, & cum* manna *ac* melle roſato *ſolutum per ſtamen coletur: quæ omnia* ſacharô *poſtea paulò ultrà, quàm Electuario convenit, cocto, ſimul trita & colata cum pulveribus adduntur.* Diagrydium *tamen per ſe terendum.*

II. Flavæ bili *ac* pituitæ educendæ *prodeſt, & ad* omnes affectus *è mixta cum bile pituita provenientes efficax eſt, mixtis itidem* Podagris, Hemitritæo, Paralyſi *ac* Cephalalgiæ *ſuccurrit. Doſis eſt à drachma una ad unciam ſemis.*

ELECTUARIUM DIACATHOLICONIS.

℞. Polypodii querni, libram ſemis Decoquatur in aquæ communis libris octo, ad medietatis conſumptionem: In quo Decocto colato diſſolvantur

Sachari albi libræ quatuor.

Coquantur ad Syrupi conſiſtentiam: ubi paululum refrixerit, addantur:

Pulpæ Caſſiæ,
Tamarindorum, ana unciæ quatuor.

Probè agitando, poſtremò ſubſequentes pulveres paulatim inſpergantur:

℞. Sennæ, uncias quatuor.
Rhabarbari,
Violarum,
Polypodii,
Aniſi, ana uncias duas.
Glycyrrhiſæ, drachmas duas.
Seminum quatuor frigid. majoris. ana unciam ſemis.

Miſceantur ùt Artis eſt.

ANIMADVERSIO ET USUS.

I. *Alio nomine* Antidotus Catholica Nicolai Præpoſiti *vocatur, & eſt medicamentum ſatìs grati ſaporis, hinc à Majoribus noſtris magnoperè exiſtimatum; quibus in* ipſis acutis & peracutis morbis *ad* ſubducendos pravos humores *in frequentiori uſu habebatur. Emmollit enim & alterat, robur addit* Jecinoroſis, Lienoſis, & Arthriticis, tertianis, quartanis, & quotidianis febribus *adverſatur*: Doloribus *item* capitis *auxiliatur*, univerſos *denique* corporis humores *blandè ac innoxiè educit.*

II. *Datur ab uncia dimidia ad integram, hodie frequentiùs ab uncia una ad unciam unam ſemis aut duas Clyſteribus additur, in quibus acriori ſtimulô uti non licet.*

ELECTUA-

ELECTUARIUM DIACORI.

℞. Radicis Eryngii,
Calami aromatici,
Pinearum, ana libram unam semis.

Radices Eryngii mundatæ & incisæ coquantur in aqua clara, donec aqua consumatur. Postea optimè pistentur, & in minutissimas partes conterantur, ad pultis consistentiam: deinde affundendo mellis optimè despumati libras decem, coquantur lento igne, donec tota aqua, quam radices imbiberunt, in vaporem resoluta sit, diligenter agitando, nè radices adurantur. Cùm autem justæ spissitudinis consistentiam adquisiverit, ab igne deponatur, & radices Acori tenuissimè tritæ, ac Pineæ minutissimè incisæ cum subsequenti pulvere optimè mixtæ addantur:

℞. Piperis nigri, unciam unam.
longi,
Caryophyllorum,
Zinziberis,
Rosarum,
Macis, ana unciam semis.
Nucis moschatæ,
Galangæ,
Cardamomi, ana drach. tres.

ANIMADVERSIO ET USUS.

Vocatur etiam Diacorum Mesue, *à quo describitur de* ægritud. nervor. Cap. I. *Commendatur ad* omnes nervorum ægritudines, *acuit enim* omnes sensus & ingenium, *sedat* dolores capitis, *hinc peculiare remedium frigidarum ægritudinum existit, dum* Senibus Catarrhosis, *imò etiam* Cachecticis, & Hydropicis *opitulatur. Dosim ejus Auctor præscribit unciam unam manè & vesperi sumendam.*

ELECTUARIUM DIAPHOENICONIS.

℞. Pulpæ Dactylorum Citrinorum ex eorundem enucleatorum unciis sex, & drachmis duabus, post triduanam in aceto maceratione paratam,
Pinearum, unc. tres & drachmam unam.
Amygdalor. dulcium, drachmas quindecim.
Turbith electi, drachmas septemdecim semis.
Diagrydii, drachmas sex.
Zinziberis,
Piperis longi,
Foliorum Rutæ siccorum,
Cinnamomi,
Macis,
Ligni Aloës,
Anisi,
Fœniculi,
Dauci,
Galangæ, ana scrup. quatuor.
Mellis despumati, libras tres, uncias undecim & drachmas quinque.

Fiat L. A. Electuarium.

ANIMADVERSIO ET USUS.

Electuarium hoc (*ut* Mesue *refert*) *descripsit* Filius Zezac, *cujus basis est* Turbith, *instar juvantis verò accedit* Diagrydium, *corrigen-*

rigentis autem locò Dactyli citrini nondum debitè maturi aceto per triduum macerati. Usurpatur ad Pituitam & ſeroſos humores evacuandos, *propterea convenit in* Hydrope, morbis ſoporoſis, & Apoplexia ſeroſa; Ventriculi *itidem* doloribus, *ac id generis vitiis ex crudis humoribus exortis, unde in inflationibus ventris, ac obſtructionibus medetur. Datur à drachma una ad drachmas ſex pro ratione virium & ætatis.*

ELECTUARIUM DIAPRUNIS LAXATIVUM.

℞. Succi liquiritiæ ſeu Glycyrchizæ, drachmas duas.
Violarum, unciam ſemis.
In aquæ ſufficienti quantitate bulliant, & colentur; in colatura ſolvantur
Sachari libræ duæ.
Coquantur ad debitam conſiſtentiam, tandem addantur
Pulpæ Prunorum Damaſcen. libra una.
Caſſiæ,
Tamarindorum, ana uncia una.
Pulveris Sandali albi,
rubri,
Spodii de Ebore,
Rhabarbari,
Cinnamomi, ana drachmas tres.
Roſarum,
Violarum,
Seminum Portulacæ,
Scariolæ,
Berberis,
Tragacanthi, ana drachmæ duæ.
Seminum quatuor frigid. major. ana drachma una.
Commiſceantur ùt eſt artis.

ANIMADVERSIO ET USUS.

I. *Dicitur juxtà Auguſtanos* Electuarium de prunis lenitivum, *ſeu* Diadamaſcenon Nicolai, *non debet autem confundi cum* Diaprunо laxativo, *quod ex* lenitivo *per additionem* Diagrydii *conficitur; dum videlicet uni libræ lenitivi modicè calenti additur uncia dimidia* diagrydii *optimè* pulveriſati. *In hoc itaque* Diaprunum laxativum *in ſingulas drachmas ingrediuntur tria grana* Diagrydii *circiter, juxta* Valerium Cordo, & Bricium Bauderono Pharmacopæum Pariſienſem.

II. *Confert* morbis *à bile* genitis, *aſt in* febribus, *in quibus* calidioribus & ſtimulantibus remediis *uti fas non eſt, ab eo abſtinendum. Doſis ejus à drachma una ad drachmas ſex, in Clyſteribus verò ab uncia una uſque ad uncias duas præſcribitur.*

ELECTUARIUM DIASATYRIONIS NICOLAI.

℞. Rad. Satyr. recent. ſucculent.
Paſtinacæ ſativæ recent.
Eryngii recentium,
Nucis Indicæ,
Pinearum,
Piſtaciorum, ana unciam unam ſemis.
Caryophyllorum,
Zinziberis albi,
Seminis fraxini,

Seminis Ani-

Seminis Aniſi,
Erucæ, ana drachmas quinque.
Urticæ,
Cinnamomi,
Carnis ſcinci veri, ana drachmas duas ſemis.
Moſchi, grana ſeptem.
Mellis deſpumati optimi, libras tres.

Radices Satyrii, Paſtinacæ, & Eryngii ſeorſim bene tritæ melli imponantur, ac ſubigantur, paululúmque lento igne ferveſcant, deinde Piſtacia & Nuces Pineæ mundatæ, ac tuſæ adjiciantur: ubi cum melle aliquantulum bullierint, ſublato ab igne lebete, tuſæ & cribratæ ſpecies, ac poſtremò moſchus cum pauca Roſarum aqua ſolutus addatur, omniáque probè permiſceantur.

ANIMADVERSIO ET USUS.

I. Satyrii & Paſtinacæ radices *melle aut ſacharô* conditas, *ad hujus compoſitionis ſtructuram* aſſervandas *perquam commodè ſuadent* Auguſtani, *tam diu donec* Paſtinacæ ſativæ *ad maturitatem pervenerint*; *unde mellis libræ tres ſufficere poterunt.*

II. Analepticum *dicitur eſſe* Medicamentum, *conſumptos & emaciatos reficiens, quibus his, an ſat tutè exhiberi queat?* circumſpectus *judicet* Medicus. *Uſurpatur pro* ſemine augendo, & venere languida concitanda, *valet contra* renum & veſicæ imbecillitatem, *dum* & remorantem urinam *propellit. Datur ad unciam dimidiam cum bono vino veteri.*

ELECTUARIUM DIASCORDII FRACASTOREI.

℞. Scordii, unciam unam.
Cinnamomi,
Caſſiæ ligneæ,
Dictamni cretici,
Tormentillæ,
Biſtortæ,
Galbani,
Gentianæ,
Gummi Arabici, ana unciam
Seminis acetoſæ (ſemis.
Opii, ana drachmam unam ſemis.
Styracis calamitæ, drachmas quatuor ſemis.
Boli Armenæ, unciam unam ſemis.
Terræ Lemniæ, unciam ſe-
Piperis longi, (mis.
Zinziberis, ana drach. duas.
Mellis clari, libras duas ſemis.
Conſervæ Roſarum, libram unam.
Fiat Electuarium.

ANIMADVERSIO ET USUS.

I. Hæc compoſitio *ab* expertiſſimis Practicis *magni æſtimatur, utpotè ex Alexipharmacis, adſtringentibus, terreis, & opii exigua quantitate* (*ità ut uncia integra vix duo grana complectatur*) *exiſtens; quare tutiùs quam* Theriaca *gravidis ac infantibus in* vomitu, ſingultu, torminoſísque dejectionibus *exhibetur.*

II. *Deſcribitur ab* Hieronymo Fracaſtorio *de* Contag. & Morbis

bis contagioſis lib. II. c. 7. *Quod in Peſte correptis ac extremè deſperatis cum notabili quantitate* vehiculi acidi *in hunc modum commendat*:

℞. Succi Lujulæ ſeu trifolii acetoſi, uncias duas.
Citri, unciam unam.
Diaſcordii, drachmam unam.
Specierum cordialium è gemmis, ſcrupulos duos.
Aceti, unciam unam.
Omnia miſceto pro una doſi.

III. Sydenham *illud ſequentibus commendat, dicens*: Præclarum ſanè medicamentum, modò ea quantitate exhibueris, quæ remedii potiùs, quàm tituli menſuram impleat. *Hinc & in* Diarrhæis febribus continuis *junctis mederi jubet enemate, cui* diaſcordii *drachmæ tres injiciuntur. Quid* Sylvius *in* hoc Electuario *improbet? legi poteſt* Prax. Medic. lib. I. cap. 58. *Item* Stahlius *in* Obſerv. Medico-Pract. à DD. Gœtzio editis pag. 71. 72.

IV. *Denominationem ſortitur à* Scordio, *quod ejus baſim conſtituit*, egregium *eſt* ſudoriferum *in* morbis malignis *admodùm* proficuum, *conducit etiam in* Diarrhæa, Dyſenteria, & omni fluxu præternaturali. *In* fluxibus alvinis *commodè* Rhabarbarum toſtum *commiſceri poteſt. Doſis ejus eſt à drachma una ad drachmas duas.*

ELECTUARIUM HIERÆ SIMPLEX.

℞. Cinnamomi,
Xylobalſami, aut ejus locô Ligni Aloës vel cubebarum,
Aſari,
Spicæ Indicæ.
Maſtiches,
Croci, ana drachmas ſex.
Aloës non lotæ, uncias duodecim ſemis.
Mellis deſpumati, libras quatuor uncias tres.
Fiat Electuarium.

ANIMADVERSIO ET USUS.

I. *Attendendum eſt, nè ſpecies* melli deſpumato *adhuc* ferventi *injiciantur, ſed ab igne remoto & frigefacto, cæteroquin* Aloës *inſtar picis indurata coit, & conglobatur; quod & de* aliis pulveribus reſinoſis *notandum eſt, præcipuè* Diagrydio.

II. Medicamentum hoc famoſum *deſcribitur à* Galeno 7. Method. Med c. 9. & lib. II. de tuenda valetudine cap. 10. *quod quàm maximè prodeſſe ſcribitur* vitioſis ſuccis, *qui in* ventriculi tunicis *hærent; hinc & illis utiliter exhiberi ſolet, qui* ſuffuſorum imagines & alia ſymptomata *ex* ſtomachi vitio *patiuntur, & præterea iis, qui alvô ſunt adſtrictâ, ùt & mulieribus, quæ non probè purgantur. Ut plurimùm autem ejus uſus hodie in* clyſteribus *tantùm eſſe ſolet.* Hujus Electuarii *uncia dimidia*, ſpecierum *drachmam unam complectitur, & drachma una* ſpecierum *continet grana circiter 40. de* Aloë.

ELECTUARIUM HIERÆ CUM AGARICO.

℞. Specier. Hieræ ſimpl. ſinè Aloë,
Agarici Trochiſcati, ana unciam ſemis.

Aloës

Aloës non lotæ, unc. unam.
Mellis deſpumati, uncias ſex.
Miſce fiat Electuarium.

ANIMADVERSIO ET USUS.

Aliàs etiam dici ſolet Hiera pro Clyſteribus, *ex eo, quod potiſſimùm in iisdem pro ſtimulo ab uncia ſemis ad drachmas ſex adhibeatur. Intrinſeco uſui ad bilem & pituitam citrà moleſtiam educendam à drachma ſemis ad drachmas duas commendatur.*

ELECTUARIUM LENITIVUM FLORENZOLÆ.

℞. Paſſularum majorum ab arillis liberatarum, unc. duas.
Capillorum veneris, ſeu Adianthi nigri,
Violarum recentium,
Hordei mundi, ana manipulum unum.
Jujubarum,
Sebeſten, ana numerô viginti.
Glycyrrhizæ, unciam ſemis.
Prunorum enucleatorum,
Tamarindorum, ana drachmas ſex.
Foliorum Sennæ,
Polypodii, ana uncias duas.
Mercurialis, manipulum unum ſemis.

Decoquantur ùt artis eſt in ſ. q. aquæ ad conſumptionem duarum tertiarum, poſtmodum colentur, & in colato diſſolvantur:
Sachari albiſſimi, unciæ ſex.
Coquantur ad debitam conſiſtentiam, ut additis:
Pulparum Caſſiæ,
Tamarindorum,
Pulp. Prunorum,
Conſervæ violarum, ana unciis ſex.
Pulveris Sennæ, unciis tribus ſemis.
Fiat Electuarium.

ANIMADVERSIO ET USUS.

Ex nomine patet blandum *eſſe* medicamentum, *quod leniter* inteſtina *abſque incommodo ſubductis fœcibus evacuat*, febrium humoralium *ſive* putridarum materiam *ſubtrahit*, inteſtina *lenit & emollit*: Plevritidi *quoque, nec non aliis* pectoris *ac* renum, morbis *præſertim* à calore natis *auxiliatur*, *quamvis hodiedum rarioris ſit usûs, poteſt dari ab uncia una ad duas. Interdum* clyſteribus emollientibus, *ubi* ſtimulantia *locum non habent, admiſcetur.*

ELECTUARIUM MYTHRIDATIUM DAMOCRATIS.

Compoſitio hæc, cùm prolixior ac in ſuas claſſes ordinatiſſimè in P. A. Renovata diſpoſita conſpici queat, hìc loci citrà neceſſitatem paginas multiplicare haud licuit. Hoc unicum innuendum nobis venit, quòd hæc antidotus ſat moderatè opiata exiſtat, dum quatuordecim ſcrupuli unicum granum opiati excipiant, quanquam credibile ſit, fermentatione tantiſper exaltetur, ut unica drachma ſatis conſpicuum efficiat effectum. Unde & in tenerioribus Subjectis cautior ejus uſus ſit, ne-

ceſsè eſt. Mirabile tamen eſt, dum ad menſes ciendos & partum provocandum à Practicis commendatur, quæ vis fors in relaxatione partium nervoſarum conſiſtere videtur, unde & à Maur. Hoffmanno Auctore multis familiares exiſtunt Pilulæ ad Diſtokiam ex hac theriaca, cinnamomo, & liquiritia ad conſiſtentiam duriorem ſubacta conſtantes; quarum ſcrupulus unus in caſu partûs difficilioris parturienti exhiberi cum ſalutari effectu in comperto habetur. Ultroneus ejus uſus internus & externus ex Pharmacopœa Auguſtana Renovata peti poteſt.

ELECTUARIUM ORVIETANUM.

℞. Rad. Angelicæ,
Ariſtolochiæ longæ,
Anthoræ,
Biſtortæ,
Cardui Benedicti,
Gentianæ,
Tormentillæ,
Dictamni Cretici,
Seminis Citri,
Acetoſæ,
Echii, ana partes æquales.
Radicis Scorzoneræ, ad pondus omnium.
Pulveriſentur ſubtiliſſimè, quibus adde
Mellis depurati triplum,
Vini malvatici q. ſ.
Theriacæ Andromachi, decimam partem.
Miſce fiat Electuarium.

ANIMADVERSIO ET USUS.

Nomen ſortitur ab Urbe Italiæ Orvietum *dicta*, *Authorem verò* Hieronymum Ferrantem *teſtatur* Franciſcus Paulinus *de* Theriaca Cœleſti. *Vires* hujus Electuarii *Alexipharmacæ ſunt, dicitúrque, quòd Auctor* quodvis *ſibi* oblatum venenum *publicè in foro fiduciâ* hujus ſuæ Antidoti *aſſumere haud verebatur. Doſis ejus à drachma una ad duas in aceto exhiberi conſuevit.*

ELECTUARIUM DE OVO.

℞. Ovum gallinæ recens, & educto per apicem albumine, id, quod vacuum eſt, crocô Orientali non pulveriſato adimple, vitellum non auferendo: poſtea cum alio putamine iterum occlude, nè quid tranſpiret, & lento igne, tam diu aſſa in ollula, donec tota ovi teſta nigreſcere incipiat, diligenter cavendo, nè crocus comburatur. Exemptâ è teſta materiâ exſiccetur, ut in mortario exquiſitiſſimè contundi, & in pulverem redigi queat, addendo Pulveris Sinapis albi quantùm prædicta omnia ponderant, poſtea:

℞. Pulveris Dictamni albi,
Tormentillæ, ana drachmas duas.
Myrrhæ,
Cornu cervi,
Angelicæ,
Pimpinellæ,
Granorum Juniperi,
Zedoariæ,

Pulveris Cam-

Pulveris Camphoræ, ana unciam ſemis.

Miſce omnia ſimul in mortario, & tandem adjice

Theriacæ optimæ ad pondus omnium.

Ac iterum piſtillò fortiter contunde & commiſce, per tres quaſi integras horas agitando, fiat Electuarium ùt eſt artis.

ANIMADVERSIO ET USUS.

Maximiliano I. Imperatori *glorioſiſſimè memoriæ tribuitur.* Magnam *hodiedum apud Practicos ob* vim ſuam Alexipharmacam & febrifugam *meretur* exiſtimationem. *Unde præcipuus ejus uſus eſt in Peſte & præſervatione à venenis deleteriis, quia ad peripheriam potenter pellendo* miaſma peſtilentiale *excludit. Præterea etiam ſingulariter commendatur ad maniam à phyltro contractam, ùt & iis, qui* à cane rabido *ſunt morſi. Doſis ejus eſt à drachma ſemis ad drachmas duas, quamvis* Joann. Bapt. Gemma *ad unciam unam illud adulto exhibere non vereatur.*

ELECTUARIUM PECTORALE PRAGENSE.

℞. Herbæ Salviæ,
Scolopendriæ,
Epaticæ nobilis,
Pulmonariæ,
Rutæ hortenſis,
murariæ,
Hyſſopi,
Farfaræ,
Saniculæ,
Scabioſæ,
Herbæ Veronicæ,
Radicis Enulæ campanæ,
Plantaginis aquat. ana unciam ſemis.
Liquiritiæ,
Ireos Florentinæ, ana drachmas ſex.
Florum Sambuci,
Polipodii querni, ana unciam ſemis.
Cubebarum, drachmas tres.
Seminis Aniſi,
Fœniculi,
Pulmon. vulpis præparati, ana drachmas ſex.
Hepat. lupi præparati, unciam ſemis.

Fiat omnium pulvis, & cum ſacharo Canar. libris circiter tribus in āqua Hyſſopi, Farfaræ & Scabioſæ, ana q. ſ. ſoluti, & ad conſiſtentiam cocti miſce, ultimò adde

Pulpæ Paſſularum majorum, minorum,
Caricarum pinguium, ana unciam unam.

Fiat Electuarium.

ANIMADVERSIO ET USUS.

Proſtat adhuc alia Compoſitio in noſtris officinis in affectibus pectoris *ob gratiorem ſaporem pro delicatioribus etiam uſualis, cujus deſcriptio* ex Tabula Smaragdina fol. 91. N. 140. *deſumpta*, DD. Winckelrum Authorem *profitetur, idque nonnunquam cum* melle depurato *locò* ſachari *factum* à noſtris Practicis *expetitur. Doſis utriusque pro re nata à drachma una ad unciam ſemis.*

ELECTUARIUM PHILONIUM ROMANUM.

℞. Piperis albi, drachmas quinque
Opii, drachmas duas semis.
Cassiæ ligneæ veræ, drachmam unam semis.
Sem. Hyosciami albi, drachmas quinque.
Apii, drachmam unam.
Petroselini Macedonici,
Fœniculi,
Dauci Cretici, ana scrupulos duos, grana quinque.
Croci, scrupulum unum.
Nardi Indicæ,
Pyrethri, (cim.
Zedoariæ, ana grana quinde-
Cinnamomi, drachmam u-
Evphorbii, (nam semis.
Myrrhæ,
Castorei, ana drachm. unam.
Mellis optimi, triplum, id est uncias octo, drachmas quatuor semis.
Fiat ùt artis Electuarium.

ANIMADVERSIO ET USUS.

Compositio hæc ab Authore suo Philon dicto *denominatur*; *est* medicamentum *sat* anodynum, *quippe drachmâ una continet opii granum unum. Adhibetur* ad Colicos Affectus, cæterarúmque partium graves dolores, ventris, Hypochondriorum, ventriculi, uteri, hepatis, lienis, renum, ab intemperie frigida, flatibus crassis *aut* crudis humoribus excitatos *sedat*, tusses intensissimas suffocationis periculum minantes *ex* cordis *aut* Pulmonum incendio, singultum *etiam* vehementem, *nec non* urinæ difficultatem *tollit*, sanguinis ejectionibus, tabidis, suspirios, plevriticis *confert*, hæmorrhagiam *sistit*, somnum *conciliat*, & ità vires *reficit*, dolorésque omnes *abigit*. *Sed in* Colicis Affectibus *cum Spiritu Anisi datum*, præcipuam *habet* dignitatem, *unde* Galenus lib. II. de Locis Affect. *scribit*: Doloris enim magnitudo sæpè totam in se curationem intendit, & in miseram vitæ desperationem multos conjicit. *Dosis à scrupulo uno ad drachmam unam.*

ELECTUARIUM REQUIES NICOLAI DICTUM.

℞. Rosarum rubrarum,
Violarum, ana drachmas
Opii, (tres.
Sem. Hyosciami,
Papaveris albi,
Scariolæ,
Lactucæ,
Portulacæ,
Psyllii,
Corticis Radicis Mandragoræ,
Nucis moschatæ,
Cinnamomi,
Zinziberis, ana drachmam unam semis.
Sachari Candi, drachmam u-
Sandali albi, (nam.
rubri,
Spodii,
Tragacanthi, ana scrupulos duos, grana quinque.
Sachari, uncias decem.
Cum aqua Rosarum modica misce, fiat lege artis Electuarium.

ANIMAD-

ANIMADVERSIO ET USUS.

Sic appellatur ab effectu, quòd dolorem *obtundat ac mitiget*, calorémque febrium mitiorem *reddat*, & iis, *qui hanc sumunt*, requiem *adferat. Una drachma continet integrum granum* opii, *unde à scrupulo semis ad drachmam unam semis pro ratione ætatis exhibetur. Aliàs etiam utilis est* temporibus & pulsibus manuum *inuncta*, cordis dolorem *lenit*, somnúmque *conciliat.*

ELECTUARIUM ROSATUM MESUE.

℞. Succi Rosarum rubrarum depurati, libras quatuor.
Sachari optimi, libram unam semis.

Coquantur lento igne ad mellis consistentiam addendo in fine

Mannæ electæ succo Rosarum dilutæ, uncias sex.

Et tandem

Diagrydii, unc. unam semis.
Trochiscorum de spodio, unciam unam.
Berberibus, unciam semis.
Galliæ moschatæ veræ,
Croci, ana drachmas duas.

Fiat Electuarium ùt artis est.

ANIMADVERSIO ET USUS.

Parari etiam hoc Electuarium *solet sinè* Gallia moschata, *partim pro pauperibus, partim pro iis, qui ejus odorem non facilè ferunt. Est* salubre Cholagogum in febribus biliosis *jam olim* expetitum; *præterea confert* Arthritidi calidæ, Cephalalgiæ, Vertigini, Ictero & oculorum dolori. *Datur ab uncia semis ad drachmas sex.*

ELECTUARIUM DE SUCCO ROSARUM NICOLAI.

℞. Succi Rosarum rubrarum,
Sachari albi, ana unc. sedecim.
Scamonii præparati, unciam unam semis.
Sandali rubri,
albi,
citrini, ana drach. sex.
Spodii de ebore, drach. tres.

Succus Rosarum cum sacharo ad justam consistentiam coquatur, deinde sandala cum spodio, ac tandem diagrydium adjiciantur.

ANIMADVERSIO ET USUS.

Aliàs etiam huic Compositioni *camphoræ scrupulus unus addebatur, quia verò ejusdem odor non omnibus congruus videbatur, hìc & nunc omittitur, cùm aliunde ad cujusvis placitum addi possit. Commendatur ad* omnes affectus, *in quibus* bilis flava *redundat*, *aut* biliosi ichores *peccant; Convalescentes ex ægritudine, quotidianarios, & tertianarios sinè molestia purgat*, malignorúmque humorum reliquias *educit*, tertianæ simplici, duplici, febribus biliosis, malisque omnibus à calore natis *prodest. Drachma una* hujus Electuarii *ferè quinque grana* Diagrydii *continet, hinc ejus Dosis est à drachma semis ad drachmam unam semis & duas.*

ELECTUARIUM DE TAMARINDIS.

℞. Foliorum Sennæ ſinè ſtipitibus, uncias quinque.
Cinnamomi optimi, drachmas ſex.
Seminis Fœniculi, drachmam unam.
Vini malvatici optimi, libras tres.

Semel ebulliant, poſtea in loco calido per diem & noctem digerantur vaſe clauſo; fiat deinde colatura cum expreſſione, qua extrahantur pulpæ paſſularum minorum & majorum unc. quatuor ſemis, extractæ maſſæ per ſetaceum adde

Pulpæ tamarindorum,
Electuarii diaprunis lenitivi, ana uncias tres.
Cremoris Tartari, drachmas duas.
Olei Nucis moſchatæ deſtillati, ſcrupulum unum.
Aniſi, ſcrupulum ſemis.

Miſce, fiat Electuarium.

ANIMADVERSIO ET USUS.

Auctores hujus Electuarii, *quibus potiſſimùm in uſu fuerat, eſt* D. D. Georg. Horſtius & Thonerus, *de quo videri poſſunt* Obſervationes Thoneri append. pag. 360. & 366.

Eſt blandiſſimum laxans, *in* ſeroſis *ac* bilioſis humoribus evehendis, *quod etiam* gravidis *ad unciam ſemis vel drachmas quinque tutò exhiberi poteſt.*

ELOEOSACHARA.

Parantur ex tempore, dum ad unciam ſachari octo vel decem guttæ olei deſtillati aſſumuntur; adhibentur ad gratiam Medicamentorum augendam, vires verò eorum, ex virtutibus oleorum deſtillatorum deſumuntur.

ELYXIR ANTIFEBRILE MYNSICTI.

℞. Specier. febrifugar. Mynſichti. (uncias tres.
Piperis longi, (unam.
Caryophyllorum,
Nucis moſchatæ, ana unciam
Herbæ Centauri minoris,
Cardui Benedicti,
Abſynthii, ana manipulos ſex.
Quinquefolii, (tres.
Rutæ, ana manipulos

Pulveriſata & mixta extrahantur ope Spiritûs vini. Tinctum Spiritum aufer, & recentem affunde tam diu, donec omnis tinctura & eſſentia extracta ſit. Ultimò Spiritum vini in Balneo Mariæ ad medietatem ſeu oleitatem abſtrahe, & remanentem ſpiritum cum eſſentia per chartam emporeticam filtra, & in vaſe vitreo bene clauſo ad uſum ſerva.

ANIMADVERSIO ET USUS.

I. *Specierum febrifugarum* (*quibus ſalia vegetabilium & tartarus vitriolatus inexiſtunt*) *deſcriptio ſequetur ſuô locô. Hæc ſalia, cùm ſpiritu vini extrahi nequeant,* pro Elyxirio *omitti poſſunt.*

II. *Pra-*

II. *Præservat, curat, & abigit post evacuatum corpus* omnes febres. *Dosis* instante paroxismo *vel paulò antè, ut simul* cum paroxismo *operetur à drachma una ad duas, & unciam semis in* Aqua Centaurii minoris *vel* Absynthii, *aut* Cardui Benedicti, *vel in* hausto cerevisiæ calidæ: Robustiori *autem datur ab uncia semis ad drachmas sex. Præterea* Cacochymici & Hydropici *magno juvamine* potui quotidiano *immiscere possunt: sua enim amaritudine putredinem omnem arcet, partium verò tenuitate obstructiones pellit.*

ELYXIR APERITIVUM CLAUDERI.

℞. Salis Cinerum Clavellatorum depuratorum, unc. duas.
Aquæ Florum Sambuci,
Cochleariæ,
Nasturtii, ana ad eminentiam quatuor vel quinque digitorum.

Solutio filtretur, & affundatur grossæ pulverisatæ
Aloës,
Myrrhæ, ana uncia una.
Croci, uncia semis.
Fiat Elyxir.

ANIMADVERSIO ET USUS.

I. *Hac ratione id parare docet* D.D. Gabriel Clauderus Archiater Ducalis Saxo-Altenburgicus in sua methodo balsamandi corpora cap. 7. §. 4. *multi enim morbi scorbutici per Elyxirium proprietatis paracelsi, quod cum spiritu vini paratur, sæpiùs sufflaminantur.*

II. *In* obstructionibus hypochondriorum, hæmorrhoidum, & flatulentiis *utiliter adhibetur; item ad* alvum aperiendam *aliquoties offerri potest ad drachmam semis, donec* alvus *commodè fluat.*

ELYXIR PECTORALE VOLATILE DULCE.

℞. Seminis Anisi, uncias tres.
Fœniculi, uncias quinque.
Radicis Angelicæ, uncias tres.
Levistici, unciam semis
Florum Chamomillæ Roman.
Hypericon.
Myrrhæ electæ
Benzoë, ana unciam unam.
Radicis Ireos Florent.
Enulæ, ana uncias sex.
Nucis moschatæ, unc. octo.
Maceris, unciam semis.
Croci Orientalis, drachmas duas.
Salis Taratri, uncias octodecim.
Ammoniaci, unciam unam semis.
Spiritûs vini opt. libras tres.
Vini generosi, libras duas.
Aquæ Fœniculi, libram unam semis.

Incisa incidenda & contusa contundenda misce, stent in digestione per aliquot dies, dein destillentur, lege artis, ad recipientem pone

Succi liquiritiæ Hyspan. in frusta incisi, unc. quatuor.

Qui à destillantibus guttis solvetur, tandem filtratum Elyxir, servetur usui.

ANIMADVERSIO ET USUS.

Hujus Deſcriptionis meminit piè memoriæ D.D. Geelhauſen *in Theſibus inaugurali Diſſertationi expoſitis de* Affectibus *aut* Defluxionibus Catarrhoſis *annô 1731. editis, fol. 109. Cum magno effectu & gratia exhibetur in* Aſthmate flatulento, humido, frigido, *ac* in omnibus pectoris affectibus *à cauſa frigida* exortis; *datur cum particula ſachari, vel Theé appropriato à drachma ſemis ad drachmam unam.*

ELYXIR PECTORALE WEDELII.

℞. Herbæ Rorellæ, unciam unam ſemis.
Radicis Helenii,
Ireos Florentinæ,
Ligni Sandali rubri, ana unciam unam.
Benzoë, drachmas ſex.
Myrrhæ rubræ,
Radicis Liquiritiæ,
Seminis Aniſi, ana unc. ſemis
Croci Auſtriaci, drachm. tres.
Gummi Ammoniaci, drachmas duas.

Inciſis & contuſis ſpeciebus affundatur Spiritûs vini rectificati ſufficiens quantitas ad quatuor digitorum eminentiam, & facta digeſtione extrahatur Elyxirium.

ANIMADVERSIO ET USUS.

Non incongruè faciunt, qui ſpecies *ante extractionem cum* Tinctura Antimonii *aut* Tartari acri *irrorando humectant, ut* ingredientia reſinoſa *meliùs extrahantur, ac poſtmodum* Spiritum vini *affundunt.*

In Aſthmate, tuſſi, raucedine, aliiſque defluxionibus catarrhalibus *magnopere commendatur. Datur ad guttas triginta & quadraginta.*

ELYXIR PROPRIETATIS PARACELSI CUM ACIDO.

℞. Aloës ſuccotrinæ,
Myrrhæ electæ, ana uncias duas.
Croci Orientalis, unc. unam.

Aloë & Myrrhâ pulveriſatâ irrorentur Spiritu ſulphuris, quibus crocum contuſum adde, & affunde Spiritûs vini optimi libram unam ſemis in vitro capaci, poſtmodum vaſe optimè clausô, pone per octo dies in digeſtionem; his elapſis ſpiritum tinctum effunde, qui filtretur, & ſervetur uſui.

ANIMADVERSIO ET USUS.

I. *De* Elyxirio hoc *tanquam proprio invento* Paracelſi *magna Elogia longo ordine expoſita legi poſſunt apud* Crollium in Baſilica Chymica pag. 171. *Hujus modum parandi multi impugnant, & dicunt: quòd* Spiritus ſulphuris *ſpecies comburat, ut vix* vigeſima pars *ſolvatur, unde* D.D. Boërhave *menſtrui locò adhibet* Acetum vini deſtillatum fortiſſimum, *cui an non* ſimplex bonum acetum vini *præferendum foret, legi poteſt* Animadverſio II. fol. 4. de Aceto deſtillato. *Item* Collectanea Leidenſium,

quæ

quæ octo Proceſſus *conficiendi cum enchireſibus circa* iſtud Elyxirium *obſervandis proponunt.*

II. Medicamentum hoc *nihil ferè aliud eſt, quàm* Pilulæ peſtilentiales *ſecundùm deſcriptionem Arabum in meliorem Eſſentiam* redactæ; *quarum uſus à multis retrò ſæculis adversùs* graſſantis peſtiferæ luis contagia, internas putredines, cruditates ventriculi (*quoties videlicet* putredo, bilis fœtida, concreta pituita, lumbrici *& infiniti de quatuor his cauſis oriundi morbi ibidem denominantur*) *& plures alios affectus commendatiſſimus exiſtit, ac in Praxi medica infiniti usùs, dum & extrinſecè* ulcera putrida, ſanioſa, virulenda *emendat, ac* à corruptione *defendit & conſervat. Datur externè à drachma ſemis ad drachmas duas in convenienti vehiculo, quòd ſi majori Doſi ſumatur cum regimine paulò frigidiori, alvum laxat, decumbenti verò ſtragulis operto per* ſudorem & urinam *ſuas exerit vires.*

ELYXIR PROPRIETATIS SINE ACIDO.

℞. Aloës Succotrinæ,
Myrrhæ electæ,
Croci optimi, ana partes æquales.

Subtiliſſimè pulveriſata irrorentur oleô Tartari p. d. ſufficienti quantitate in pultis conſiſtentiâ; Digerantur in vitro capaci bene obturato viginti quatuor horis, dein affundatur Spiritus Vini rectificatiſſimus ad eminentiam quatuor digitorum, ſtent in digeſtione balnei quatuordecim diebus vaſe exactiſſimè clausô, agitando ſemel de die vas, donec ſaturatè rubens ſit extractum Elyxirium.

ANIMADVERSIO ET USUS.

I. *Cùm* hoc Elyxirium *menſtruô alkalinô ſit extractum*, contrariam *priori nanciſcitur* virtutem, *unde in* febribus malignioris moris *locum non habet, neque in* aliis morbis, *ubi humores ſatìs vel nimiùm ſunt reſoluti. Ubi verò aperiendum, laxandum aut ſtimulandum eſt, egregium præſtat effectum ad guttas etiam ſexaginta exhibitum.*

II. *Exaltari id ſolet per* Spiritum Salis Ammoniaci, *dum ſingulis unciis drachma una* Spiritûs *biduô digerendis addatur*; *dicitúrque* Elyxir Proprietatis cum Spiritu Salis Ammoniaci paratum, *cujus uſus in morbis* à cauſa frigida *exortis, in quibus potentiore reſolutione opus eſt, recommendatur à guttis triginta ad quadraginta.*

ELYXIR STOMACHALE TEMPERATUM.

℞. Extracti Abſynthii,
Cardui Benedicti,
Centauri minoris,
Gentianæ,
Salis Tartari, ana unc. unam.
Flavedinis Corticum Aurantiorum amarorum ab omni albedine ſeparatorum, uncias quatuor.

Inciſis affundantur
Vini Hungarici Sopronienſis optimi, libræ quatuor.

Stent per noctem in infusione calida, factâ dein forti expressione, fiat lege artis Elyxirium.

ANIMADVERSIO ET USUS.

Compositio hæc Viennensibus *debetur, & apud nos ferè in quotidianum usum recepta, dum & à vulgo citrà* Medici *præscriptionem expetitur. Præmissis præmittendis in* febribus intermittentibus, doloribus ventriculi, torminibus & alvi profluviis, aliísque morbis & symptomatibus à cruditate exortis *admirandum præstat effectum. Dosis ad unciam semis & ultrà.*

ELYXIR VISCERALE D.D.G.

℞. Aloës succotrinæ, quantùm placet.

Pulverisat. affunde aquæ fontanæ calefactæ q. s.

Stent in digestione in loco tepido tam diu, donec omnis pars gummosa, per repetitam aquæ calidæ affusionem extrahatur, tinctura demum L.A. inspissetur in consistentiâ Extracti. *vid. p. 17.*

Tali modo etiam Extractum Myrrhæ paretur.

Item:

℞. Salis tartari, uncias quatuor.
Calcis vivæ, uncias duas.

Calcinentur insimul in olla circiter per mediam horam, & remanebunt hujus salis calcinati unciæ circiter quinque.

Tandem:

℞. Aquæ pluvialis libras sedecim, aut quatuor Pinetas.

Inspissetur per evaporationem ad remanentiam quatuor librarum.

His factis:

℞. Extracti Aloës suprà parati, Myrrhæ, ana uncias duas.
Croci Austriaci, drachmas quatuor.
Salis ùt suprà calcinati, unciasquinque, aut quantùm remanet.
Aquæ pluvialis inspissatæ, libras quatuor.
Tellis tauri, numerô unum.

M.F.L.A. Elyxirium.

ANIMADVERSIO ET USUS.

I. *Quòd* partes resinosæ Aloës & Myrrhæ *utpote* calidiores & sulphureæ *separentur, ac solummodo* pars gummosa & balsamica *in* hanc compositionem *recipiatur, eadem est ratio, ac in* Pilulis Stahlianis, *in quibus æquè methodô* Starckiana Extracta *præparantur, cùm multæ circumstatiæ quandoque* resinosa *prohibent* medicamenta.

II. Usitatissimum *nobis est* Pharmacum *in* Obstructionibus Hypochondriorum & venarum meseraicarum, *ac in* omnibus affectibus *ex inertia bilis* natis; *hinc & in* Cachexia, cruditatibus ventriculi, flatulentiis, suppressione hæmorrhoidum & catameniorum compertum *est* Polychreston. *Datur à drachma una ad unciam semis cum appropriato vehiculo.*

ELYXIR VITÆ MATHIOLI.

Vide:

A Q U A.

ELYXIR

ELYXIR VITRIOLI MYNSICHTI.

℞. Galangæ minoris, unciam unam ſemis.
Calami aromatici, unc. unam.
Menthæ criſpæ,
Salviæ acutifol. ana unciam
Cinnamomi electi, (ſemis.
Caryophyllorum,
Zinziberis albi, ana drachmas
Nucis moſchatæ, (tres.
Cubebarum, ana drach. duas.
Ligni Aloës ponderoſi,
Corticum Citri, ana drachmam unam.

Miſce, fiat pulvis, cui adde:
Sachari candi albi, unc. tres.
Poſtea humectentur Spiritu vini optimo, ut fiat mixtura mellis inſtar, tunc ei in vitro affunde:
Spiritûs Vitrioli volatilis vel martialis ad eminentiam quatuor digitorũ, ac digere per ſeptimanas aliquot. tandem liquorem tinctum ſepara & filtra, relictæ verò materiæ affunde Spiritûs vini q. ſ. & ulterius eſſentiam extrahe, poſtea extractiones omnes miſce, & per quatuordecim dies leni M. B. calore circula, & ad uſum ſerva.

ANIMADVERSIO ET USUS.

Prædicatur ab Authore Armament. Sect. XVII. *tanquam* nobiliſſimum Stomachicum, & *in ventriculi affectione qualicunque* incomparabile Secretum. *Confirmat id quoque experientiâ* ſingulare *eſſe* carminativum, *præſertim confert iis, qui ob* ſaburram bilioſam *in ventriculo morantem* ſodâ *moleſtantur. Notandum autem eſt, nè ſtomachus* ſaburrâ acidâ *ſit refertus, quo caſu malè adhiberetur. Doſis eſt à ſcrupulo ſemis ad ſcrupulum unum cum* aqua Menthæ *aut alia ad affectum appropriata.*

ELYXIR UTERINUM CROLLII.

℞. Caſtorei, libram ſemis.
Croci, uncias duas.

Extrahe tincturam cum Spiritu vini, & ſepara ſpiritum ad remanentiam Extracti, cui adde:
Extracti Arthemiſiæ, uncias quatuor.
Salis Matris Perlarum, unciã unam.
Olei deſtillati Aniſi, (unam.
Angelicæ,
Succini, ana drachm. duãs.

Olea deſtill. in ſufficiente quantitate Spiritûs Vini ſuperiùs abſtracti ſoluta, & cum reliquis mixta per octo dies digerantur, poſtea filtrentur.

ANIMADVERSIO ET USUS.

Ad varios uteri morbos ſuffocationem minitantes *præbet remedium, etiam* ſanguinis menſtrui vitia *corrigit. De cujus uſu & doſi* Author Baſil. Chym. pag. 224. *ſcribit:* Doſis eſt ſcrupulus unus vel duo, ingruente Paroxyſmo hyſterico, tunc illicò ſanantur. *Quòd ſi ſingulis menſibus, appetentibus menſtruis, æquali doſi utantur, non revertetur morbus.*

EMPLASTRUM ALBUM COCTUM.

℞. Olei, libras duas.
Ceruſſæ, libram unam ſemis.
Ceræ albæ, uncias quàtuor.
Ceruſſam cum oleo, leni igne ad debitam conſiſtentiam coquendo, & tandem ceram in eo liquefaciendo, fiat Emplaſtrum.

ANIMADVERSIO ET USUS.

Solent nonnunquam aliquid aquæ addere, ut eò faciliùs albedo Emplaſtri *in coctione ſervetur. Vocatur etiam* Emplaſtrum de Ceruſſa, *&* ſola coctione *ac* conſiſtentia *ab* unguento albo *differt.* Inter triginibus *quacunque ex cauſa ſuccurrit, ac* leves cutis exulcerationes *ſanat. Agit potiſſimùm* poros à cuticula nudatos *blandè conſtringendo &* liberum aëris acceſſum *avertendo.*

EMPLASTRUM DE AMMONIACO FORESTI.

℞. Ammoniaci præparati, unc. ſemis.
Unguenti Dialthææ, (ſemis.
Emplaſtri de Meliloto, ana drachmas duas.
Furfurum frumenti optimè cribratorum, unc. ſemis.
Pulv. Rad. Bryoniæ ſiccæ,
Ireos Illyricæ, ana drachmas duas.
Pinguedinis Anatis,
Anſeris,
Gallinæ, ana drachmam unam ſem.
Bdellii, (unam ſem.
Galbani præparati, ana ſcrupulos duos, grana ſex.
Olei Irini, drachmas ſex.
Mucilaginis Seminis Fœnugræci,
Lini, ana unc. unam
Ceræ, uncias duas. (ſemis.
Terebinthinæ,
Reſinæ Pini, ana drachm. ſex.

Mucilagines cum oleo & pinguedinibus coquantur ad humidi aquoſi exhalationem; poſtea addantur cera & reſina invicem liquata & colata, atque his ab igne remotis, ac ſemirefrigeratis unguentum de Althæa, & Emplaſtrum de Meliloto, nec non poſt reliquorum pulverem, Ammoniacum & Galbanum cum Terebinthina ſoluta. Fiat Emplaſtrum.

ANIMADVERSIO ET USUS.

Sub Nomine Cerati *quandoque peti ſolet, binc & in P. A. R. in* claſſem Ceratorum *refertur. Adhibetur in* omnibus affectibus externis, digeſtionem & concoctionem *requirentibus*, inflammationes *ſedat*, indurata *emmollit*, ulcera *detergit*, vulnera *conſolidat*, & callum *obducit. Commixtum* Emplaſtrô de Cicuta, *dolores congeſtiores demulcet & lenit. Junctum* Emplaſtrô Saponatô Barbette *laudabilè* ſcutum ſtomachicum *conſtituit*, *in* affectibus ſpaſmodicis Ventriculi, Hepatis & partium Hypocondriacarum, *unde in* Cholera *ac* ictericis affectibus *mirandos exerit effectus*, *præcipuè dum* oleô cumini, *aut* aliô carmina-

minativô *priùs malaxatum & camphoratum ſit.*

EMPLASTRUM DE BACCIS LAURI.

℞. Thuris,
Maſtiches,
Myrrhæ, ana unciam unam.
Baccarum lauri, uncias duas.
Cyperi,
Coſti, ana unciam unam.
Olei Laurini,
Terebinthinæ venetæ,
Ceræ Citrinæ, ana unciam ſemis.
Mellis deſpumati, quantùm ſufficit.

Fiat S. A. Emplaſtrum, oleô terebithinæ & ceræ invicem liquatis, poſt factam ab igne depoſitionem, cætera immiſcendo.

ANIMADVERSIO ET USUS.

Potiori ex parte Meſue *debetur, qui* ceram terebinthinam *&* oleum *omittit, ut per* clyſteres *injici queat. Commendatur ad* ventriculi, inteſtinorum, jecoris, renum, veſicæ, uteri, *&* partium aliarum dolorem à flatibus *aut* frigida intemperie *exortum.* Hydropicis *præſertim* tympaniticis, *abdomini imponi jubet, additô pulvere* radicis Cyperi, *& bona quantitate* ſtercoris capræ *aut* vaccæ ſicci *& in pulverem* redacti *adaucto mellis pondere.*

EMPLASTRUM DE BARBA CAPRINA.

℞. Terebinthinæ Venetæ, uncias ſex.
Reſinæ albæ,
Pulv. Rad. Barbæ Caprininæ ſeu ulmariæ,
Conſolidæ major. ana unc. duas.
Lap. Hæmatitidis præparat. unc. unã ſem.
Sanguinis draconis, unciam unam.
Gummi Elemi, uncias ſex.
M. Fiat Lege Artis Emplaſtrum.

ANIMADVERSIO ET USUS.

Variæ dantur Emplaſtri hujus *Deſcriptiones, & potiſſimùm ab ipſis Chyrurgis pro* Herniis *&* Rupturis curandis *conficitur, proùt id* Felix Würtzius *ſimpliciſſimè proponit, dum non nisì* Terebinthinam, Reſinam albam *&* pulverem radicis Barbæ caprinæ *Cap. XXV. de* fracturis *recipit.* Parmannus *id ad Normam noſtri correctum exhibet.* Viennenſes *ſub titulo* Emplaſtri *ad* Rupturas *ſeu* Herniam *largiori doſi omnium ingredientium, locò* gummi Elemi, Maſtichen *&* Olibanum *recipiunt. Virtus* hujus Emplaſtri *in eo conſiſtit, quòd* omnem extravaſatum humorem *ex membris fractis extrahat, & gluten oſſium efficaciùs reddat, unde* callum *accelerando, etiam* coalitionem *&* curam *accelerat.*

EMPLASTRUM BENEDICTUM MUSITANI.

℞. Olei olivarum, libras tres.
Rad. Arundinariæ, unc. duas.
Liliorum cœleſt. ſeu Irid. noſtr. unc. tres.
Althææ, unc. unam ſem.

Dum oleum bullire incipit, injiciantur ei Radices mundatæ & inciſæ, coquantur inſimul tam diu, donec cum oleo nigreſcant, dein ab igne remove, & adde:

Ceruſſæ, uncias tres.

Tutiæ præparatæ, unc. ſemis.

Ceræ Citrinæ, uncias tres.

Cum ſpatula tam diu agita, donec Emplaſtri conſiſtentiam acquirat; tandem adde

Balſami Indici nigri drachmas tres.

Fiat Lege Artis Emplaſtrum.

ANIMADVERSIO ET USUS.

I. Emplaſtrum hoc *proùt* magnæ efficaciæ *æſtimatur*, *ità* magnum & circumſpectum *exigit* laborem, *antequam* debitam *acquirat* conſiſtentiam, *cui parando quandoque duæ aut tres dies impendi, & ad parcendum iteratum laborem doſis ſingulorum triplicari aut quadruplicari ſolet.*

II. *Quò* vetuſtius oleum *aſſumitur, eò citiùs decoquitur & nigreſcit, præcipuè ſi ſola medulla* radicis Arundinariæ *citrà corticem aſſumatur, quæ cum reliquis radicibus priùs bene lotis & ſiccatis in tenuiſſimas taleolos inciſa oleo ferventi injiciuntur, ac tam diu coquuntur, donec, ùt dictum eſt, inſimul nigreſcant, dein ab igne remove,* & oleum nigrum *per linteum cola, cui* reliquas ſpecies *adde, & ad* Emplaſtri conſiſtentiam *coque.*

III. *Sufficientis coctionis ſignum eſt, dum* ejuſdem una alteráve gutta in aquam injecta fundum petat, & aquæ non innatet; *quo habitô ab igne* remotum Emplaſtrum *cum* piſtillo *tam diu agitandum, donec ferè frigeſcat, cui tandem* Balſamus niger *addatur, ac iterum agitetur, donec omnia inſimul bene mixta, in totum refrigeſcant.*

IV. *Virtutem* hujus Emplaſtri *Author breviſſimis extollit, dicens:* Incredibile eſt, quantopere hoc Emplaſtrum ad omnis generis ulcera maturanda, aperienda & ſananda ſerviat, cujus experientia major, verbis exiſtit, ità ut quivis proprius Chyrurgus eſſe poſſit. *Hodiedum Chyrurgis noſtris* uſitatiſſimum *eſt in* Bubonibus venereis, Strumis, & tumoribus ſcyrrhoſis.

EMPLASTRUM DE BETONICA.

℞. Terebinthinæ,

Reſinæ Pini,

Ceræ flavæ, ana uncias duas.

Pulveris Betonicæ, unciam

Maſtiches, (ſemis.

Thuris, ana drachmas duas.

Mumiæ, drach. unam ſemis.

Fiat, ceræ cum reſina liquatæ, colatæ, ac poſtea refrigeratæ addendo Terebinthinam & reliquorum ingredientium pulveres, ſecundùm artem Emplaſtrum.

ANIMADVERSIO ET USUS.

I. *In* Pharmacopœa Auguſtana Renovata *dicitur* Ceratum de Betonica; *frequentiùs enim fit, quòd* Cerata *Emplaſtrorum Nomine, & viciſſim nuncupari ſoleant, cùm non nisì ratione conſiſtentiæ mollioris aut denſioris inter ſe differant.*

II. *Adhi-*

II. *Adhibetur in* vulneribus capitis cranium penetrantibus, *item ad* ſiccandos varios humores cerebri, Cephalæam, Cephalalgiam, aliósque capitis affectus, *capillis priùs deraſis, & in* defluxionibus catarrhoſis *temporibus impoſitum confert.*

EMPLASTRUM DE CICUTA SCHROEDERI.

℞. Cicutæ cum toto inciſæ & exſiccatæ, uncias novem.
Succi ejusdem, unc. quatuor.
Olei Capparum, uncias octodecim.
Irini, uncias ſex.
Ceræ novæ, uncias quatuor ſemis.
Gummi Ammoniaci, unciam ſemis.

In oleis cum ſucco ſufficienter coctis liquetur cera, poſtea ab igne depoſitis addendo pulverem Cicutæ & Ammoniaci, fiat Emplaſtrum.

ANIMADVERSIO ET USUS.

Præſtantiſſimum eſt in reſolvendis tumoribus duris, *& vel in* ſcirrhum *mox abituris, vel jam* ſcirrhoſis, *præcipuè* lienis, *quem obſtructum aperit, roborat*, ejúſque duritiem *emollit, ùt meminit* Scholtzius viri hypochondriaci, *cui* lien *aliquando inſigniter inflabatur*, maximásque anguſtias & capitis perturbationes *afferebat*, hoc Emplaſtro remixto *cum illo de* Ammoniaco *multùm ſolatii procurâſſe, ac abinde quoties inflatio recurrit*, hoc remedio *convaleſcit; hinc* ejuſdem *ferè* indolis *eſt, ac* Emplaſtrum ſpleneticum Auguſtanorum.

EMPLASTRUM CITRINUM,

Vide:
CERATUM,
fol. 104.

EMPLASTRUM DE CRUSTA PANIS P. A. R.

℞. Maſtiches,
Menthæ, ana drachm. unam.
Cruſtæ panis toſtæ & maceratæ in aceto per horam mediam, uncias duas.
Olei de Maſtiche,
Cydoniorum,
Terebinthinæ,
Ceræ, ana unciam unam.
Farinæ hordei, quantùm ſufficit.

Fiat Emplaſtrum, oleis ceram cum terebinthina liquefactam & cætera permiſcendo.

ANIMADVERSIO ET USUS.

Eandem ferè æmulatur virtutem, ùt illud panis toſti operculum, *quod* mulierculæ *ex tempore parare ſolent* acetô, *aut* vinô rubrô & aromatibus *adſperſum. Confert ad* vomitum puerorum, *ac iis, qui* cibum *retinere nequeunt. Quòd ſi* recens paratum Emplaſtrum *non habetur, poterit* oleô Menthæ, Chamomillæ *aut* Cumini *congruè malaxari.*

EMPLASTRUM DEFENSIVUM RUBRUM.

℞. Ceræ Citrinæ, libram unam semis.
Olei Hypericonis, libram sem.
Terebinthinæ, uncias duas.
Pulv. Sandali rubri,
Radicis Caryophyllat.
Minii,
Boli Armen. ana unciam unam.
Thuris,
Mastiches, ana drachmas sex.

Liquando ceram, & terebinthinam in oleo, reliqua coque ùt artis est; quibus semifrigefactis adde
Gummi Ammoniaci, unciam unam.
Camphoræ cum aliquot guttulis Spiritûs vini tritæ, drachmas duas.

Tam diu omnia insimul agitando, donec refrigescant; malaxentur cum oleo Chamomillæ & lumbricor. terrestr. ana s. q.
Fiat Emplastrum.

EMPLASTRUM DEFENSIVUM VIRIDE.

℞. Ceræ Citrinæ,
Resinæ albæ, ana libram semis.
Sevi hyrcini,
Terebinthinæ, ana uncias sex.
Herbæ Alchimillæ subtilissimè pulverisatæ, unc. quatuor.

Liquatis liquandis admisce pulverem Alchimillæ q. s. pro malaxatione. Fiat L. A. Emplastrum.

ANIMADVERSIO ET USUS.

Defensiva *ex eo* à Chyrurgis *dicuntur*, *quòd* affluxum humorum copiosiorem à parte læsa *avertant*, & à gravioribus symptomatibus *defendant*. Varia *id genus à Practicis ad mentem* Felicis Würtzii *ac aliorum in usu sunt* Emplastra, *ex quibus* hæcce *Pragensibus* usitatiora *existunt*.

EMPLASTRUM DIACHYLON c. GUMM. P. A. R.

℞. Radicum Althææ, libram semis.
Sem. Lini,
Fœnugræci, ana unciam
Malvæ,
Althææ,
Cydoniorum, ana unciam semis.
Psyllii, drachmas duas.
Succi Glycyrrhizæ, dachmas decem.

Cum aqua fontana coquantur, & exprimantur. Mucilagini expressæ adde:
Olei Chamæmelini,
Anethini,
Liliorum,
Lini,
Irini,
Amygdalorum dulc. ana drachmas decem.

Coquantur ad humoris aquei consumptionem, postea ab igne removeantur, & cum
Pinguedinis Gallinæ,
Anatis,
Anseris, ana unciis tribus.
Oessypi, drachmis decem.

Sevi

Sevi vitulini, libra ſemis.
Pulv. Rad. Ireos, unc. duabus.
Florum Violarum, uncia dimidia.
Bdellii, drachmis tribus.
Terebinthinæ, unc. una ſemis.
Ammoniaci præparati, drachmis quinque.
Sagapeni,
Opopanacis,
Galbani, ana præparat. drachmis tribus.

Gummia hæc cum terebinthina liquando, fiat Emplaſtrum ſecundùm artem.

ANIMADVERSIO ET USUS.

Præter vim maturandi ac emmolliendi, etiam digerit, diſcutit ac reſolvit, maximè in abſceſſibus, *ubi* materia purulenta *fluere incipit; adhibetur ad* reliquam duritiem emmolliendam & reſolvendam. *Debet autem* ab acceſſu liberi aëris *bene cuſtodiri, nè nimia indùratione* intractabile evadat; *unde potiùs in vitris, quàm capſulis ligneis aſſervandum.*

EMPLASTRUM DIACHYLON SIMPLEX P.A.R.

℞. Mucilaginis Fænugreci,
Seminis Lini,
Rad. Althææ, ana libram unam.
Olei clari, libras tres.
Lithargyrii, libram unam ſemis.

Coquantur omnia leni igne, continuè agitando, uſque ad humiditatis aquoſæ conſumptionem, vel juſtam conſiſtentiam.

ANIMADVERSIO ET USUS.

I. *Virtus potiſſima* hujus Emplaſtri *conſiſtit* in viſciditate mucilaginoſa, *quæ nè* vetuſtate *exſiccetur, in vitro, ùt priùs, eſt conſervandum.*

II. *Adhibetur ad partium quarumcunque durities reſolvendas, & digerendas*; Hepatis, lienis, ventriculi & furunculi reliquias *emmollit & diſſipat*, ſtrumas *quoque* & inveteratos abſceſſus *diſſolvit*, recentia vulnera, *ùt* & ulcera *ab* inflammatione *vindicat*, diviſa *glutinat*, ſuperficialia ulcera *ſanat*, *ſolutum* oleô roſaceô *vel* myrtinô; *liquatum* chamæmelinô nervorum Phlegmonam *prohibet*, Podagricis *quovis tempore opitulatur, ad* diuturnas *ac* recentes uteri Phlegmonas *peſſario inditum admovetur.*

EMPLASTRUM DIAPALMA.

℞. Axungiæ porci veteris à membranis per liquationem, & colationem purgatæ, libras duas.
Olei veteris,
Lithargyrii triti, ana libras tres.
Chalciditis uſtæ, unc. quatuor.
Teneriorum palmæ ramorum manipulos quatuor.

Axungia, oleum & palmæ rami minutim inciſi, recentes, vel ſi exſiccati fuerint, aquâ priùs macerati, coquantur ad humiditatis aqueæ conſumptionem, colentur & exprimantur; Colatura cum lithargyrio ad juſtam conſiſtentiam

lento igne redigatur, immiſcendo tandem ab igne depoſito pulverem chalciditis, & rudiculâ ex recenti palmæ ramo confectâ agitationem inſtituendo, fiat Emplaſtrum.

ANIMADVERSIO ET USUS.

I. *Vocatur aliàs* Ceratum Diachalciteos Galeni, *unde & in* P. A. R. *in claſſe* Ceratorum *collocatum eſt, quamvis hìc & nunc neque* Chalcitidem *neque* Palmas *contineat, cùm locò* Chalcitidis, vitriolum album, *& locò* Ramorum Palmæ, quercuum frondes teneriores *ſubſtituantur.*

II. Tenaciſſimum *eſt* Emplaſtrum, *& verè* Polychreſton, *valet ad* ulcera dyſepulotica, ædemata, articulorum morbis, bubonibus, ambuſtis, pernionibus, oſſium fracturis, contuſionibus, omnibúsque *denique* Affectibus, *quos* Rhevmaticos *vocant, prodeſt. Præcipuè labiis vulnerum in partibus mollibus adducendis, & conjungendis; etiam Fonticulis in ambitu rubentibus, & ab affluente ichore acri afflictis imponitur, quos minimè ſordeſcere aut excreſcere permittit. Et Pictores id, quod vetuſtiſſimum eſt, ad lintea citò apparanda, in quibus pingere volunt, expetunt.*

EMPLASTRUM DIAPHORETICUM MYNSICHTI.

℞. Ceræ flavæ, uncias undecim.
Colophoniæ,
Bdellii, ana uncias quatuor.
Succini citrini, uncias tres.
Gummi Ammoniaci in aceto diſſoluti, (duas.
Terebinthinæ albæ, ana unc.
Galbani in aceto diſſoluti,
Sandaracæ, ana unciam unam.
Maſtichis, (nam.
Thuris electi, ana unc. ſemis.

Cera cum colophonia liquetur, & coletur; quibus ab igne depoſitis & ſemirefrigeratis Ammoniacum & terebinthina invicem liquefacta, poſt reliqua in pulverem contrita immiſcendo, fiat L. A. Emplaſtrum.

VIRES ET USUS.

Pituitam & ſeroſam humiditatem *abſumit, diſcutit & extrahit, ſic, ut poſt ejus uſum ſæpè guttulæ appareant aqueæ in Emplaſtro, & loco affecto: Hinc prodeſt ſpecificè in* Iſchiatico dolore, intumeſcentia pedum, parotidibus & tumoribus Gallicis pituitoſis, *ubi ſuppurationi incumbere nolumus. In* duritie crurum & nervorum ſcorbutica, oſſium fracturis, juncturarum doloribus, laxatione, caſu & contuſione, humiditates *ad partem affectam* tendentes *conſumit*, doloremque *legitimè tollit.*

EMPLASTRUM DIASULPHURIS RULANDI.

℞. Balſami ſulpuris Rulandi, uncias tres.
Ceræ, unciam ſemis.
Colophoniæ, drachmas tres.
Myrrhæ, ad pondus omnium.

Omnibus præter Myrrham liquefactis, & bene commixtis, inſpergatur myrrha ſubtiliſſimè trita,

trita, lentóque igne coquatur, (quadrante horæ) ſemper agitando; hinc ab igne remove, agitáque, donec refrigeſcant.

ANIMADVERSIO ET USUS.

I. Ettmüll. in Colleg. Pharm. in Schröderum *putat*, *quòd ſi ad confectionem Balſami locò* ſulphuris vulgaris, ſulphur Antimonii *recipiatur*, *adhuc præſtantius futurum ſit compoſitum*, *dicitque*: Tria hæc ſufficiant Chyrurgo: Balſam. Peruvianus pro vulneribus, Emplaſt. Diaſulph. pro tumoribus, & Balſamus ſulphuris pro abſceſſibus mundificandis & conſolidandis.

II. *Uſurpatur in* ulceribus mundificandis & conſolidandis *præſertim partium glandulоſarū*, *hinc* mammarum ulceribus *convenientiſſimum exiſtit*; *etiam ei tribuitur* virtus reſolutoria, *quam præcipuè in* ſtrumis diſſipandis *exerit*. *In* vulneribus recentibus *citam cauſat conſolidationem*.

EMPLASTRUM FEBRIFUGUM STROBELBERGERI.

℞. Terebinthinæ puræ Cyprin. unciam unam ſemis.

Liqueſcat in vaſe cupreo ſuper igne moderato, huic injice Aranearum vivarum in hypocauſtis vel locis mundis captarum, numerô quindecim.

Miſceantur vel agitentur cum piſtillo ligneo, uſque dum color terebinthinæ fiat cinereus, & vix aliquid de araneis deprehendatur, tum iterum tepefactæ mixturæ adde

Telarum aranearum mundarum, quantum prædictæ araneæ texêre, vel harum locò adhuc novemdecim araneas mediocres, iterum fortiter agitentur, interea etiam immiſcendo

Aſphalti optimi pulveriſati, & Ammoniaci albiſſimi, ana unciam unam ſemis.

Terantur uſque dum refrigeſcat materia, & acquirat conſiſtentiam Emplaſtri nigerrimi. Reponantur per quatuordecim dies, tandem rurſus ad ignem molleſcat, & manibus oleo febrifugo inunctis malaxetur modicè.

ANIMADVERSIO ET USUS.

I. *Deſcriptio* hujus Emplaſtri *ex* Schrödero *deſumpta eſt*, *de quo ſcribit* Strobelbergerus in Introductione *Typis expreſſa omiſſa deſcriptione Annô 1626. divulgata*: Deſcriptionem *itaque tranſmiſit mihi* Clariſſ. D. D. Joannes Chryſtophorus Eiſenmenger Phyſicus Ord. Imperialis Heilbrunenſis, Amicus meus integerrimus, *cujus verba*, *nè de* genuina deſcriptione *dubites*, *hìc ſubjungo*, *& ſunt*: Hanc deſcriptionem mihi communicavit Illuſtriſſ. Comitis Caroli à Wolckenſtein (qui non ſolùm à quartana hujus beneficiô liberatus, ſed & centum Thaleris à DD. Strobelbergero emit) Frater Adamus Comes à Wolckenſtein p.t. Ord. Tevton. Commendator in Heilbrun.

II. Emplaſtrum hoc *in* Paroxiſmo febrili tertianæ intermittentis *abigendo plurimùm ſæpè profuiſſe, attèſtari ſe poſſe* Clariſſimus Hoffmannus *aſſerit.*

III. *Formantur inde* Emplaſtra *inſtar medii floreni, quæ* aurô *vel* argentô *obducta*, corióque *tecta*, *imponuntur* pulſibus *utriusque carpi horâ unâ ante* Paroxiſmum, *relinquendo per novem dies, tunc eadem hora in profluentem aquam projiciuntur.*

EMPLASTRUM AD FONTICULOS ALBUM.

℞. Ceræ albiſſimæ, libram ſemis.
Sevi cervini, uncias quatuor.
Terebinthinæ claræ, unciam unam ſemis.
Olei Roſarum, quantùm ſatis.
Miſceantur omnia, & fiat L. A. Emplaſtrum chartâ ſubductum, etiam ſparadrapum dictum.

EMPLASTRUM AD FONTICULOS RUBRUM.

℞. Ceræ flavæ, uncias ſex.
Sevi cervini, uncias duas.
Olei liliorum alborum,
Terebinthinæ claræ, ana unciam unam ſemis.
Minii, uncias quatuor.
Miſceantur omnia, & fiat linteô ſubductô lege Artis Emplaſtrum. Utriuſque Deſcriptio ex Diſpenſatorio Viennenſi deſumpta eſt, quorum uſus ex denominatione deſumitur.

EMPLASTRUM DE GALBANO CROCATUM MYNSICTI.

℞. Gummi Galbani in aceto diſſoluti, uncias ſex.
Emplaſtri de Meliloto,
Diachylon. ſimplicis ana uncias tres.
Ceræ citrinæ, uncias duas.
Terebinthinæ albæ, unc. unã.
Croci orientalis, drachm. ſex.
Miſce, & fiat L. A. juſtæ conſiſtentiæ Emplaſtrum.

VIRES ET USUS.

Expertiſſimum, uſúque celeberrimum eſt, ad emmolliendos & reſolvendos tumores duros & ſcyrrhoſos, *nec non* ad ſedandos & mitigandos vehementes & lethales partium dolores, pectoris, ſcapularum, mammarum, hypochondriorum, laterum, ventriculi, hepatis, lienis, renum, *ac* uteri, *&c. ſive* à crudis humoribus *vel* à flatu craſſo *aut* alia intemperie membrorum frigida excitatos. *Inſuper* omnes ſtrumas, *tam* recentes *quàm* inveteratas *emmollit, lenit, concoquit, digerit, incidit, atque diſſolvit. Præterea in* convulſione & ſingultu *feliciſſimè utimur.* Auth. in Theſauro Armament. Sect. XXXIV. fol. 508.

EMPLASTRUM DE GRATIA DEI.

℞. Terebinthinæ, libram ſemis.
Reſinæ, libram unam.
Ceræ albæ, uncias quatuor.
Maſtiches, unciam unam.

Ver-

Verbenæ,
Betonicæ,
Pimpinellæ, ana manipulum unum.

Ceram & resinam invicem liquando, postea terebinthinam & reliquorum pulveres immiscendo, fiat Emplastrum.

ANIMADVERSIO ET USUS.

In Pharmacopœa Augustana veteri *in classe* Ceratorum *collocatum est. Usurpatur ad* ulcera sordida repurganda, & inflammationem leniendam; *præterea* duritiem *emmollit*, vulnera *consolidat*, nervorum incisiones *glutinat* & furunculos *mitigat*.

EMPLASTRUM GRISEUM, SIVE DE LAPIDE CALAMINARI P. A. R.

℞. Lapidis Calaminaris præparati, unciam unam.
Lithargyrii, uncias duas.
Cerussæ, unciam semis.
Tutiæ, drachmam unam.
Terebinthinæ, unciam unam semis.
Ceræ albæ, uncias tres.
Sevi cervini, uncias quatuor.
Thuris electi, drach. quinque.
Mastiches, drachmas tres.
Myrrhæ, drachmas duas.
Camphoræ, drachmam unam semis.

Confice secundùm artem, sevô, terebinthinâ, & cerâ liquatis post aliqualem refrigerationem, reliquorum pulverem immiscendo, Emplastrum.

VIRES ET USUS.

Ulcera *explet*, *siccat* & cicatrice *claudit*.

EMPLASTRUM MAGNETICUM ARSENICALE.

℞. Antimonii crudi,
Sulphuris flavi,
Arsenici albi, ana uncias duas.

Subtilissimè pulverisata sepeliantur in Phiola, in arena, submini-stretur ignis, donec colliquescant, & colorem rubeum subobscurum inducant. Studiosè à fumo sibi cavendo, quod styllô ferreô mundô immissô explorare poteris, si materia ferreô stylô tacta illi adhæserit, & terebinthinæ instar duci possit. Vase refrigerato exime materiam, instar lapidis induratam fusci coloris, quæ *Magnes Arsenicalis* vocatur, & venenata amplius non est, ùt in canibus cuilibet id experiri licet. Postea

℞. Gummi Sagapeni,
Ammoniaci,
Galbani,
Magnetis Arsenicalis, ana drachmas tres.
Terebinthinæ lariceæ,
Ceræ, ana unciam semis.
Olei succini, drachmas duas.
Terræ Vitrioli dulcificatæ, drachmam unam.

Gummata dissolvantur in aceto vini forti, & per pannum linteum expressa, bulliendo iterum inspissentur ad priorem consistentiam. Deinde seorsim illiqua ceram & terebinthinam, & extra ignem agita, donec in spissitudi-

nem unguenti redigantur. Adde porrò ſuprà dicta gummata, & Magnetem Arſenicalem cum terra vitrioli & oleo ſuccini, & habebis Emplaſtrum ad extrahenda omnis generis venena efficaciſſimum.

ANIMADVERSIO ET USUS.

Angeli Salæ *eſt hæc compoſitio, denominationem nanciſcitur* à Magnete Arſenicali, *cujus virtutem* Barbette Tract. de Peſte p. 434. *ſequentibus deſcribit*: Emplaſtrum hoc ejus naturæ reperi, ut, cuti impoſitum duriori nè veſtigium quidem eſcharæ producat, malignos nihilominus humores largiter adeò extrahat, ut juglandi ſimilis magnitudine bubo quinque aut ſex dierum ſpatiò in totum tollatur, &c. *unde* anthracibus peſtilentialibus *dextrè applicatum, eos maturat, rumpit, & venenum attrahit, longè* aliis Emplaſtris *huic uſui deſtinatis meritò anteferendum. Quomodo autem dextrè applicetur, ex verbis* Barbette *patet*: *Sequentî modô à me tractari ſolet*: *Primô ſtatim tempore* veſicatorium *applico, etiamſi vix notabilis tumor, cucurbitulis neglectis, quas, eò, quòd dolorem, febrémque cauſent, bonos æquè ac malos humores alliciant, totúmque ſanguinem magis adhuc alterent, omnino rejicio.* Veſicæ *poſt horas ſeptem aut plures diſſectæ*, Emplaſtrum Magneticum Arſenicale *imponi curo; hujus ſanè virtus tanta hìc eſt, ut nobiliùs eô nullum mihi innotuerit, quod cuivis id adhibenti patebit. Plura videri licet apud* Diemerbrock de Peſte lib. III. c. 12. p. 231. Minderer. de Calcantho cap. 7. Frid. Hoffmannum in Method. Med. pag. 427. Et Clav. Pharm. Schröd. p. 72.

EMPLASTRUM MANUS DEI.

℞. Gum. Galbani, unciam unam
Ammoniaci, drachmas duas.
Opopanacis, drach. tres
Ceræ flavæ, uncias viginti,
Olei Olivarum, uncias viginti quatuor.
Lithargyrii auri, uncias ſeptemdecim.
Olibani, uncias duas.
Myrrhæ,
Thuris, ana drachm. decem.
Viridis æris,
Ariſtologiæ longæ,
Maſtiches, ana unciam unam.
Bdellii,
Lapidis Magnetis, ana uncias duas.

Miſce, fiat S. A. Emplaſtrum.

ANIMADVERSIO ET USUS.

Aliàs etiam Divinum *appellatur, ex eo, quòd Peſte affectis, utpote ſub manibus DEI degentibus* Divinum Auxilium *ab eximiis ſuis viribus, quibus præditum eſt, attuliſſe dicatur; proùt id* Barbette & le Mort *conteſtantur, ac in defectu magnetici in prædictis affectibus præmiſſô veſicatoriô recommendant. Cujus etiam ſingularis efficacia* ſcrophulas dolentes *tollendi non uno in ſubjecto innotuit.*

EMPLA-

EMPLASTRUM MATRICALE *SEU* CERATUM DE GALBANO P. A. R.

℞. Galbani præparati, unciam unam ſemis.
Aſæ fœtidæ, unciam ſemis.
Myrrhæ rubræ, drach. duas.
Bdellii mollis, drachm. unam.
Gummi Animæ, drach. tres.
Tacamahacæ, drachmas quinque.
Matricariæ pulveriſatæ,
Arthemiſiæ, ana drach. ſemis.
Seminis dauci, ſcrupul. unum
Terebinthinæ, unciam ſemis.
Ceræ, uncias quatuor.

Fiat Ceratum, ceræ liquatæ, terebinthinam & Galbanum invicem liquefacta, poſt reliquorum pulverem, immiſcendo.

VIRES ET USUS.

Adversùs omnes uteri affectus frigidos *prodeſt*, *nam* ſuffocationem uteri *placat*, flatus *diſſipat*, dolorésque frigidos *ſedat umbilico applicatum.*

EMPLASTRUM DE MELILOTO.

℞. Meliloti, uncias ſex.
Florum chamemæli,
Fœnugræci,
Baccarum Lauri,
Radicis Althææ,
Abſynthii, ana drachmas tres.
Seminis Apii,
Cardamomi,
Ireos,
Cyperi,
Spicæ Nardi Indicæ,
Caſſiæ ligneæ,
Ammeos, ana drachmam unam ſemis.
Majoranæ, drachmas tres.
Amoniaci præparati, drachmas decem.
Styracis calamitæ præparat.
Bdellii, ana drachm. quinque.
Terebinthinæ, unciam unam ſemis.
Ficuum pinguium, numerô duodecim.
Sevi hircini,
Reſinæ, ana unc. duas ſemis.
Ceræ, uncias ſex.
Olei Sampſuchini, ſeu Majoranæ,
Nardini, ana uncias tres.

Cera cum reſina & ſevo liquata ac colata miſceantur oleis, poſtea ab igne depoſitis & ſemi refrigeratis pulveres, ac tandem ſtyrax & Ammoniacum, in terebinthina liquata, ùt & ficus in pulpam craſſam redactæ, addantur.

Fiat Emplaſtrum.

ANIMADVERSIO ET USUS.

I. Malacticum celebre *ad inveteratas durities* jecoris, lienis, ventriculi, viſcerum, & reliquarum partium *emmolliendas*, Hypochondriorum tenſionem *laxandam*, flatus *reſolvendos*, bubones *diſcutiendos*, *ac* dolorem à frigido *ſedandum*, *deſtinatur.*

II. *Sæpiùs hodiedum adhibetur in* tonſillarum inflatione *tam* pituitoſa, *quàm* ſeroſo-ſanguinea, *ubi congruè cum* Emplaſtro de Cicuta *cum modico Camphoræ jungi ſolet.*

III. *Multùm laboris* Commentatores Mesues *impenderunt*, *ut* hoc Emplastrum *tenacius efficeretur*, *credentes à scopo non aberrare*, *si* Radix Althææ & semen fœnugræci *in majori*, *quàm præscriptum est*, *dosi assumantur*, & *in mucilaginem spissiorem decoquantur*, *quo casu tenacior consistentia* Emplastro *conciliaretur*.

EMPLASTRUM DE MINIO VIGONIS.

℞. Olei Rosati, libram unam semis.
Myrtini, (mis.
Unguenti Populei, ana uncias quatuor.
Pinguedinis Gallinæ, uncias duas.
Porcinæ, uncias
Sevi Castrati, (septem.
Vaccini, ana libram semis.
Lithargyrii Auri, (mis.
Argenti, ana unc. tres semis.
Minii, uncias tres.
Cerussæ,
Terebinthinæ, ana uncias quatuor.
Ceræ, quantùm sufficit.

Fiat Emplastrum secundùm artem, olea cum lithargyrio cerussa & minio leniter coquendo, & cætera dein in eis liquefaciendo, & permiscendo.

VIRES ET USUS.

Possidet vires siccandi, *refrigerandi*, & *repellendi*, *hinc ad* vulnera & ulcera antiqua *atque* maligna curanda *expetitur*.

EMPLASTRUM MIRABILE.

℞. Cerussæ Venetæ, libras duas.
Lithargyrii,
Mini, ana libram semis.
Olei spermat. ranarum, libras quatuor.

Coque ad Emplastri consistentiam, cui dein adde

Pulveris Aloës hepat. unc. tres.
Myrrhæ rubræ, unciam unam semis.
Camphoræ, drachmas quatuor.

Misce, fiat L. A. Emplastrum.

VIRES ET USUS.

Ad omnis generis vulnera & ulcera, *item in* doloribus Arthriticis & Podagricis *admirandè conferre compertum est.*

EMPLASTRUM DE MUCILAGINIBUS.

℞. Decoct. mucilag. Rad. Althææ,
Sem. Lini,
Fœnugræci,
Medii corticis Ulmi, ana uncias quatuor semis.
Olei Chamæmelini,
Liliorum,
Anethi, ana unciam unam semis.
Ammoniaci, (nam
Galbani,
Opopanacis,
Sagapeni, ana præparat. unciam semis.
Ceræ novæ, uncias viginti.
Croci, drachmas duas.
Terebinthinæ, uncias duas.

Fiat

Fiat ſecundùm Artem Emplaſtrum, mucilaginem cum oleis ſufficienter coquendo, Gummiáque cum Terebinthina ſoluta, ceram & crocum pulveriſatum addendo.

ANIMADVERSIO ET USUS.

I. *Dicitur etiam* Diachylon compoſitum *in P. A. V. & ſicut in ingredientibus, ità & in viribus* ab Emplaſtro Diachylon cum gum. *parum differt. Attendendum etiam, nè vetuſtate, & exinde exorta nimia ſiccitate intentionem eludat.*

II. *In defectu mediani corticis ulmi, fœnugræci pondus duplicari poſſe.*

III. *Maximarum in emmolliendo ſcribitur eſſe virium, dum* Phlegmonas *ſanat*, & ſaniem ruptorum Apoſtematum *abſtergit.*

EMPLASTRUM NERVINUM VIGONIS.

℞. Olei Chamæmelini,
Roſarum, ana unc. duas.
Maſtichini,
Terebinthinæ,
Lini, ana unciam unam
Terebinthinæ claræ, unc. quatuor.
Sevi vitulini,
Hyrcini, ana uncas duas
Herb. Rorismarini, (ſemis.
Betonicæ,
Caudæ equinæ,
Centaurii, ana manipulum unum.
Vermium terreſtrium lotorum, uncias tres.
Radicum Rubiæ tinctorum, drachmas decem.
Hyperici fol. & ſem. ejus, ana manipulum unum.
Maſtiches pulveriſat.
Gummi elemi, ana drachmas decem.
Picis navalis,
Reſinæ, ana unciam unam ſemis.
Sagapeni,
Galbani,
Ammoniaci, ana præparat. drachmas tres.
Lithargyrii Auri,
Argenti, ana uncias duas ſemis.
Minii, uncias duas.
Ceræ, quantùm ſatis.

Oleum Chamæmelinum, Roſarum, maſtichinum & lini cum lithargyrio & minio coquantur ad debitam conſiſtentiam, poſtea addantur pix, reſina ſevum cum cera invicem liquata & colata, atque cùm ab igne depoſita & ſemi refrigerata fuerint, poſt reliqua in pulverem redacta, gummi elemi, ſagapenum, galbanum, ammoniacum cum terebinthina liquefacta, ac tandem oleum Terebinthinæ.

VIRES ET USUS.

Emmollit, digerit, reſolvit, nervoſarum partium malis cumprimis utile.

EMPLASTRUM NERVINUM ZWELFFERI.

℞. Herb. Rorismarini,
Betonicæ,
Centaurii, ana manipulum unum.
Vermium terreſtrium mundatorum, uncias tres.

Radicum Rubiæ tinctorum, drachmas decem.
Foliorum hyperici,
Seminis ejusdem, ana manipulum únum.

Coquantur in vini & aceti ana libra una semis ad medietatis exhalationem, postea colentur, & exprimantur, colaturâ asservatâ. Jam

℞. Ol. Chamomillæ,
Rosarum, ana unc. duas (semis.
Lini,
Olivar. (locò mastichini)
Terebinthinæ rubræ, ana unciam unam semis.
Lithargyrii Auri,
Argenti, ana unc. (tres.
Minii, uncias duas.

Coquantur lento igne semper affundendo de superiori decocto, (relictis tamen hujus decocti unciis duabus vel tribus pro dissolutione Gummatum) ad justam Emplastri consistentiam; cui addantur sequentia liquata invicem, ac per linteum transcolata, scilicet:

Sevi Vitulini,
Hyrcini, ana unciæ duæ (semis.
Picis navalis,
Resinæ, ana uncia una semis.
Ceræ flavæ, unciæ tres.

His mixtis dissolvantur in

Terebinthinæ unciis quatuor.
Pulv. Gummi Elemi, drachmæ decem.
Mastichis, uncia una drachmæ sex.

Et priori Emplastro etiam addantur: tandem in superiori asservato decocto acido dissolve

Pulv. Gummi Sagapeni drachmas tres.
Pulv. Gummi Ammoniaci,
Galbani, ana drach. tres ad

Formam pultis, & sensim semi refrigerato Emplastro admisce.

ANIMADVERSIO ET USUS.

I. Zwelfferus *in id sequentibus annotat: Quòd* Emplastrum hoc *vel* nigrum *vel* grysеum *mediante coctione fieri possit, vel etiam* rubrum, *ultimò admixtô miniô. Oleum simplex sive olivarum substitui pro mastichino, econtra verò sub finem pondus mastichis debitè auxi, quo ipso, quæ in oleo superiùs defuit, mastichen restitui; nam* oleum mastichinum *huic coctioni non dextrè ac prudenter adderetur.*

II. Emplastrum hoc præstantissimum & utilissimum *non solùm* ad roborandos nervos, membra contracta, contusa & conquassata, *sed* & ad ventriculum & uterum confortandum *sexcenties expertum se esse testatur Author. In* duritie *insuper* Hypochondriorum, debilitate hepatis, & lienis *non minùs salutare existit.*

EMPLASTRUM DE NICOTIANA.

℞. Succi Nicotianæ, libram semis.
Absynthii Pontici, uncias (quatuor.
Olei Hypericonis,
Irini,
Sambuci, ana unciam unam semis.
Herbæ Absynthii Pontici,
Prunellæ,
Scrophulariæ, ana manipulum unum.

Vini

Vini albi, unc. unam ſemis.
Bulliant ad vini & ſuccorum conſumptionem in vaſe æreo, ſemper agitando, expreſſioni adde:
Terebinthinæ,
Adipis hircini, ana unc. duas.
Ceræ flavæ, libram ſemis.
Pulv. Olibani,
Maſtichis elect.
Myrrhæ, ana unciam unam.
Fiat ſecundùm artem Emplaſtr.

ANIMADVERSIO ET USUS.

Joannes Verbrugs Famoſus Holandiæ Chyrurgus, *id deſcribit in* ſuo Examine Chyrurgico, *quod ſummopere recommendat* omnis generis tumoribus ſcyrrhoſis, ſtrumis, *ac* aliis mali moris tumoribus, *qui* aliis Emplaſtris *cedere nolunt.*

EMPLASTRUM NIGRUM P. A. V.

℞. Colophoniæ,
Reſinæ,
Picis navalis,
Ceræ albæ,
Vitrioli Romani,
Ceruſſæ,
Olibani,
Myrrhæ, ana uncias octo.
Maſtiches,
Terræ ſigillatæ,
Sanguinis draconis,
Lumbricor. præparator.
Camphoræ, ana unc. unam.
Mumiæ,
Lapidis Magnetis præparat.
Vitrioli albi,
Corallii rubri, ana unc. duas.
Axungiæ Ardeæ, unc. unam.
Thymalli, unc. tres.
Olei ovorum, uncias duas.
de ſpica, unciam unam.
Juniperi ex granis, uncias tres.
Roſarum, unc. ſeptem.
Fiat Emplaſtrum S. A. colophoniam, reſinam, picem & ceram invicem liquando, ac colando, dein olea & axungias, ùt & reliqua pulveriſata immiſcendo.

VIRES ET USUS.

Eſt perquàm efficax ad recentia vulnera & puncturas.

EMPLASTRUM NORIMBERGENSE.

℞. Minii ſubtiliſſimè triti, libram unam.
Olei Roſar. cocti, libras duas.
Coquantur ad conſiſtentiam emplaſtri, cui non nihil refrigerato adde:
Camphoræ, unc. unam ſemis.
Miſce, fiat L. A. Emplaſtrum.

ANIMADVERSIO ET USUS.

I. *Cùm hucuſque ab illis, qui illud diſpenſant, pro Arcano aſſervetur, variis ſubjicitur deſcriptionibus. Sunt enim, qui ſaponem & ceram ſuperaddunt, doſimque immutant ingredientium;* D. D. Valentini *in* Muſeo Muſeorum *ex his tribus ingredientibus id conſiſtere proponit.*

II. Univerſale *ferè exiſtit, quod reſolvendo, exſiccando, & roborando vires ſuas exerit, & ulcera exſiccando cicatriſat.*

EMPLASTRUM OPODELDOCH. MINDERERI.

℞. Ceræ novæ mundissimæ, libram unam.
Terebinthinæ Venetæ claræ, libram semis.
Olei Hyperici,
Myrtini, ana unciam unam semis.
GummiElemi, uncias tres.
Ammoniaci,
Galbani,
Opopanacis, ana præparat. drach. tres.
Colophoniæ, drachmas sex.
Mumiæ selectæ,
Succini albi, ana drach. duas.
Olibani,
Mastiches,
Sanguinis Draconis,
Sarcocoll. à recrementis purgatæ, ana drachmam unam semis.
Myrrhæ, drachmam unam.
Lapidis Magnetis præparati, drachmas sex.
Croci Martis ex arte sinè corrosivo concinnati,
Tutiæ præparatæ, ana unciam unam.
Lapidis calaminaris præparat. uncias quinque.
Lithargyrii auri, unc. unam.
Colcotharis indulcati, seu Terræ Vitrioli mortuæ ac dulcificatæ, uncias duas.
SucciAlchymillæ,
Symphiti,
Veronicæ,
Pyrolæ,
Succi Consolidæ mediæ vel Saracenæ,
Telephii,
Nicotianæ,
Numulariæ, aut Foliorum Quercûs, ana unciam unam.

Olea cum succis coquantur ad humiditatis aqueæ consumptionem; postea additis cerâ & colophoniâ invicem liquatis ac colatis, ut & post factam ab igne remotionem, & aliqualem refrigerationem, gummibus cum terebinthina solutis, atque reliquis in pulverem redactis, fiat lege artis Emplastrum.

VIRES ET USUS.

Emplastrum hoc *magnæ efficatiæ est ad vulnera recentia sananda*; spicula, tela, cuspides, *dummodo ossibus fixi non hæreant*, *itémque* pilos, *aut quæ vulneri inciderint*, *extrahit*, symptomata vulneribus infensa *ac* periculosa, *si citò applicetur*, *præcavet*, tumores affluxúsque humorum, *qui* offensæ parti *incumbere solent*, *reprimit*. *Solet* oleo rosarum *vel* chamæmelino *ad sufficientem consistentiam Emplastri malaxari.*

EMPLASTRUM OXICROCEUM. P. A. R.

℞. Ceræ,
Picis,
Colophoniæ, ana libram unam.
Croci,
Terebinthinæ,
Galbani præparati,
Ammoniaci præparati,
Myrrhæ,

Myrrhæ,
Olibani,
Maſtiches, ana unc. quatuor.

Cera, Pix & Colophonia invicem liquentur, & colentur, quibus dein ab igne depoſitis, & ſemi-refrigeratis Galbanum & Ammoniacum in terebinthina ſoluta, poſt reliqua in pulverem tenuiſſimum redacta, jungantur, fiátque ſecundùm artem Emplaſtrũ.

ANIMADVERSIO ET USUS.

I. *Dictum eſt, ut Galbanum & Ammoniacum in Terebinthina ſolvantur, cùm dentur gummata (uti etiam opopanacum eſt) quæ meliùs in terebinthina, quàm aceto ſolvuntur & liquantur, præcipuè ſi Terebinthinæ quantitatem Gumata multùm non ſuperent.*

II. *Ad* contuſa, oſſium fracturas, nervorum dolores, & abſceſſuum inveteratorum duritiem emmolliendam *idoneum, emplaſticum quoque, & gignendo callo habile exiſtit.*

EMPLASTRUM PAMPHILII CUM ASA FOETIDA.

℞. Ceruſſæ,
Minii, ana libram ſemis.
Gummi Ammoniaci,
Opopanacis,
Galbani, ana uncias duas.
Terebinth. Venet. uncias tres.
Saponis Veneti bene ſiccati, uncias quatuor.
Aſæ fœtidæ, unciam unam.
Olei olivarum, libram unam.

Sapo minutiſſimè inciſus ſuper lento igne oleô continuò movendo inſpergatur, donec oleô fuerit colliquatus, dein ceruſſam & minium ſubtiliſſimè trita, diligentiſſimè rudiculâ ligneâ agitando, nè fundum petant, cavendo penes, nè nimiô igne nimis ebulliant, tandem Gummi Amoniaci, Opopannacis & Galbani in terebinthina ſoluta commiſceantur, addatúrque ultimatim Aſa fœtida, ab igne remotis & ſemi refrigeratis addantur camphoræ drachmæ ſex in ſpiritu vini ad normam pultis ſolutæ. Fiat ſecundùm artem Emplaſtrum.

ANIMADVERSIO ET USUS.

Æmulatur Deſcriptionem Emplaſtri Saponati, *cui tamen ab experientia multiplici viribus antecellit, ſiquidem* omnis generis tumores, *etiam* inveteratos, *in omnibus partibus, qui aliis Emplaſtris non ceſsêre, ad admirationem reſolvere eſt compertum, quanquam etiam in* vulneribus *ac* ulceribus ſordidis *cum ſingulari effectu applicetur.*

EMPLASTRUM DE PELLE ARIETINA ARNOLDI DE VILLA NOVA.

℞. Lithargyrii,
Lapidis Hæmatitidis,
Sanguinis Draconis,
Boli Armenæ,
Opii,
Maſtiches,
Ammoniaci præparati,

Galbani præparati,
Mumiæ,
Thuris,
Coſti,
Lumbricorum, ana drachmam ſemis.
Picis nigræ,
Colophoniæ,
Ceræ albæ, ana uncias duas.
Rad. Conſolid. majoris,
minoris, ana drach. tres.
Roſarum rubrarum,
Myrrhæ,
Aloës, ana grana decem & octo.
Succi hypociſtidis,
Gallarum immaturarum,
Balauſtriorum,
Ariſtolochiæ rotundæ, ana drachmas ſex.
Viſci querni, drachmas duas.
Terebinthinæ, uncias duas.
Sanguinis humani exſiccati, uncias novem.

Confice ſic:

Pellem Arietinam integram coque in aqua, donec ferè diſſoluta ſit, in lentorem quendam, quem colabis, & ad debitam craſſitiem inſpiſſabis; Hujus ſume libram unam, adde Picem, Colophoniam, & Ceram invicem liquata & colata, poſtea Ammoniacum & Galbanum cum Terebinthina ſoluta, opium & ſuccum Hypociſtidis in modico aceto liquata, ac reliquorum ingredientium pulverem, & tandem viſcum quernum. Fiat ex arte Emplaſtrum.

ANIMADVERSIO ET USUS.

I. *Collocatur in* Pharmacopœa Auguſtana Veteri *inter* Cerata minùs uſualia, *cùm & hodie rariùs expetatur, poſtquam expeditiora melioris effectûs in uſum ſunt recepta.*

II. *Aliàs ad membrorum luxationes priùs repoſitas adhibebatur, ut partes relaxatæ tonum naturalem recuperarent; præſertim autem ad Hernias à multis commendatur.*

EMPLASTRUM DE RANIS CUM ET SINE MERCURIO VIGONIS.

℞. Olei Chamæmelini,
Anethini,
Liliorum alborum, ana uncias duas.
de Croco, unc. unam.
Pinguedinis vituli, libram ſemis.
Ranarum, num. ſex.
Lumbricorum elotorum, uncias tres ſemis.
Decocti Rad. Ebuli,
Enulæ, ana uncias duas.

Coquantur ad conſumptionem humiditatis aqueæ, & poſt colaturam cum

Lithargyrii libra una

Bulliant ad debitam conſiſtentiam, poſtea addantur:

Ceræ flavæ unciæ ſex,

Et ab igne remotis (que.
Pulv. Euphorbii, drach. quin-
Thuris, drachm. decem.
Schœnanthi,
Stœchadis, (mis.
Matricariæ, ana unc. ſe-

Tere-

Terebinth. claræ, unciæ duæ.
Styracis liquid. unc. una ſemis.
Argenti vivi cum dicta Terebinthina & Styrace probè permixti, unciæ quatuor.
Axungiæ viperinæ, unciæ duæ ſemis.
Olei Spicæ, unciæ duæ.
Laurini, uncia una ſemis.

Fiat Emplaſtrum.

Aliam hujus Emplaſtri præparationem, præſcriptâ multò meliorem & longè efficaciorem tradit Zwelfferus, quam ad ſelectum petentis etiam hìc apponimus:

℞. Argenti vivi, uncias quatuor.
Solvatur in ſ. q. aquæ fortis, cui adde:
Axungiæ viperinæ vel ſerpentum, uncias tres.
Olei Liliorum alborum, uncias duas.

Coquantur leniter in vitro capaciori & amplioris orificii ad aquæ fortis exhalationem, donec nimirum ejus guttula una vel altera in ignem projecta ſtrepitum ampliùs non edat, erítque maſſa, ubi refrixerit, duriuſcula, citô tamen & in leni calore liquabilis, quæ interim calida aſſervetur.

Poſtea

℞. Ranarum viventium, numerô decem.
Lumbricorum abſque lotione purgatorum, unc. duas
Schœnanthi, (ſemis.
Stœchadis,
Matricariæ, ana manip. unũ.
Croci, drachmas duas.
Succi Rad. Ebuli, (duas.
Enulæ, ana uncias
Aceti vini fortis, libras duas ſemis.

Coquantur ad dimidias, colaturâ per expreſſionem factâ pariter aſſervatâ; tum demum:

℞. Olei Chamomillæ,
Anethini,
de Spica coct. ana uncias duas ſemis.
Laurini, unc. unam ſemis.
Pinguedinis ſeu ſevi vitulini, libram ſemis.
Lithargyrii triti, libram unam.

Coquantur lento igne (addendo ſemper aliquid de ſuperiori decocto cum aceto facto, uſque dum totum decoctum additum ſit) ad conſiſtentiam Emplaſtri durioris gryſei in colore, cui ab igne remoto adde:

Therebinthinæ claræ, uncias duas.
Ceræ flavæ, uncias ſex.

Et his liquatis etiam (quinque.
Pulv. Euphorbii, drachmas (cem.
Thuris, drachmas de-

Nec non argentum vivum ſuperiùs ſolutum, & cum axungia ſerpentum & oleo liliorum alborum coctum.

Agitentur bene in calore leni, admiſcendo ſub finem, ubi jam omnia ſemi refrigerata fuerint,

Styracis liquidæ, unciam unam ſemis.

Fiat Lege Artis Emplaſtrum.

ANIMADVERSIO ET USUS.

I. *Pro illis, qui id ſinè Mercurio expoſcunt, communiter priùs vigonis abſque Mercurio paratum diſpenſari ſolet, quod ad* dolores ex cauſa frigida, *ùt & ad* reſolven-

dos & emmolliendos tumores frigidos *commendatur.*

II. *Alterum verò cum Mercurio paratum, ad* dolores & tumores ex inquinamento venereo exortos, *ùt &* alios glandularum tumores duros *ac* ſcyrrhoſos diſcutiendos & reſolvendos *deſtinatur; non minùs* ſcrophulis, ſcyrrhis mammarum, gangliis & partium nervoſarum tumoribus duris *citrà* ſalivationem *ſalutare exiſtit.*

EMPLASTRUM AD RENES DD. Löw.

℞. Radic. Conſolidæ majoris recent. manipulos duos.
Baccarum Myrtillorum, manipulum unum.
Inciſ. & contuſ. coque in vini rubri ſufficienti quantitate, colaturæ expreſſæ adde
Pulv. Myrrhæ rubræ,
Thuris, ana unciam unam.
Coque denuò lento igne, uſque dum libra ſemis circiter liquoris remaneat, cui colato & expreſſo adde
Olei Myrtillorum,
Omphacini, vel
Roſarum, ana uncias quatuor.
Coque iterum ad conſumptionem humiditatis, donec conſiſtentiam unguenti acquirat, cui colatæ adde
Terebinthinæ Venetæ, unciam unam.
Sevi hircini, unciam unam ſemis.
Ceræ Citrinæ, libram ſemis, ſeu q. ſ.
Liquatis tandem adde:
Pulv. Maſtichis,
Abſynthii pontici,
Sanguinis draconis,
Scoriarum ferri,
Succini albi,
Lithargyrii,
Boli armen. præparat.
Terræ ſigillatæ rubræ, ana unc. unam.
Minii opt. uncias duas.
Miſce, fiat L. A. Emplaſtrum.

VIRES ETUSUS.

In Nephritide, ac omnibus renum affectibus ferè Polychreſton, etiam à vulgo frequentiſſimè expetitur.

EMPLASTRUM RESOLVENS RUBRUM AD PODAGRAM.

℞. Olei Hyoſciami ex ſemine expreſſi,
Papaver. ex ſem. expreſſ.
Lini recentis expreſſ. ana uncias quatuor.
Minii ſubtiliter triti, uncias quindecim.
Aceti florum Sambuci, libram unam.
Coquantur igne leni, ſpatulâ vel rudiculâ continuò agitando, ad conſiſtentiam Emplaſtri, poſtea adde
Ceræ Citrinæ odoratæ,
Terebinthinæ odoratæ, ana uncias duas.
Saponis Veneti, uncias duas ſemis.
His liquatis adde:
Pulv. Olibani, unc. unam ſemis.
Maſtichis,
Tacamahacæ, ana drachmas ſex.

Pulv. Ro-

Pulv. Rosarum rubrarum,
Seminis Hyosciami, ana
unciam unam.
Misceantur acuratè, fiat Lege Artis Emplastrum.

VIRES ET USUS.

Zwelfferus Emplastrum hoc *non solùm scopo resolvendi, verùm etiam dolores Podagricos leniendi tenuiter super linteum extensum, & partibus dolentibus applicandum commendat. Materiam peccantem extrahit, ac ejus acorem destruit, partes insuper & articulos roborando à Podagra præservat.*

Aliud Emplastrum resolvens rubrum communicat D.D. Geelhausen in Dissertatione inaugurali medica de affectibus articularibus, & Podagricis Annô 1727. edit. p. 199. cujus sequens est descriptio:

℞. Gum. Mastichis, uncias tres.
Ammoniaci,
Animæ,
Galbani,
Sabinæ,
Spicæ nard. ana drachmas decem.
Castorei, unciam semis.
Lapidis calamin. præparat.
Myrrhæ rubræ, ana unciam unam semis.
Croci Metallor. drachm. tres.
Cinnabar. factit. uncias duas.
Sulphuris vivi, unciam unam.
Radicis scrophulariæ,
Seminis fœnugræci,
Baccarum Lauri, ana drachmas quinque scrupulum unum.
Croci Orient. scrupul. duos.
Camphoræ, drachmas duas.
Salis tartari, scrupul. octo.
Olei Spicæ,
Juniperi,
Lauri, ana scrupulos quatuor.
Petræ, drachm. unam.
Ceræ Citrinæ, uncias octo.
Terebinthinæ, unc. quatuor.
Misce, fiat L. A. Emplastrum, malaxetur cum Balsam. Sulphuris.

EMPLASTRUM AD RUPTURAM.

℞. Resinæ, uncias sex.
Terebinthinæ, uncias tres.
Olei ovorum, (unam.
Sanguinis draconis, ana unc.
Pulv. Rad. Consolidæ majoris.
Sandali rubri, ana unciam semis.
Croci Martis per reverberat. fact. drachmas duas.
Aluminis usti, drachmam unam.
Resina & terebinthina liquefiant, & ab igne remotis pulveres inspergantur, & oleum addatur, benéque misceantur, & fiat Emplastrum, quod beneficiô aquæ ferventis extendatur.

ANIMADVERSIO ET USUS.

Plura ab Authoribus Emplastra ad rupturas *seu* hernias *in usum proponuntur, proùt etiam illud de* Barba caprina *dictum in eundem finem expetitur.* Præsens Mynsichtus *magnis laudibus extollit, dicens:* Præstantissimũ est remedium ad va-

varias herniæ ſpecies, imprimis verò herniam inteſtinalem & umbilicalem curat. *Itaque* Emplaſtrum hoc *parti affectæ* (*inteſtinô vel omentô priùs ſenſim in locum ſuum repoſitis*) *pube ac ſcroto abraſis imponatur, & ligamentis idoneis vel ſubligaculo, nè exire poſſit, retineatur, illúdque ad perfectam ſanationem continuetur. Patiens interim in molli lecto jaceat, & ſit in quiete; imò diætæ rectam rationem obſervet, aëris intemperiem frigidam, ventum, clamorem, vociferationem, cantum, riſum, fletum, ponderum gravium elevationem, & omnem motum nimium vitet;* à cibis *quoque* flatulentis *abſtineat*, & alimentis craſſis, viſcidis & conſtringentibus *utatur. Quantitas autem parva eſſe debet, media enim maximè confert.*

EMPLASTRUM SANDALINUM.

Vide:

CERATUM.

EMPLASTRUM SAPONATUM BARBETTE CUM ET SINE CAMPHORA.

℞. Minii,
Ceruſſæ, (decem.
Saponis Veneti, ana uncias
Olei olivarum, libras duas.
Axungiæ porcinæ, unciam unam.

Coque ex arte in formam Emplaſtri.

ANIMADVERSIO ET USUS.

I. *Genuina hæc eſt deſcriptio, quam Author exhibet* Lib. IV. Cap. 4. de Catarrhis pag. 42. *ubi addit*: Magni, quæſo, facias hoc Emplaſtrum ingenioſe Lector.

II. *Cum Camphora paratur ad normam Emplaſtri Saponis Tachenii P. A. R. cui ab igne remoto & nonnihil refrigerato, ſub continua agitatione additur Camphoræ uncia una in ſpiritu vini ad pultis formam ſolutæ.*

III. *Camphoratum adhibetur in* omnibus inflammationibus, *hinc in multis ſimplici præfertur, ſiquidem* poros partium *leniſſimè reſerat*, & materiam inſpiſſatam *emmollit*, *præterea ad* dolores arthriticos ex lympha tenuiore, *item ad* Podagram *ſedandam*: tumores *quoque reſolvit*, *umbilico impoſitum* menſes *ciet*, & uterum *roborat*, ambuſtis *quoque* & pernionibus *medetur.*

EMPLASTRUM SATURNINUM MYNSICHTI.

℞. Saturni uſti & loti, uncias (duas.
Sevi hircini, (duas.
Ceræ albæ, ana unciam unam ſemis.
Terebinthinæ, drachmas ſex.
Lapidis Calaminaris præpar.
Ceruſſæ lotæ, ana unciam ſemis.
Pompholigos, (mis.
Tutiæ præparatæ, ana drachmas duas.
Myrrhæ rubræ, (mas duas.
Maſtichis,
Olibani, ana drachmam unam.
Aloës epaticæ, (nam.
Camphoræ,
Nitri præparati, ana drachmam ſemis.

Miſce, & fiat Emplaſtrum juſtæ conſiſtentiæ.

VI.

VIRES ET USUS.

Author ſequentibus deſcribit : Nobile hoc de Saturno Emplaſtrum, auxilium quaſi divinum, & nuper à me inventum, valet, ſecundùm meam experientiam, contra omnis generis ambuſta, inflammationes, tumores, ignem Perſicum, &c. nec non ad vulnera & ulcera quævis maligna, fœtida, inſanabilia ac corrodentia, nimirùm: Fiſtulas, lupum, cancrum, polypum, noli me tangere, &c. & ſimilia Saturnina, etiam deploratiſſima, inter paucos dies carne implenda. *Et hæc noſtra eſt vera & ſincera* Emplaſtri Saturnini *deſcriptio; cæteræ verò, quæ paſſim circumferuntur, omnes falſæ ſunt.*

EMPLASTRUM DE SPERMATE CETI MYNSICHTI.

℞. Ceræ albæ, uncias quatuor.
Spermatis ceti, uncias duas.
Gummi Galbani, unc. unam.

Ceræ liquatæ commiſceatur ſperma ceti, & tandem Gummi Galbanum tritum, fiat Emplaſtrum.

VIRES ET USUS.

Mammis puerperarum poſt partum non lactantium impoſitum, & continuè per multos dies geſtatum, omnibus ex lacte doloribus & tumoribus etiam duris. Imò ſcrophulis & ſtrumis medetur: Lac enim coagulatum ſive concretum ſolvit, ejúsque abundantiam abſümit.

EMPLASTRUM DE SPERMATE RANARUM P. A. R.

℞. Spermatis ranarum depurati,
Olei olivarum, ana libras tres.
Ceruſſæ Venetæ, libras quatuor ſemis.
Ceræ albæ, libram unam.
Aluminis crudi, unc. quatuor.
Terebinthinæ, drachm. duas.
Camphoræ, unciam unam.

Oleum cum ſpermate ranarum uſque ad humiditatis aquoſæ conſumptionem coquatur, poſtea cera & terebinthina, ùt & reliqua pulveriſata ex arte miſceantur.

VIRES ET USUS.

In inflammationibus & doloribus coërcendis, nec non ad ulcera contumacia & antiqua curanda utiliter adhibetur.

EMPLASTRUM SPLENETICUM P. A. R.

℞. Gummi Ammoniaci præparati, unciam unam.
Succi Tabaci, unciam ſemis.
Ebuli,
Reſinæ Pini,
Terebinth. ana drachm. duas.
Olei de capparibus, unciam ſemis.
Ceræ, drachm. unam ſemis.

Fiat Emplaſtrum, ſuccos cum oleo ſufficienter coquendo, dein ceram cum reſina liquatam & colatam, ac tandem Ammoniacum cum Terebinthina ſolutum jungendo.

ANIMADVERSIO ET USUS.

I. *Ejuſdem ferè deſcriptionis & indolis eſt, ac* Emplaſtrum de Cicuta, *cujus locum ſuccus tabacæ & ebuli in hoc ſupplere videtur.*

II. *Aliàs etiam hujus Emplaſtri virtus eſt in* ſucco melancholico, ſplenem occupante, *priusquàm in ſcirrhum abeat, vel ſi diuturnitate temporis jam ſe ſe exerat, in eodem emmolliendo & reſolvendo uſurpatur.*

EMPLASTRUM STICTICUM GROLLII.

℞. Minii,
Lapidis Calaminaris, ana libram ſemis.
Lithargyrii Auri,
Argenti, ana uncias tres.
Olei Lini,
Olivarum, ana libram unam (nam ſemis.
Ceræ,
Colophoniæ, ana libram unam (nam.
Vernicis,
Terebinthinæ, ana libram ſemis
Opopanacis præp.
Galbani præparati,
Sagapeni præparati,
Ammoniaci præparati,
Bdellii, ana uncias tres.
Succini Citrini,
Olibani,
Myrrhæ Alexandrinæ,
Aloës hepaticæ,
Ariſtolochiæ longæ,
rotundæ, ana unc. unam.
Mumiæ tranſmarinæ,
Magnetis, ana unciam unam (nam ſemis.
Hæmatitis,
Coralliorum alborum,
rubrorum,
Matris Perlarum,
Sanguinis draconis,
Terræ medicatæ ſtrigenſis,
Vitrioli albi, ana unciam unam.
Florum Antimonii,
Croci Martis, ana drach. duas.
Camphoræ, unciam unam.

Modus parandi talis eſto:

Oleum lini & olivarum cum Lithargyrio auri & argenti aliquamdiu coquantur, hinc addatur calaminaris & paulopoſt minium, quæ omnia agitando coquantur ad ſufficientiam; tandem etiam addatur circa finem vernix, oleum laurinum, cera, colophonia, invicem liquefacta & colata; ab igne depoſitis & ſemi refrigeratis immiſceantur opopanax, galbanum, ſagapenum & ammoniacum cum terebinthina ſoluta, ùt & camphora ac reliqua in ſubtilem pulverem redacta.

ANIMADVERSIO ET USUS.

I. *Vires* hujus Emplaſtri *celebres ſunt, quas Author ipſe in* Baſilica ſua Chymica pag. 269. *innumeras in compendio ſequentibus verbis comprehendit*: Sub lunari globo non reperitur efficacius. *Reliquas ſingillatim, contra quos morbos valeat, in logiori ordine recenſet.*

II. *Non multùm differt in viribus ab* Emplaſtro Opodeldoch Paracelſi, *de quo ſuperiùs dictum eſt, cùm, ùt illud ad* vulnera recentia & ictus *celeriter* conſolidandos, ſymptomata & confluxiones *ſuper-*

pervenire ſolitas præcavendo magnopere laudatur. Præterea ferrum, lignum, plumbum, *aliáque profundiùs membris infixa ſinè dolore extrahere perhibetur*; antiqua *etiam* ulcera *ſiccat & mundificat.*

EMPLASTRUM STOMACHALE.

℞. Terebinthinæ in aqua Menthæ coctæ, libram ſemis.
Ligni Aloës pulveriſati,
Caryophyllorum,
Cinnamomi,
Macis,
Nucis moſchatæ,
Storacis Calam.
Thuris,
Maſtichis,
Benzoë,
Tacamahacæ,
Aloës ſuccotrinæ, ana unciam ſemis.
Olei Nuciſtæ expreſſ.
Balſ. Indici nigri, ana drachmas tres.

Miſce, fiat Lege Artis Emplaſtrum.

ANIMADVERSIO ET USUS.

Ex Famoſiſſimi Medici Pragenſis D.D. Dobrzensky manuſcriptis *hodiedum adhuc magni æſtimatur hæc deſcriptio*, omnibus *namque antehac* uſitatis Emplaſtris & Ceratis ſtomachalibus *ferè præponitur, dum non ſolùm* ventriculum & hepar *roborando, horum dolorem lenit, vomitum compeſcit, & concoctioni fert opem ſingularem.*

EMPLASTRUM SULPHURATUM PRO VINO.

℞. Cinnamomi electi,
Nucis moſchatæ,
Zedoariæ, ana unciam unam.
Maſtichis,
Macis,
Galangæ, ana unciam ſemis.
Liquiritiæ, uncias tres.
Ireos Florentinæ,
Calami Aromatici, ana uncias duas.
Olibani electi, drachmas tres.
Sem. Aniſi,
Fœniculi,
Coriandri præparati,
Milii Solis, ana unc. tres.
Granorum Paradiſi, drachmas ſeptem.
Herbæ Majoranæ,
Salviæ hortenſis, ana unciam ſemis.
Flor. Roſarum,
Sambuci, ana unciam unam.
Piperis longi,
Radicis Pyrethri, ana drachmas quinque.
Vitrioli albi,
Salis Gemmæ, ana unc. unam.
Sulphuris Citrini, q. ſ.
Fiat Lege Artis Emplaſtrum.

ANIMADVERSIO ET USUS.

Variæ hujus Emplaſtri *paſſim habentur compoſitiones, quædam enim* plura aromata *continent, aliæ de* Marcaſita *uncias decem aut duodecim ſuperadditas habent, proùt videlicet pro ratione petentis expetitur ad uſum ex titulo patentem.*

EMPLASTRUM DE TACAMAHACA ZWELFFERI.

℞. Gum. Tacamahacæ, unciam
Animæ, (unam.
Benzoë, ana unciam
semis.
Mastichis, uncias duas.
Terebinthinæ claræ, uncias
tres.
Resinæ styracis expressæ, unciam unam.

His invicem & insimul dissolutis, leniſſimo calore, &, si opus est, per linum & qualum colatis, superadde

Olei nucis moschatæ expressi,
Pulv. Olibani,
Myrrhæ,
Nicis moschatæ,
Baccarum Lauri, ana
unciam unam.
Caryophyllorum, drachmas sex.

Quibus ultimò, quasi refrigerato Emplastro, adde

Balsami Indici Peruviani, unciam semis vel drach. sex.

Fiat Emplastrum nobile, ad stomachum confortandum maximè faciens: quemadmodum ex ipsa inspectione rerum ingredientium manifestum est.

EMPLASTRUM THEE HERBÆ DOLÆI.

℞. Gum. Galbani, uncias tres.
Sagapeni (duas.
Ammoniaci, ana unc.

Solv. in oleo Terebinthinæ, adde

Gummi Elemi, unciam unam semis.
Olei Cornu cervi, unc. sex.
Tacamahacæ, unc. duas.
Tartari fœtidi, unciam
unam.
Camphoræ, drachmam
unam semis.
Myrrhæ, uncias tres.
Pulveris herbæ Theé, uncias
quatuor.
Spermatis Ceti, uncias duas.
Picis, uncias sex.
Terebinthinæ, unc. quinque.
Colophonii, uncias tres.
Salis Volatilis succini, unciam unam.
Tartari, unciam semis.
Ceræ, q. s.

M. F. L. A. Emplastrum, quod resolvit & discutit pertinaces, ac scyrrhosos tumores, confert & plurimis aliis affectibus externis. *Auth. Encycl. Chyr. Lib. V. cap. VII.*

EMPLASTRUM AD TOPHOS P. A. V.

℞. Picis navalis,
Colophoniæ, ana uncias tres.
Mucilaginis radicum Althææ, uncias duas semis.
Galbani præparati,
Ammoniaci præparati,
Mastiches,
Myrrhæ, (semis.
Thuris, ana unciam unam
Propoleos, *seu* Ceræ Virgin.
Viſci quercini,
Aristolochiæ rotundæ,
Æris usti,
Ceræ citrinæ, (tres.
Terebinthinæ, ana uncias

Fiat S. A. Emplastrum, ceram cum colophonia liquando & colando, dein Galbanum & Ammonia-

moniacum cum Terebinthina liquefacta, juxta cum pulvere reliquorum immiſcendo, mucilaginémque ſenſim addendo.

VIRES ET USUS.

In tumoribus & Nodis Gallicis felici ſucceſſu uſurpatur.

EMPLASTRUM TRIAPHARMACON MESUE.

℞. Lithargyrii,
Aceti fortis, (tres.
Olei communis, ana uncias Lithargyrium leniſſimè tritum, moveatur continuò ad ignem, paulatim adfuſis oleô & acetô; vel etiam omnia ſimul permixta L. A. coquantur.

ANIMADVERSIO ET USUS.

Dicitur & Emplaſtrum de Lithargyrio nutrito Meſue: *ſiccat potentiſſimè* ulcera difficilia, & fiſtulas, *quæ nondum callum contraxerint, curat; eòque parotidas criticas, quæ jam fiſtulas contrahebant, in pueris adoleſcentibus, ac mulieribus* Galenus *percuravit.*

EMPLASTRUM VESICATORIUM P. A. R.

℞. Cantharidum, drachm. duas.
Terebinthinæ, drach. unam.
Olibani,
Myrrhæ,
Maſtiches, (decim.
Camphoræ, ana grana quin-
Olei Roſarum, drach. unam.
Ceræ flavæ, drachmas tres.
Fiat Emplaſtrum, liquando ceram & terebinthinam in oleo, poſtea ſemirefrigeratis camphoram cum aliquot guttulis ſpiritûs vini tritam, & reliqua in pulverem redacta addendo.

Sequens Pragenſibus Chyrurgis tanquam potentius eſt uſuale:

℞. Ceræ flavæ, unciam unam.
Picis navalis,
Reſinæ albæ,
Sevi cervini, (mis.
Terebinthinæ, ana unciam ſe-
Pulv. Cantharidum, unc. unã.
Seminis Synapi, uncias duas.
Gummi Euphorbii, drach. u-
F. L. A. Emplaſtrum. (nam.

ANIMADVERSIO ET USUS.

Emplaſtro huic *ad corium pro applicatione extenſo* Pulveris Cantharidum portio *inſpergi debet. In quibus affectibus verò veſicas excitare convenit, ex* Therapia *notum eſt, ad humores videlicet ex viſcoſitate Lymphæ revellendos, præſertim* in morbis malignis, *in quibus* miaſmata venenoſa *ad exteriora provocat.*

EMPLASTRUM VIRIDE.

℞. Ceræ Citrinæ,
Reſinæ albæ, (tuor.
Terebinthinæ, ana unc. qua-
Olibani,
Maſtiches,
Viridis æris, ana uncias tres.
M. F. L. A. Emplaſtrum.

Detergit, & conſolidat vulnera, & ad clavos pedum conducit.

EMPLASTRUM FILII ZACHARIÆ, *Id eſt*: RHASIS ex MESUE.

℞. Ceræ flavæ,
Medullæ crucis vaccæ,
Adipis Anatis,
Gallinæ, (bram unã.
Mucilaginis ſem. Lini, ana li-
Olei Lini, quantùm ſatis eſt.
Fiat coquendo ſufficienter mucilaginem cum oleo, & poſtea cum cera, medulla & adipe permiſcendo, Emplaſtrum.

VIRES ET USUS.

Junctur arum tophos ac nodos duros emollit, diſſolvit, & craſſa, lentáque pulmonis ac thoracis excrementa ad ejectionem per ſputum magis habilia reddit.

Si valentius facere volueris, adde:
Mucilaginis Althææ,
Fœnugræci, ana
partes æquales.
Olei Levcoji (pro ol. lini) q. ſ.
Adhuc valentius reddetur, ſi addatur
Oeſypii, (ſufficit.
Ichtyocollæ, ana quantùm

EMULSIO LAXATIVA MYNSICHTI.

℞. Amygdalarum dulc. excortic.
uncias duas.
Sem. 4. frigid. major. excort.
ana drachm. unam.
Aquæ Flor. Cichorii,
Perſicorum,
Aquæ Flor. Acatiæ, (tres.
Violar. ana uncias
Fiat Emulſio ùt artis eſt, in qua diſſolve:
Mannæ Calabrin. unc. duas.
Colentur, & colaturæ adde:
Aquæ Cinnamom. bugloſſat.
Miſce pro uſu. (unc. ſemis.

VIRES, USUS ET DOSIS.

In infantibus, & quibus alvus aliàs tardior, experimentum eſt. Inſuper ad febres acutas, ardentes, tertianas continuas, hecticas, maraſmodes, lipyrias, cauſum, & ſynochum commendatur. Doſis hauſtus mediocris.

ESSENTIA ABSYNTHII COMPOSITA.

℞. Summitat. Abſynthii floridi,
manipulos ſex.
Centaurii minoris
Herb. Card. Benedict. ana ma-
Calami Aromat. (nip. unũ.
Zedoariæ, ana unc. unam.
Cort. Aurantiorum,
Citri, ana drach. duas.
Cinnamomi, unciam ſemis.
Caryophyllor. drachm. unam.
Inciſis & contuſis affunde Spiritûs Vini rectificati libras tres, ſtent in digeſtione diebus aliquot, videlicet tribus aut quatuor, vaſe optimè clausô, poſtea Eſſentia extracta chartâ bibulâ coletur.

VIRES ET USUS.

In ſtomachi debilitate, & cruditatibus à cauſa frigida exortis laudabile

bile existit Medicamentum stomachicum, & carminativum. Datur à drachmâ semis ad drachmam unam.

ESSENTIA ABSYNTHII QUINTA.

Exprime succum ex Absynthio recenti, eúmque cum contusa herba Absynthii recenti mixtum in dolium quernum ad fermentandum colloca, donec acidiusculum acquirat odorem; hinc destilla per vesicam aut B. M. usque ad siccitatem.

℞. Hujus spiritûs libram unam.
Extracti Absynthii,
Salis Absynthii genuini, ana unciam semis.
Olei ejusdem destillat. scrupul. duos.
Misce & serva.

ANIMADVERSIO ET USUS.

I. Quinta Essentia *propriè spiritum denotat, destillatum ex succis fermentatione exaltatis, additis dein sale & oleo.*

II. *Eorundem fermentatio promovetur adjecta aliqua portione salis communis, (quæ & putrefactionem præcavet) vel salis tartari, fœcum cerevisiæ, vini, aut fermenti in aqua dissoluti.*

III. *Vires & usus cum Essentia Absynthii composita correspondent; in Dosi tamen minori.*

ESSENTIA ABSYNTHII SIMPLEX.

℞. Summitatum Absynthii floridarum, uncias duas.
Superinfundatur spiritûs vini, ut tres digitos emineat, post decantantionem & expressionem Essentia filtretur.

ANIMADVERSIO ET USUS.

I. *Notârunt alii, quòd si* Absythium *priùs irroretur per liquorem nitri fixi, ac tunc demum spiritus vini affundatur, eò citiùs* Essentia *extrahatur.*

II. *Alii consultiùs fore judicant, si sufficienti quantitate spiritûs proprii per fermentationem parati post sufficientem digestionem Essentia paretur, & extrahatur, quæ expressa, & decantata usui asservatur.* Vires *sunt* stomachicæ & hepaticæ. *Dosis ad drachmas duas pro ratione ætatis exhiberi potest.*

ESSENTIA ALEXIPHARMACA STAHLII.

℞. Rad. Angelicæ,
Imperatoriæ,
Helenii, ana unc. unam.
Carlinæ, unciam semis.
Vincetoxici,
Pimpinell. albæ, ana unciam unam semis.
Contusa infunde in spiritûs rectificati optimi libra una, prævia digestione extrahatur Essentia.
℞. Hujus Essentiæ, & Essentiæ Scordii partes æquales.
Mixta serventur usui.

ANIMADVERSIO ET USUS.

Junckerus in Conspect. Therap. General. pag. 148. *usum* hujus

jus Essentiæ *sequentibus complectitur*, *dicens*: Specialem hujus remedii usum *ut paucis attingamus*, *convenit præcipuè in* omnibus *pene* febribus (*justo tempore data*) & *sub finem eorum continuata, non tantùm* vires *restaurat*, *sed etiam nè* motus residui febriles *in* lentam *vel* hecticam *transeant*, *sæpè felicissimè prohibet. Ubi quoque turgida inflatio sub variolarum ebullitione abest*, *aut ipsæ variolæ*, *aliáque exanthemata retrogressa mortem minantur*, *sæpè ea moderata expulsione salutem reduxit. Porrò insigniter confert* vitiis lymphæ, & catarrhalibus malis, coryzæ, gravedini, brancho, rhevmatismis: *tutóque resolvit & expectorat in* tussi, vomica pulmonum, empyemate, *quin &* Phtysi, tempore evstadias. *Nec respuenda est in* quavis humorum spissitudine, *quam diuturno parco usu*, *imprimis motu corporis conjucta*, *attenuat*, & *ad faciliorem circulum ac sinceri sanguinis salubrem exitum*, *in suppressione mensium & lochiorum præparat. Cæterùm parcis & repetitis dosibus* (*à guttis viginti ad triginta*) *non autem in magno fervore*, & *orgasmo sanguinis*, *neque in febre ephemera*, *synocho*, *causo*, &c. *facilè eam porrigere convenit.*

Plures *circa* hujus Essentiæ *usum* cautelas *videre licet in* Conspect. Medic. Theoretico-Pract. Junckeri. *Item conferri potest* D. D. Gœtzius *in* Observat. Medic. Pract. Stahlianis Class. I. pag. 70. Not. 24.

ESSENTIA AMBRÆ MINDERERI.

℞. Elyxir. Vitæ Mathioli completi, uncias duas.
Spiritûs Cerasor. nigror. rectificati, unciam unam.
Ambræ, scrup. unum. (tuor.
Moschi Orientalis, grana qua-
Fiat infusio per aliquot dies, deinde filtrentur.

VIRES ET USUS.

Præstans hoc & illustre remedium animum, & *spiritus animales reficit*, *atque in* vertigine, scotomia, caligine oculorum, capitis frigidis affectibus, *excellentissimum est*, *præsertim hominibus ad exæstuationem sanguinis non valde pronis*, & *senibus post infusum Theé calidè assumptum manè ad quindecim aut viginti guttas exhibitum.*

ESSENTIA ANODYNA LANGELOTTI.

℞. Extracti Laudani Cydoniati, drachmas duas.
Spiritûs Cydoniorum, unc. u-
Leni calore misceantur. (nam.

ANIMADVERSIO ET USUS.

I. *Extractum quomodo parandum sit*, *videri potest in P. A. R. fol. 323. ubi & vires ejusdem sequentes dilaudantur*: Naturam motu inordinato pectantem *sedat*, viribus deficientem *reficit*, doloribus & vigiliis consumptam *refocillat*, humores nimiùm effervescentes, & Spi-

& Spiritus justo concitatiores *compescit.*

II. *Cautior tamen ejus usus sit, necessè est, sicut enim omnium Narcoticorum legitimus usus salutaris est, ità incautè assumpta multùm nocere possunt, unde priùs exhiberi non debet, nisì dum causæ morborum materiales penitùs sint sublatæ. Dosis ejus est à guttis decem ad viginti.*

ESSENTIA ANTIFEBRILIS,

Vide: TINCTURA.

ESSENTIA APERITIVA DE TRIBUS.

℞. Tartari crudi, unc. quatuor.
Nitri crudi, uncias tres.

Misce pulverisata, dein injice pervices in crucibulum ignitum, detonentur adinstar Antimonii diaphoretici, relinque sic aliquamdiu in calcinatione, ut bene omnia calcinentur, tandem in aquæ pluvialis vel fontanæ libris duabus calefactæ, solve salis Ammoniaci pulverisati unciam unam semis, & postquam Nitrum & Tartarus bene calcinata fuerint, ab igne remove, ac paululum refrigera, massámque calcinatam in aquam sale Ammoniaco imprægnatam sensim injice, nè nimiùm aqua (quæ valde volatilis fit & spirituosa) ebulliat, & ex effervescentia vitrum rumpatur, hinc providè post quamvis injectionem massæ vitrum tegendum citra agitationem, nè odor hujus Essentiæ spirituosæ & volatilis nimiùm evaporet.

ANIMADVERSIO ET USUS.

I. *Ab Authore suo famosissimo Practico Pragensi DD. Fuchs* Sal volatile in liquido, *seu* Essentia aperitiva alba *dicebatur; Viennensibus* Liquorem de tribus *nominare placuit. Fit exinde:*

Essentia aperitiva de tribus composita, dum in unciis tribus solvitur.

℞. Extract. Rhabarbari, drachma dimidia.
Centaurii minoris,
Trifolii fibrini, ana drachma una.

Quanquam sæpiùs Extracta pro ratione Medici & affectûs augeri & immutari soleant.

II. Essentia aperitiva de tribus *cum* Fuligine, *aut cum* Millepedibus vivis, *sola infusione parantur.*

III. *Usus* hujus Essentiæ *est singularis in omnibus affectibus ex viscositate lymphæ aut seri promanantibus; unde in* affectione hypochondriaca, *etiam* uterino-melancholica, *in* hydrope incipiente, *in* Ictero, Cachexia, Chlorosi, Scorbuto, febribus intermittentibus. *Item in obstructione partium glandulosarum, ùt* hepatis, lienis, pancreatis & mesenterii *præstans est. Præterea in retentione urinæ, præsertim cum Millepedibus infusa & calculo singulares exerit vires. In affectibus itidem pectoris cum succo liquiritiæ Hyspanicæ in illa soluto frequentiùs à nostris D. Practicis utilissimè exhibetur. Dosis ejus est ad guttas sexaginta & ultrà in congruo vehiculo.*

ESSENTIA APERITIVA ET CARMINATIVA D.D. ERBENI.

℞. Salis Tartari, uncias duas.
Ammoniaci, unc. unam.
Spiritûs vini opt. libras tres.
Cort. Aurantiorum,
Citri, ana recent. uncias quatuor.

Digerantur per viginti quatuor horas, dein deſtillentur per alembicum, cujus collo imponantur Cortices Aurantiorum & Citri, quantùm ſufficit.

Vires & uſus ex titulo patent; dàtur ad guttas 40. & ultrà.

ESSENTIA AURANTIORUM CORTICUM P. A. R.

℞. Corticum Aurantiorum exteriorum recentium, unc. quatuor.
Spiritûs vini, libram unam.

Abſtrahatur in balneo à corticibus ſpiritûs vini; in quo dein novi cortices aurantiorum exter. recent. infundantur, ſumendo eorum uncias quatuor; poſt octiduanam digeſtionem, liquor tinctus filtretur, & cum ſyrupi è corticibus aurantiorum, unciis duabus edulcoretur.

VIRES ET USUS.

Stomachum roborat, flatúsque diſcutit, à guttis triginta ad quadraginta & ultrà exhibetur.

ESSENTIA CARMINATIVA WEDELII.

℞. Rad. Zedoariæ, unc. unam.
Carlinæ, (mis.
Galangæ, ana unc. ſe-
Corticum Aurantiorum,
Sem. Aniſi,
Carvi,
Flor. Chamomillæ Romanæ,
Caryophyllorum aromaticor.
Baccar. Lauri, (ſemis.
Acori veri, ana drach. unam
Macis, drachmam unam.

Miſc. extrahantur contuſa & inciſa groſsò modò cum Spiritu corticum citri acidulato ſatis ſpiritu nitri, qui extractione per aliquod tempus factâ addi debet.

Vires & uſus inſignes in tormini-bus & Colica flatulenta à cauſa frigida exortis recommendat Author Lib. 2. Sect. II. cap. 5. in ſua Opiologia.

ESSENTIA CASTOREI P. A. R.

℞. Caſtorei, uncias tres.
Salis Tartari, drachmas tres.

Caſtoreum minutim inciſum, & cum Sale Tartari permixtum, Spiritûs Meliſſæ librâ unâ, per octiduum digerendo extrahatur, ac poſtea filtretur.

VIRES ET USUS.

Cephalicum, nervinum, uterinum ac antiſpaſticum eſt medicamentum, hinc capitis affectibus, Apoplexiæ, Epilepſiæ, Lethargo, & uterinæ *ſic dictæ* ſuffocationi *medetur. Doſis ſunt guttæ viginti ad triginta.*

Exter-

Externè ad odorandum adhibetur ; Clysteribus subinde additur drachma una in Passionibus Colico-Hystericis.

ESSENTIA CINNAMOMI.

℞. Cinnamomi acuti grosso modò pulverisati, unc. tres.
Spiritûs vini tartarisati, libram unam, vel q. s.
Stent in digestione octo diebus circiter, tum extrahatur Essentia, filtretur, & servetur usui.

ANIMADVERSIO ET USUS.

Hac methodo parantur Essentiæ omnium Aromatum, *lignorum, corticum, seminum, & radicum aromaticarum, quarum vires ab ingrediente desumuntur ; plerumque tamen* (*ut* Essentia Cinnamomi) *analepticæ & carminativæ existunt ; Pro Dosi dantur guttæ triginta & ultrà.*

ESSENTIA CITRI CORTICUM.

Paratur ùt Essentia Aurantiorum Corticum, cujus virtus & dosis est eadem.

ESSENTIA COCHLEARIÆ CUM EXTRACTO.

Paratur ùt Essentia Absynthii simplex, in cujus una uncia solvitur Extracti Cochleariæ drachma una. *Usus ejus est antiscorbuticus & stomachalis, dosis ad guttas triginta.*

ESSENTIA CROCI.

℞. Croci Austriaci, unc. unam.
Spiritûs vini rectific. unc. sex.
Digere per tempus in Phiola longi colli bene obturata, tunc effunde & serva.

ANIMADVERSIO ET USUS.

I. *Præstaret potiùs* Spiritum debiliorem vini *pro hac Essentia sumere, ut &* principium croci mucilaginosum, *in quo præcipuæ vires latitant, extraheretur ;* Spiritu *enim* rectificato *solummodò partes sulphureæ solvuntur, & quod aquosum aut mucilaginosum est, intactum remanet.*

II. DD. Scholtzius *sequentem comendat :*

℞. Croci opt. integri, unc. unam.
Micæ panis similaginei non fermentati, uncias duas.
Simul contunde in mortario lapideo, sensim affundendo vini boni Canariensis sufficientem quantitatem, ut fiat puls mollis, omniáq; croci stamina sint comminuta. Hinc pulti porrò affunde vini ejusdem uncias sex, & in vitro bene clauso aliquamdiu relinque, & digere : sic acquires tincturam instar sanguinis rubicundam, quam corroborando, excetionibus sinè violentia stimulandis, animo exhilarando, lithiasi cohibendæ, vitæque longæ ac sanæ procurandæ utilissimè licet adhibere. *Datur à guttis decem ad triginta & ultrà, pro Subjectorum & circumstatiarum diversitate.*

III. *Prior*, ſtomachica, cordialis, emenagoga & anodyna *perhibetur. Cujus Doſis à guttis quinque ad guttas 25. & ultrà.*

ESSENTIA ENULÆ EX RADICIBUS.

℞. Radic. Enulæ recent. in fruſta conciſæ, q. ſ.
Affunde ſpirit. vini rectificat. ad eminentiam quatuor digitorum, digere per aliquot dies, poſtea extrahatur Eſſentia ùt artis eſt.

Vires ejus in affectibus ventriculi, inteſtinorum, pectoris *ex viſcoſitatibus à cauſa frigida ortis laudantur à guttis triginta ad quadraginta & ultrà.*

ESSENTIA FULIGINIS, *Vide:* TINCTURA.

ESSENTIA FUMARIÆ COMPOSITA.

℞. Extracti Fumariæ, Chamædryos, (duas
Veronicæ, ana drach.
Radicis Sarſaparillæ,
Putamin. nuc. jugland. ana un-
Salis Fumariæ, (ciam unam.
Sarſaparillæ, ana drach.
Herbæ Fumariæ, (unam.
Chamædryos,
Scolopend. (ſemis.
Veronicæ, ana manip.
Spiritûs fumariæ, libras duas ſemis.
Extrahatur Lege Artis Eſſentia.

Vires hujus Eſſentiæ *ſunt ſtomachales, carminativæ, antiſcorbuticæ & ſanguinem purificantes; Datur à guttis 30. ad 60.*

Eſſentia Fumariæ ſimplex

paratur ùt Eſſentia Abſynthii ſimplex.

ESSENTIA GUMMI AMMONIACI.

℞. Gummi Ammon. uncias tres.
Liquoris nitri fixi, unc. unam.
Spiritûs Vini rectificatiſſimi, libram unam.
Stent per tempus in infuſione, ut extrahatur Eſſentia.

In doloribus Arthriticis, viſcoſitate pulmonum, & meſenterii *ac* uteri, obſtructionibúsque lienis & hepatis *à Viennenſibus commendatur.*

Eſſentia Hypericonis paratur ùt Eſſentia Abſynthii ſimplex.

Adhibetur in memoria confortanda & affectibus melancholicis, *item* menſes & urinam *promovet.*

ESSENTIA DIALACCÆ EX SPECIEBUS.

℞. Specierum Dialaccæ, q. v.
Irrorentur liquore nitri fixi aut ſpiritu nitri, dein cum ſ. q. ſpiritûs vini rectificati extrahatur, ùt artis eſt Eſſentia.

VIRES ET USUS.

In ventriculi & hepatis intemperie frigida commendatur, ſiquidem concoctionem adjuvat, ructus acidos com-

compeſcit, flatus diſſipat, ac oris halitum ingratum emendat; Doſis à guttis 30. ad 60.

ESSENTIA LIGNORUM. D. MICHAELIS.

℞. Ligni Saſſafras, uncias duas.
Sancti, uncias tres.
Rhodii, unciam ſemis.
Rad. Chinæ,
Sarſæparillæ,
Sandali rubri, (unam.
citrini, ana unciam
Inciſa cum Spiritu Fumariæ ad quatuor digitorum ſupereminentiam affuſo, poſt octiduanam digeſtionem extrahantur & filtrentur.

ANIMADVERSIO ET USUS.

Stabelius *in* Chym. Dogmat. exper. Tom. I. *ſuadet, ut ad præparationem* hujus Eſſentiæ *duplex aſſumatur menſtruum, nempe* Liquor Terræ foliatæ Tartari, *cum quo ſpecies iſtæ priùs irrorandæ, & per octiduum digerendæ, ac* Spiritus vini rectificatus, *cum quo poſtmodum extrahendæ ſunt, idque propterea, ut partim mediante menſtruo ſalino-ſulphureo partes reſinoſæ ſpecierum eò meliùs ſolvantur, quod tam promptè per ſpiritus ardentes ſolitarios non perficitur, imprimis ſi tales non ſummè rectificati ſint; partim etiam, ut eò gratiùs exinde proveniat medicamentum, hujúsque vis medicamentoſa inde ſimul augeatur, quæ potiſſimùm in eo conſiſtit, quòd* ſeroſo-lymphaticos, viſcidos humores, *incidat, reſolvat, & attenuet*, ipſorúmque ſecretionem, abſterſionem, & eliminationem, *tam per corporis peripheriam, ſi nempe cum* regimine diaphoretico *exhibetur, quàm per tubulos renum ſub diureſi promoveat. Doſis à guttis triginta ad ſexaginta.*

Eſſentia Ligi Saſſafras paratur ùt Eſſentia Cinnamomi.

ESSENTIA MACIS.

℞. Florum Macis, unc. quatuor.
Liquor. Nitri fixi, unc. duas.
Mixta ſtent in digeſtione ad exſiccationem uſque, tunc affunde
Spirit. vini rectific. libras duas.
Ac digere, poſtea deſtilla ex arena madida aliquoties cohobando, nunquam tamen ad ſiccitatem abſtrahendo, tandem ſpiritum prolectum affunde,
Floribus Macis pulveriſat. q. l.
Et ſtent ità per tempus, tunc filtretur, & ſervetur Eſſentia.

VIRES ET USUS.

Stomachalis, uterina & anticolica eſt. Doſis ad guttas 30.

Eſſentia Millepedum, eſt Eſſentia aperitiva de tribus cum Millepedibus, Spiritu Salis Ammoninci priùs irroratis parata.

ESSENTIA MUMIÆ.

℞. Mumiæ Ægyptiacæ, (nãm.
Ciner. Clavellat. ana unc. u-
Contuſa digerantur per aliquot ho-

horas cum aquæ fumariæ unciis duodecim, poſtea filtrentur.

VIRES ET USUS.

Omnia corpora à corruptione tuetur, unde in Peſte præſtantiſſimum remedium exiſtit, commodè etiam ad curationem Phtyſis & Aſthmatis *exhibetur, ſi cum conſerva Helenii & violarum permiſceatur, imò & pluribus aliis affectibus conducit, de quibus videri poteſt* D. Gabriel Clauderus cap. 7. §. 4. &c. in Methodo corpora balſamandi. *Doſis eſt ad guttas ſexaginta cum vehiculo congruo.* Qui aliô modô Eſſentiam Mumiæ paratam deſiderant epilepſiæ curandæ dicatam, videri poteſt Quercetani liber de Mumia c. 1. p. m. 101.

ESSENTIA MYRRHÆ.

Paratur ùt Eſſentia Macis; Cui ſi Crocum, Caſtorum, & Camphoram addideris, ínque Eſſentiam compoſitam redegeris, habebis eſſentiam in affectibus uteri ab Helfrico Juncken commendatiſſimam.

ANIMADVERSIO ET USUS.

I. *Supra citatus* DD. Stabelius *Myrrham priùs cum æquali portione* ſachari canarienſis *commiſcere ſuadet, & poſtmodum* Spiritum vini Tartariſatum *affundit: Hac enim ratione per menſtruum hocce* reſinoſas myrrhæ particulas *citiùs & meliùs diſſolvi poſſe ſpondet, ſacharum enim eſt* concretum ſalino-ſulphureum, *quod facilè ac firmiter ſe ſe cum oleoſis unit, &* acidas *invertit* particulas, *quæ aliàs ſolutionem impediunt. Hinc &* olea expreſſa, *quæ aliàs cum* ſpiritu vini rectificato *non uniuntur, mediante ſacharo facilè ſolvi poſſunt.*

II. *Myrrhæ qualitas in ſanguine expandendo, ejúsque motum accelerando, in* menſibus ciendis *ac* lumbricis enecandis *ſatis nota eſt; unde & ejus eſſentia in quibuscunque uteri affectibus exhibetur, quæ præterea* febrium rigores blando ſudore *compeſcit. Datur à guttis decem ad triginta.*

Eſſentia Pimpinellæ paratur ùt Eſſentia Enulæ.

Vires *poſſidet* diaphoreticas, diureticas & alexipharmacas; *unde in* febribus continuis, benignis & malignis *exhibetur: præterea in* torminoſis colicis affectibus à cauſa frigida exortis, *in* impuritatibus lymphæ quibuslibet corrigendis *proficua eſt. Datur a guttis triginta ad quadraginta.*

ESSENTIA PINI.

℞. Strobilorum Pini viridium, vel Turionum quantùm placet. Inciſis ſuperaffundatur Spiritus Chochleariæ, ad eminentiam quatuor digitorum; ſtent inſimul aliquamdiu in digeſtione, dein forti expreſſione extrahatur Eſſentia, filtretur & ſervetur uſui.

ANIMADVERSIO ET USUS.

Solent quidam Eſſentiam hanc

cum

cum proprio ſpiritu ex Turionibus per fermentationem parato extrahere; Alii iterum ſuadent Turiones in aqua communi decoquendos, donec omnem exuerint ſaporem, dein decoctum hoc ad mellis conſiſtentiam inſpiſſant, demum verò cum proprio ſpiritu, aut vini abſtractitio digerendo Eſſentiam extractam & filtratam *uſui ſervant. Petentibus ſelectum relinquimus. Celebratur inſigne remedium ad* Cocochimiam ſcorbuticam corrigendam; *hinc ferè* univerſale Correctivum corruptorum humorum *exiſtit. Datur a guttis triginta ad ſexaginta.*

ESSENTIA SATYRIONIS CROLLII.

Quemadmodùm Rhabarbarum parva elixatione amittit vim purgantem: itá etiam Satyrion exſiccatione; quamvis enim radix ſicca ſpiritu vini extrahatur, operatio tamen ex ejus uſu nulla deprehenditur efficax; & experientia demonſtrat, aquam è viridi radice deſtillatam plùs operari, quàm pulverem radicis ſiccæ: à radice igitur humore ſuo adhuc imbuta per ſeparationem elicitur virtus, id quod in hanc fit ſententiam.

℞. Primo vere omnium cynoſorchidum ſpecierum radices ſelectas, ſucculentas & plenas ad placitum, contunde in mortario marmoreo. Nota, alterum è duobus teſticulis ſemper flaccidum, mollem & rugoſum abjiciendum; quia virtute contraria (quam Paracelſus ſaturninam vocat) venerem reprimit & extinguit: adde micam unam atque alteram recentis panis ſimilacei candidiſſimi, miſceantur omnia in mortario lapideo diligenter, & propter lentoris dilutionem affunde ſufficientem copiam ſpiritûs vini malvatici, poſtea in alembico cœco in digeſtione lentiſſima balnei pone: finitô uno & altero digeſtionis hujus menſe, exprime per prælum ſuccum tenacem (fœces calcina, & ſalem extrahe candidum, ſapore ſuavi, non urinaceo, ùt reliqua vegetabilium ſalia) & colatum iterum in alembicum cœcum per duos menſes in digeſtione repone, tunc flaviſſimus liquor (interdum etiam rubens) ſeparat ſe ſe in ſuperficiem, remanentibus in fundo fœcibus impuris ſecernendis, quæ in forma hypoſtaſis aut ſedimenti in imo reſident, liquor ſeparatus per inclinationem ad uſum ſervetur, cui addes ſalem proprium, & aliquid de ſale Perlarum, guttam etiam unam atque alteram Olei Cinnamomi, Macèris & Nuciſtæ, ſic gratius & efficacius medicamentum erit. Poſſet addi Aurum potabile, ſi modo verum, genuinum, ac corroſivis rebus non inquinatum & corruptum haberi poſſet.

VIRES, USUS ET DOSIS.

I. *Mirabilis omnium ferè totius*

corporis membrorum externorum, utriúsque sexûs signatura, in hisce variarum specierum Radicibus deprehenditur. Ideò etiam totum hominem confortare non immeritò creduntur. Phædro *vocat radicem*, Mumiam rubram, *& singularem cum* Microcosmo *dicit habere sympathiam.*

II. *Hoc igitur* Extractum *est unum è summis totius Corporis confortativis* : *In* confortanda Venere *est præstantissimum medicamentum, & datur magno juvamento* frigidis & maleficiatis : *senibus item invalidi femoris virilitatem amissam potenter restituit.*

III. *Dosis à scrupulo uno ad scrupulos duos & tres in Vino Muscatellino dulci, vel Malvatico, eundo cubitum : vel misceatur cum Conserva Rosarum, de qua exhibeatur quantitas avellanæ, superbibendo haustum Vini Malvatici vel Muscatellini.*

ESSENTIA SCORDII.

Paratur eodem modo, ac Essentia Absynthii.

Diaphoretica, Alexipharmaca, & Antiscorbutica habetur. Datur ad guttas 20. 30. & ultrà.

ESSENTIA SUCCINI.

℞. Succini flavi subtilissimè pulverisati, unc. unam.
Spiritûs Vini tartarisati rectificatissimi, unc. octo.

Leni calore in Phiola optimè clausa per aliquot dies digerantur, & aliquoties moveantur, tandem liquor tinctus filtretur.

Usus ejus est roborans, balsamicus & anticatarrhalis, unde in affectibus Capitis, generis nervosi, & morbis uterinis, *ac* Gonorrhæa virulenta *conducit.* Datur à guttis 30. ad 60.

ESSENTIA TERRÆ CATECHU: vide TINCTURA.

ESSENTIA TRIFOLII FIBRINI P. A. R.

℞. Herbæ Trifolii fibrini exsicatæ, & minutim incisæ unc: quat:
Spiritûs ex eadem Herba, per fermentationem parati unc. sedecim.

Stent in digestione triduana, postea exprimantur, & filtrentur.

Vires hujus Essentiæ Antiscorbuticæ, Stomachales & Antihypochondriacæ *sunt. Datur à guttis 30. ad 60.*

ESSENTIA VIPERARUM SCHROEDERI.

℞. Jecinor: & Corda Viper: n. 100. Exsicata & contusa cum spiritu Vini rectificato s. q. tribus aut quatuor diebus digere, extrahe s. a. Essentiam. Cujus lib. uni adde
Salis volatilis Viper. unc. unam fixi, unc. semis.

Digere ut optimè uniantur adhuc die uno atque altero, & habebis summum, quod à Viperis separari potest medicamentum.

Virtus hujus Essentiæ *in sanguine purificando singularis est, hinc in* Melancholia, Podagra, Calculo, obstructionibus viscerum, *& viribus*

ribus ex morbo deperditis medetur. Dosis ejus est à guttis 20. ad 40.

ESSENTIA VIVIFICA.

℞. Spermat. Ceti, libram semis.
Rasuræ Cornu Cervi.
Ciner. clavellator. ana unciam unam semis.
Spiritûs Sangvinis humani, libras duas.

Misce, fiat destillatio per retortam. Postea

℞. Cor, Pulmones, & Hepar Cervi cum cruore.

Infunde cum spiritu priore destillato per aliquot dies, dein repetatur destillatio; qua peractâ calcina Caput mortuum, & ex relictis cineribus extracto sali superaffunde ultimum destillatum spiritum, stent in digestione per octo dies; tandem filtrata essentia servetur usui.

ANIMADVERSIO ET USUS.

I. *Compositionem* hujus essentiæ *primam accepit piæ memoriæ* D. D. Cassinis ab Illustriss. & Excell. D. Comite de Nostitz, *de qua* D. D. Geelhausen *in manuscriptis suis refert, ex speciali Comitis fassione*, sumitatem Cranii cervini *cum* toto cerebro *etiam esse sumendam.*

II. *Cum* hac Essentia *etiam possunt extrahi Corallia, & dicitur* Tinctura Coralliorum vivifica.

III. *Vires in* affectibus Apoplecticis, Epilepticis, Hystericis Passionibus, *ac* Comatosis morbis *titulus indigitat. Dosis à guttis tribus ad quindecim.*

EXTRACTUM ABSYNTHII.

℞. Sumitatum Absynthii in umbra siccatarum, libram unam.

Incisis & contusis superaffundantur Aquæ Absynthii destillatæ libræ quatuor. Stent in digestione per octiduum in loco calido, liquor inde expressus & colatus, coquatur lento igne ad consistentiam Extracti.

ANIMADVERSIO ET USUS.

I. *Sunt, qui* hoc Extractum *ex succo expresso recentis herbæ per inspissationem præparant; alii per decoctionem cum aqua fontana ad justam* Extracti *consistentiam evaporant. Verùm an specificam herbæ virtutem retineat? vix odore percipere licet. Quidam pro facilitanda extractione,* Sal Tartari *superaddunt, quod tamen vel ex eo reprobandum est; cùm non solùm virtuti specificæ multùm deroget, verùm etiam, quòd ob substantiam compactiorem redditam Pilulis inde formandis minùs aptum reddatur.*

II. *Qui verò* hoc *aut* simile Extractum *cum* spiritu vini *paratum desiderant, non tam facilè scopo suo privantur, dummodo in inspissando moderatus calor adhibeatur, addendo singulis unciis Extracti, salis Absynthii drachmam semis.*

III. *Usus* hujus Extracti *præcipuè Pilulis est destinatus, quamvis quandoque & pulveribus stomachicis aut anthelminticis excipiendis usurpetur.*

EXTRACTUM AGARICI P.A.R.

℞. Agarici albi & levis, q. v. Huic affunde ſpiritûs vini ſufficientem quantitatem, digerantur in vaſe vitreo arctiſſimè clauſo, in loco calido, vel ſaltèm tepido per tres dies. Poſtea dum adhuc calent, colentur, & leviter exprimantur: expreſſum filtretur, & in Balneo Mariæ, abſtractô rursùs lentâ deſtillatione vini ſpiritu, in craſſamentum cogatur, quod ad commodos uſus ſervetur.

ANIMADVERSIO ET USUS.

I. *Alii locò ſpiritûs vini ſimpleis* aniſatum *uſurpant, corrigentis locò eum forſan adhibentes. Verùm corrigitur* Agarici Extractum *pro re & conditione ægri aut morbi, addendo in ſingulas doſes guttulam unam* olei Macis, nucis moſchatæ, fœniculi, caryophyllorum, *aut alterius ſimilis.*

II. *Pituitam lentam & craſſam ex* ventriculo *maximè &* meſenterio, *nec non* jecore, liene, pulmonibus *ac* utero *expurgat*; à cerebro *quoque*, nervis & artubus *eandem, licèt debiliùs, prolicit:* vermes *inſuper enecat, & expellit*; *unde potiſſimùm in* Pilulis purgantibus *adhibetur, ubi in ſpecie* tuſſi *aut* aſthmate correptis *volumus ſuccurrere. Datur à ſcrupulo uno ad drachmam ſemis, communiter tamen ſtimulus addi ſolet per* Mercurium dulcem *cum* Reſina Jalappæ *aut* Trochiſcis Alhandali.

Extractũ Aggregativarum majorum.

Cũ ſpiritu vini ſpecies pro iis requiſitas digerendo, filtrando & ſpiritum abſtrahendo paratur.

EXTRACTUM ALOES, Cum aqua ſimplici.

℞. Aloës ſuccotrinæ pulveriſ. q. v. Huic ſuperaffunde aquæ ſimplicis calefactæ q. ſ. Stent in loco calido aliquamdiu, dein aqua tincta decantetur, ac alia demum calida ſuperaffundatur, toties id reiterando, quamdiu aqua tingitur, remanebit Aloës pars reſinoſa ad alium uſum applicanda, aquas has tinctas leni calore evapora ad conſiſtentiam Extracti, quod in vitro bene munito ſervetur uſui.

ANIMADVERSIO ET USUS.

Notum eſt Aloën *eſſe* concretum ſubſtantiæ reſinoſæ & gummoſæ, *pars reſinoſa* vim ſtipticam & balſamicam, *ſeu* tonicam adſtringentem *poſſidet, in gummoſa verò ſubſtantia* virtus purgans *reſidet, ùt pag. 17. dictum eſt. Quæ enim incommoda ex* parte reſinoſa *in alvo adſtricta cum* moliminibus hæmorrhagicis *pertimeſcimus, hæc per* partem gummoſam *impedimus, ac meliores in multis conſequimur effectus. Datur* à granis decem ad ſcrupulum unum.

Extract. Aloës { Fragatæ, Roſatæ, Violatæ,

Paran-

Parantnr ùt Extractum Aloës cum aqua ſimplici, locò cujus pro Extracto Aloës Fragato, &c. Aqua fragariæ, roſarum, & violarum deſtillatæ ſumuntur; differunt autem hæc Extracta ab Aloë inſuccata, quòd cum ſuccis ſolummodo depuretur citrà evaporationem, dum nimirum Aloë pulveriſat. ex. gr. ſucco fragariæ ſ. q. ſolvitur, & exſiccatur.

EXTRACTUM AMARUM COMPOSITUM.

℞. Rad. Cichorii,
Gentianæ,
Herbæ Cichorii,
Chochleariæ,
Trifolii fibrini,
Cardui benedicti,
Sum̃it. Abſynthii Pontici,
Centauri minoris,
Rhabarbari electi, ana libram ſemis.
Salis Tartari, aut ciner. clavellator. drachmas ſex.
Inciſa macerentur in ſufficienti quantitate vini albi tribus diebus, in fine addendo conſervationis gratiâ ſpiritûs vini rectificati proportionatam quantitatem; fiat Lege Artis Extractum.

Vires hujus Extracti ſunt ſtomachicæ, antiſcorbuticæ, anticolicæ, & antifebriles in forma Pilularum à ſcrupulo ſemis ad ſcrupulum unum.

EXTRACTUM ANGELICÆ.

℞. Rad. Angelicæ, libram ſemis. Contuſæ affundatur ſpiritûs vini tartariſati libra una, ſtent in loco calido per triduum aut quadriduũ, deinde exprimantur, reſiduo verò reaffunde aquæ Angelicæ quantùm ſufficit, & leniter decoque, demum exprime, ac expreſſum priori extractionis ſpritûs vini adjunge, per emporeticam cola, & in cucurbita coque, donec ad conſiſtentiam Extracti evaporet.

ANIMADVERSIO ET USUS.

Quercetanus Extractum hoc *parare docet cum* Spiritu Juniperi, *aut* hydromelite vinoſo, *vid. Pharmac. Reſt. p. 409.* Virtutes pectorales *& blandè* anodynas *poſſidet, hinc* pilulis catarrhalibus *commodè addi ſolet. Datur* à ſcrupulo uno ad drachmam ſemis *in forma pilularum, aut dilutum cum aqua appropriata.* Parî modô paratur:

EXTRACTUM ARTHEMISIÆ.

Cujus vires & uſus ex qualitatibus herbæ deſumuntur.

EXTRACTUM AUREARUM.

Paratur ùt Extractum Aggregat.

Extractum Calami Aromatici

paratur ùt Extractum Radicis Angelicæ.

Extractum Cardui Benedicti

paratur ùt Extractum Abſynthii.

Schröderus *cum aceto deſtillato* Extractum *ex foliis abſtrahit.*

EXTRACTUM CASTOREI.

℞. Caſtorei ab omnibus membranis, pinguedinéque ſeparati, non vetuſti, uncias quatuor, vel q. p.

Cui ſubtiliſſimè inciſo & cucurbitæ vitreæ immiſſo ſuperaffunde

Spiritûs ceraſorum ardentis, uncias duas.

Factâ maceratione unius diei, abſtrahatur fortiter deſtillando per B. M. totus ſpiritus affuſus, ad ſiccitatem Caſtorei: Spiritus abſtractus ſtudiosè aſſervetur. E reſiduo in alembico caſtoreo, affusâ ſ. q. Spiritûs vini, repetitis vicibus extrahatur Eſſentia, quouſque ſpiritus affuſus colore inficiatur; tandem ſpiritus tincti omnes filtrati in alembico vitreo leni balnei calore abſtrahantur ad conſiſtentiam ferè ſyrupi, vel liquidiorem, reſiduum ex cucurbita effuſum in fictile, ſeu potiùs in vitream patinam aquæ diplomatis debitè immerſam, adhuc evaporet ulteriùs, ad ſatis denſam Extracti conſiſtentiam, & ſpiſſitudinem, cui demum jungatur & reſtituatur deſtillatus ab eo ſpiritus ſuprà aſſervatus, additáque

Eſſentiæ Aurantiorum ſacharinæ ex recentibus corticibus paratæ, unc. ſem.

Fiat Extractum juſtæ conſiſtentiæ.

ANIMADVERSIO ET USUS.

I. *Eſt methodus* Joannis Helfrici Juncken *hoc Extractum parandi, quod ad* affectus cerebri, Apoplexiam, Epilepſiam, Lethargum, *nec non ad* variolas expellendas, aliáque exanthemata protrudenda *proficuum commendat.*

II. *Frequentiùs etiam* opiatis, *tanquam* antidotus & correctivũ *adjungi ſolet, vires enim eorum infringit, ac nimiam narcoſim impedit. Cæteroquin* Pilulis & Mixturis antihyſtericis & anticolicis *admiſcetur, ut* torminum ſpaſmodicorum vehementiam *imminuat.*

III. *An tamen in* affectibus uterinis *tutè exhiberi valeat, cuilibet opinionem ſuam relinquit* Author, *cùm* pluribus affectibus *non ſolùm* hyſtericis, *ſed &* fluxibus immoderatis & diuturnis mulierum, *utì &* Dyſſenteriarum *magnopere adverſetur, cui experientia conteſtatur, quòd* Caſtoreum odore tenus *quidem* hyſtericis *proſit* mulieribus, *at intrà corpus ſumptum, magìs ſit* nocumento. *Doſis* grana duo *aut* tria.

EXTRACTUM CATHOLICONIS.

℞. Colocynthidos, drachm. ſex.
Agarici optimi,
Scammonii,
Hellebori nigri, ana unc. ſem.
Aloës electæ, unciam unam.

Omnia ſufficiente quantitate Spiritûs Vini per dies aliquot in loco calido macerentur, qui deinde relictis fœcibus decantetur, & liquor omnis filtratus, Balnei calore abſtrahatur, ut Extracti ſpiſſamentum in fundo cucurbitæ remaneat.

ANIMAD-

ANIMADVERSIO ET USUS.

I. *Est inventum* Theophrasti Paracelsi, *cui si quis juxta olim receptum modum* specierum Diarrhodon Abbatis *unciam semis junctam desideret, is vel eadem unà cum reliquis extractioni committere, vel tenuissimè pulverisatas parato jam Extracto commiscere posset; modò hic majorem inde medicamenti exsurgere molem, ibi verò aliqua specierum istarum ingredientia, quæ tamen tanti momenti haud sunt, à spiritu vini extrahi quòd renuant, non vereatur. Cæterùm quod resinam inter extrahendum à vini spiritu solutam, & ab ejusdem abstractione iterum concrescentem attinet, cum reliquo Extracto ut illa debitè uniantur, non displiceat modus* nonnullis Augustanorum *usitatus*, si Spiritus vini abstracti fortissimi *partem aliquam non dum* refrigerato Extracto *affundendo, & probè agitando, ejusdem solutio & unio, sive utì vulgò loquuntur*, cum extracto incorporatio *instituatur.*

II. Medicamentum *est* Catholicum, *seu* universale, omnes *in universum* humores *exturbans. Huic nonnulli malaxando* oleum cinnamomi, caryophyllorum, anisi & carvi *ob* vim carminativam *adjungi suadent. Dari potest* à scrupulo semis ad drachmam semis, *quandoque* Mercurius dulcis *adjungitur in morbis lymphæ speciatim medendis.*

Extractum Centaurii minoris, id est: succus inspissatus ex herbis ac floribus conquassatis, & cum aqua propria maceratis.

Extractum (Chamædryos, (Chelidoniæ,

Parantur eodem modo.

EXTRACTUM CHINÆ CHINÆ.

℞. Cortic. Chinæ Chinæ grosso modò pulverisat. q. p.

Fiat infusio in aquæ Juniperi ex baccis, vel aquæ nucum juglandium ex floribus destillatæ & calefactæ sufficiente quantitate per viginti quatuor horas, ac post lenem ebullitionem coletur, & fortiter exprimatur, residuo superaffundatur novæ aquæ destillatæ calefactæ sufficiens quantitas, ac demum in loco calido digeratur, quæ iterum factâ ebullitione coletur, & exprimatur; Liquores hos expressos colatósque per inclinationem decanta, & L. A. ad Extracti consistentiam evaporando inspissa.

ANIMADVERSIO ET USUS.

I. *Multi* hoc Extractum *cum* Spiritu vini *parare docent, quod* D. D. Lemerus in suo Cursu Chymico *improbat, ex eo, quòd* Spiritus Vini *in evaporatione subtilissimas, quas hoc mixtum continet partes auferat*, & viscidum glutinosum in cortice latens *non solvat.*

II. *Ex residuo* (factô Extracto) *elicitur sal, dum exsiccatum debitè calcinatur, dein cineribus calcinatis superaffunditur aqua calida in loco calido decem aut duodecin horis relinquendo, demum unâ horâ coquendo, lixivium filtretur, quod per evaporationem l. a. deponit* sal alkalinum

linum *in vitro asservandum.* Febribus quartanis singulare medicamentum à granis 10. ad scrupulum unum. *Extracti Dosis* à granis quinque ad grana quindecim & ultrà.

III. *Qui* hoc Extractum *per retortam ad siccitatem usque destillando parare volunt, scopô suô privantur, ac præter* spiritum fœtidum *ac* oleum adustum *nihil eliciunt.*

EXTRACTUM CHOLAGOGUM QUERCETANI.

℞. Rhabarbari, uncias sex.
Folliculor. Sen. unc. quatuor.
Scammonii, unciam unam.
Spicæ Nardi Indicæ,
Sandali citrini,
Cinnamomi, ana unc. semis.
Trochiscorum de Berberibus, drachmas duas.
Succi Rosarum pallidarum optimè depurati, q. s.

Post justam digest. omnia calidè exprimantur ac filtrentur, fiátque L. A. Extractum; cui addatur æquale pondus Extracti, seu Balsami Aloës juxta P. A. R. Class. XXI. pag. 318. parati.

ANIMADVERSIO ET USUS.

Inter minùs usualia in P. A. refertur; aliàs Pilulis, *quibus* sero-so-bilioſos humores *expurgare cupimus, pro basi inservire solet, quanquam & ipsum per se in Pilulas redactum* à granis quindecim ad triginta *benignè ac sufficienter expurgat.*

EXTRACTUM CNICO-PHARMACUM *Seu* DIACARTHAMI.

℞. Medullæ Seminis Carthami, uncias quatuor.
Turbith albi,
Foliorum Senæ, ana unciam unam semis.
Scammonii, drach. quinque.
Rhabarbar. opt. unc. unam.
Agarici trochiscat. drach. sex.
Mannæ elect. unc. duas semis.
Myrobalanor. Chebularum, uncias tres.
Polypodii, uncias duas.
Zinziberis albi, drachm. duas.

Incisa & contusa in vini spiritu in loco calido per aliquot dies infundantur, Spiritus tinctus decantetur, & remanentia exprimatur, postea liquor filtratus destilletur, donec ad mellis spissitudinem pervenerit.

ANIMADVERSIO ET USUS.

Describitur à Jo. Gvintherio Andernac. de Medic. vet. & nov. Com. II. p. 626. *Ad plerosque humores, serosos tamen præ cæteris blandè ac sinè molestia expurgandos commendatur: in* Pharmacopæa Augustana *tanquam nobilissimum & ad* omnes vitiosos humores evacuandos *accomodatissimum multiplici experientia comprobatum habetur; siquidem* caput, ventriculum, & reliqua viscera *mundificat. Datur vel per se in Pilulas efformatum, vel Boli specie* à drachma semis ad integram.

Extra-

Extractum Cochleariæ:

Paratur ùt Extractum Centaurii minoris.

EXTRACTUM COLOCYNTHIDIS.

℞. Pulpæ Colocynthidis à granis omnibus liberatæ, q. p. Decoquatur in ſ. q. aquæ communis, decoctionem colatam exprime & filtra, additô ſub finem pauxillô Spiritûs vini optimi, ad Extracti ſpiſſam conſiſtentiam evaporando.

ANIMADVERSIO ET USUS.

I. A. Sala *hoc Extractum cum duabus partibus aquæ plantaginis & una parte ſpiritûs vini parare docet, & utrumque menſtruum commiſcet, nè quid ex parte reſinoſa ac viſcoſa, quibus* Colocynthidem *conſtare ait, intactum maneat.*

II. *Vix unquam ob vehementem acrimoniam ſolùm exhibetur, ſed ſtimuli locò aliis lenioribus in pilularum formam redigendis adduntur grana duo, tria & ultrà. De ſingulari* hujus Extracti *virtute, legi poſſunt* Garmanni Obſervat. in A. N. C. Dec. I. An. III. Obſerv. 202.

Extractum Croci Zwelfferi

Ad eundem planè modum præcedentis Extracti de Caſtoreo etiam hoc legitimè parari poteſt; quamvis etiam cum aqua aliqua cordiali extractio, tanquam è re non reſinoſa, quæque in quemlibet liquorem aquoſam ſuam liberè deponit Eſſentiam, atque tincturam, facili negotio perfici poſſit.

I. *Eſt* cordiale medicamentũ, mitigativum, Affectibus *quoque* cerebri, uterinis, *item* epilepticis *atque* hyſtericis *proficuum.* Lætitiam *excitat*, cordique robur *confert. Doſis duo vel tria grana in convenienti vehiculo.*

II. Clariſſ. Ludovici Extractum Croci *non cum* Spiritu vini, *ſed longè vegetiùs ſaltèm cum* aqua ſimplici mixta Roſaceæ, *vel ſimilis perditione conficere jubet.*

Extractum Elaterii:

Paratur ex Succo depurato per Spiritum vini.

EXTRACTUM ELLEBORI NIGRI.

℞. Radicum Ellebori nigri mundatar. libras duas. Conquaſſatæ coquantur cum ſ. q. aquæ ſimplicis repetitis vicibus affuſæ & colatæ (verùm in terreo aut etiam ferreo, non autem cupreo vaſe) uſquedum vires omnes ſint evocatæ:

Colaturæ omnes pòſt leniter in terreo vaſe evaporent ad mellis vel Electuarii ſpiſſitudinem: Quô factô, ut præſtantiùs & ſubtiliùs efficiatur, illud de novo cum ſ. q. Spiritûs vini boni extrahatur, quouſque Spiritus Vini affuſus colore rubeo tingatur; Proinde repetitâ etiam Spiritûs vini affuſione opus eſt; videbis enim magnam prioris Extracti partem fœculentam à Spiritu vini intactam relinqui; Qua ergo abjectâ, ſpiritus tincti omnes in B. M. abſtrahendo redigantur,

ad consistentiam Extracti justæ consistentiæ.

ANIMADVERSIO ET USUS.

I. Accurata *autem opus est* lustratione *atque* inspectione *in coëmptione* radicum Ellebori nigri, *nè* Aconitum, *germanicè* Wolffs-Wurtz, *quod* summum *est* deleterium, *pro* Ellebori radice (*cùm hæ duæ radices quoad externam formam, si folia sint detracta, à se invicem vix dignosci queant*) emendo *apprehendantur.*

II. *Ad* Cephalæam, vertiginem, Epilepsiam, Maniam, affectus Hypochondriacos, Melancholicos, Hystericos, *ad* quartanas contumaces, *ùt &* ulcerosos Affectus cutaneos, *ac* alios morbos chronicos *magnoperè commendatur. Dosis pro morbi gravitate & ægroti viribus est* à granis quinque ad scrupulum unum.

Extractum Enulæ:

Paratur ùt Extractum Radicis Angelicæ.

EXTRACTUM ESULÆ.

Exprime succum ex radice & foliis, fœcibus remanentibus, affunde serum lactis (vel aquam lactis destillatam) digere diebus aliquot, dein exprime. Expressiones utrasque confusas digere in B. M. ut defœcentur, nè quidquam ampliùs crassamenti deponant. Liquorem defœcatum lento Balnei Mariæ calore coagula ad consistentiam Extracti.

ANIMADVERSIO ET USUS.

Quercetanus *suadet, ut ex fœcibus post præparationem relictis, combustis*, sal *cum* sua propria aqua *extrahatur*, *quod* Extracto proprio *additum ejus* vim purgandi & efficaciam validiorem *reddit. Dosis* à scrupulo semis ad drachmam semis.

Extractum (Evpatorii, (Evphragiæ,

Ad normam aliorum simplicium parantur.

EXTRACTUM FELLIS BUBULI.

℞. Fellis Bubuli in sole exsiccati, uncias duas.

Spiritûs vini, libr. unam semis Extrahe tincturam, & exhala L. A. ad consistentiam Extracti.

VIRES ET USUS.

Confert ad menses suppressos & multos alios affectus. *Dosis scrupulus unus vel drachma semis.*

EXTRACTUM FOLIORUM SENÆ.

℞. Fol. Senæ mundator. q. p. Macerentur in s. q. aquæ simplicis in loco calido per viginti quatuor horas, Extractum tinctum effunde, & residuum foliorum exprime, utrumque conjunge, & Balnei calore blandè ad Extracti consistentiam evapora. Ex foliis expressis calcinatis salem extrahe, quem Extracto commisce.

ANIMAD-

ANIMADVERSIO ET USUS.

Lentissimè evaporatio *instituì debet*, *quia* sal purgans foliorum sennæ *tam* volatile *est*, *ut omnino decoctionis calore dissipetur. Dosis sunt grana 15. 30. & plura.*

Pari modò paratur:

Extractum Fumariæ.

Extractum Gentianæ:

Paratur ad normam aliarum radicum, quanquam id multi solo spiritu vini conficiunt.

Extractum Hermodactylorum

pari passu extrahi solet, pro quo eligendi sunt Bulbi veri, qui resiccati ad nos feruntur, albidi non rugosi, modicè duri, qui contusi in pulverem candidum abeunt. Cavendum est colchicum strangulatorium, cujus radices, seu bulbi siccati rugosi evadunt, & foris intúsque nigrescunt, vel obscurè rubescunt.

Extractum Hyosciami ex Radicibus.

Ex Radicibus mense Martio vel Septembri collectis cum germinibus tenellis exprimitur succus, depuratur ac digeritur, ut rubicundo colore tingatur, dein cum s. q. Spiritûs Vini fit L. A. Extractum. Ingreditur Laudanum Opiatum Quercetani.

EXTRACTUM JALAPPÆ.

Extrahe cum spiritu vini secundùm artem, decanta & abstrahe ad consistentiam.

ANIMADVERSIO ET USUS.

Extractum hoc, *quia* resinosum *est*, *in* aqueo liquore *dissolvi nequit.* Augustani *id ex* reliquo liquore tincto (*post magisterium* relicto) *ulteriùs inspissando præparant. Dosis est* à granis quinque ad drachmam semis *pro ratione virium & ætatis.*

EXTRACTUM LIGNI ALOES.

℞. Rasuræ Ligni Aloës, q. p.
Affunde Spiritûs vini optimi ad eminentiam quatuor digitorum, digere vitrô clausô in loco calido per aliquot dies, donec rubescat, spiritus tinctus deinde per filtrum separetur, aliúsque superaffundatur, ac factâ digestione & extractione perinde colatura segregetur, hócque toties repetendo, novâ Spiritûs vini affusione, donec essentia omnis extracta sit; deinde exprime fortissimè, ut egrediatur quoque liquor spissus rubicundus, & oleaginosus. Hinc fiat abstractio, donec materia in fundo maneat in consistentia mellis, bulliendóque bullas emittat, non secus ac mel ipsum.

ANIMADVERSIO ET USUS.

I. *In* conficiendis *hujus generis* Extractis, *non incongruè locò* Spiritûs vini *adhibere quoque licet* Hydromel quoddam vinosum, *aut* aquas destillatas convenientes, *v.g.* Aquam Cardui Benedicti,

cti, Centaurii minoris, Fumariæ & ſimiles, *quas tamen acidulas reddere oportet cum* ſucco limonum *aut ſimili. Quin imò &* ſola fontana *interveniente ſufficienti coctione* reſinoſum Extractum *elicere potis eſt.*

II. Idem Extractum *cum* ſpiritu vini rectificatiſſimo allectum *præcipitatur nonnunquam affuſione aquæ, dicitúrque* Magiſterium.

III. Quercetanus hoc Extractum *parat cum aqua deſtillata* Hyperici *aut* Centaurii minoris, *& habet pro peculiari remedio in* lumbricis & putredinibus arcendis.

IV. Angelus Sala *id priùs cum* aqua roſarum *digerit, ac demum cum* Spiritu Vini rectificatiſſimo *extrahit. Doſis à granis tribus ad ſcrupulum ſemis.*

Extractum Liliorum Convallium.

Paratur cum Aqua propria more ſimplicium.

EXTRACTUM MAROCOSTINUM.

℞. Agarici trochiſchat. drach. ſex.
Ligni Aloës, drachmas duas.
Infundantur in ſufficiente quantitate Spiritûs Vini, qui tinctus decantetur, & cum liquore ex remanentia expreſſo uniatur, in quo ſolvantur
Myrrhæ ſelectæ, drach. ſex.
Et filtrentur. Poſtea
℞. Rhabarbari ſelectiſſ. unc. tres.
Coſti Arabici, drachmas tres.
Croci orientalis,
Mari veri, ana unciam ſemis.
Muchari, ſive infuſionis Roſar. Damaſcen. libras duas.
Succi Limonum, unc. viginti.
Cichorii,
Pimpinellæ, (octo.
Fumariæ, ana uncias
Apii,
Fœniculi,
Abſynthii, ana unc. tres.

Macerentur in loco calido per viginti quatuor horas, in liquore colato ſolvatur
Aloës ſuccotrinæ libra una.
Et per colaturam depuretur, cui jungatur
Gummi Ammoniaci in unciis quatuor aceti ſcillini, & unciis duabus aceti rutacei ſoluti & filtrati uncia una ſemis.

Omnia lento igne ad Extracti conſiſtentiam perducantur, additâ circa finem ſuperiori Agarici &c. infuſione.

ANIMADVERSIO ET USUS.

I. *Dicitur etiam* Aloëdarium Marocoſtinum, *eſtque inventum* celebris Medici Auguſtani Raimundi Mindereri, *qui* de hac medicina *peculiarem libellum edidit, in quo tum* præparationis modum, *tum* uſum *ampliſſimè deſcribit.*

II. *Si quis* Coſtum, Xyloaloën & Marum (*quod & de myrrha obſervari poteſt*) *extractioni non commiſerit, ſed pulverem eorum* Extracto *jam* parato *addere voluerit, huic cum Auguſtanis ſubſcribimus.*

III. Extractum hoc *ad univerſi corporis humani morbos tàm curandos quàm præſervandos accommodatum eſt; hodie plerumque pro baſi pilularum laxantium adhibetur.*

Da-

Per ſe datur à medio ſcrupulo ad drachmam ſemis.

Extractum Mechoacännæ albæ, paratur ùt Extract. Gialappæ aut alia reſinoſa, quanquam id Quercetanus in Pharm. Reſtit. cap. 25. cum aliqua aqua Epatica ſuccô limonum acidula parare doceat.

EXTRACTUM MELANAGOGUM QUERCETANI.

℞. Follicul. Senæ, uncias ſex.
Radic. Hellebori nigri præpar.
Turbith, (uncias duas.
Myrobalanorum omnium, ana unciam unam ſemis.
Trochiſcor. Alhandal. drach.
Flor. Violarum, (ſex.
Roſarum rubrarum,
Epithymi, ana pugillos duos.
Specierum lætificant. Galeni, drachmas duas.
Succor. optimè depurator.
Fumariæ,
Pomor. redolentium,
Seri lactis, ana quant. ſatis eſt.

Inciſæ & contuſæ ſpecies in liquoribus jam dictis digerantur in Balneo, poſtea colentur, exprimantur, depurentur, ac in Extractum reducantur.

ANIMADVERSIO ET USUS.

I. Species lætificantes *non immeritò potiùs* Extracto parato *admiſceri poſſent, cùm aliàs in extractione parum de qualitatibus communicant.*

II. Atram bilem, *ac* ſalſos, aduſtos & retorridos humores *evocat*: Pſoræ, ſcabiei *ac* Elephantiaſi *medetur. Datur à ſcrupulo ſemis ad drachmam dimidiam.*

Extractum (Meliſſæ, (Menthæ,

Ad normam aliorum ſimplicium Extractorum parantur.

EXTRACTUM MYRRHÆ AQUOSUM.

℞. Myrrhæ electæ groſsô modô pulveriſatæ q. p.

Irroretur oleô Tartari per deliquium, vel Alchaheſt Glauberi q. ſ. Miſce, donec omnes particulæ debitè humectentur, ſtent duabus diebus, donec oleum imbibatur, & maſſa pultis conſiſtentiam acquirat, dein ſuperaffundatur aquæ calidæ ſufficiens quantitas, ſtent in digeſtione, donec aqua tingatur, quæ decantata aſſervetur, ac alia fervida affundatur, toties id reiterando, quamdiu tingitur, aquæ tinctæ inſimul L. A. evaporentur ad conſiſtentiam Extracti, prout de Aloes Extracto dictum eſt. Ex reſina relicta, Eſſentia parari poteſt.

ANIMADVERSIO ET USUS.

Præterquam hoc Extractum *ad varias Pilulas expetitur, etiam uſibus variis inſervit, ſiquidem* ſtomachicum, uterinum, carminativum & anthelminticum *eſt* remedium. *Datur* à granis quinque ad ſcrupulum unum.

EXTRACTUM NICOTIANÆ.

℞. Foliorum Nicotianæ, quantùm placet.

Macerentur aquâ frigidâ per noctem, quam aquam macerationis, utpote inutilem & noxiam effunde, ac recentem foliis affunde, per noctem digere, dein diutius (quàm aliæ herbæ pro Extractis parandis coqui solent) decoque. Decoctum hoc diutinum tandem cola, & exhalando ad mellis consistentiam inspissa, tandem huic mellagineæ consistentiæ aquæ recentis aliquotam partem reaffunde, ac denuò coque, donec ad justam Extracti consistentiam succus hic fuerit redactus; quem vitrô bene clausô ab aëris commercio bene munitum usui serva.

ANIMADVERSIO ET USUS.

I. *Ità* hoc Extractum *parare docent* Berolinenses, *quibus & nos subscribimus; credimus tamen vim ejus nauseosam & quodammodo narcoticam magìs fore correctam, si mellagineæ factæ consistentiæ locò aquæ aliquota quantitas vini reaffusa fuerit, ac ità evaporatione ad consistentiam Extracti redigatur.*

II. *In* Pharmacopœa Bateana *describitur* Extractum Peticum, *cui* quædam Radices & Semina aromatica *superadduntur, ac cum* hydromellite *paratur, unde ad crassos humores per vomitum & nonnunquam per secessum potenter expurgandos ad scrupulos duos exhibetur. Feliciter datur in* Asthmate & pulmonum tartarô, *nec non in* Febribus, *præcipuè* tertiana & quartana, *quod etiam in* Ictero, Hydrope, *ac* Arthridite *commendatur.*

III. Simplex *laudatur in* Tussi pectorali & phtysica diuturna mitiganda & cohibenda, *quod etiam securissimè præstare dicitur, si nempe ejus grana tria vel quatuor in* aqua Cichorii, Veronicæ vinosa, *vel* alia convenienti *solvantur, & manè in lecto propinetur, ubi dein, si forsan* nausea vomibunda *successerit, haustus vini calidi cum* sacharo & Cinnamomo *remixti, superingeri potest, quo ipso illa statim mitigabitur.* Confer. D.D. Gœtzii Observat. Stahlian. Class. I. pag. 157. &c.

EXTRACTUM OPII.

℞. Aquæ communis destill. q. v. In ea dissolve sufficientem quantitatem opii in taleolos conscissi coctione mediante super ignem, liquor tinctus à fœcibus decantetur, semper recentem aquam iis superaffundendo, donec tinctura ampliùs dare neget; solutiones omnes confusas à fœcibus optimè separatas evapora ad consistentiam mellis.

ANIMADVERSIO ET USUS.

I. *Quidam* hoc Extractum *purgatô per aquam opiô cum* Spiritu vini *abstrahunt, verùm non sat tutè; cùm sulphur in opio latitans in quo* vis narcotica *consistit, humanæ naturæ inimica per* Spiritum Vini *tenuius,*

nuius, ſubtilius, adeóque ferocius reddatur, ſal *verò, quod potiſſimùm requiritur*, intactum *manet.*

II. Clariſſimus Wedelius *hoc conficit cum* Phlegmate aceti deſtillati, *quod in præparatione* terræ foliatæ, *ſive* arcani Tartari *abſtrahendo reſultat, mediante hoc opium, lento calore ſiccatum & pulveriſatum, leni calore arenæ in vitro ſolvitur, agitatione cum ſpatula ſæpiùs intermediata; ſic impurior pars ſpumoſa ſumma vitri lambit, pars terreſtrior ima petit. Colatura tum facta evaporetur ad mellaginem. Hoc Laudanum, quovis pretioſo par, ſi non majus æſtimat* Clariſſ. Wedelius in ſua Opiologia. *Cum* Spiritu vini *in momento ſolvitur in* Eſſentiam anodynam, *quæ viribus ſuperiùs deſcriptæ æquipollet.*

III. Mitius Anodynum *hoc Extractum* opiô crudô *exiſtit, & quò intenſiori calore inſpiſſatur, eò plùs virium amittit. Doſis* à grano ſemis ad granum unum.

EXTRACTUM PANCHIMAGOGUM CROLLII.

℞. Scammonii, unciam ſemis.
Rhabarbari electi, (tres.
Seminis Ebuli, ana drachmas
Colocynth. drachm. quinque.
Agarici optimi, drachm. tres
Turbith albi, (ſemis.
Hermodactylorũ, ana drachmas duas ſemis.
Veratri nigri, drachm. duas.
Foliorum Senæ, unc. unam.
Spir. Vini, quantùm ſufficit.

Stent ſimul in infuſione, locô calidô, colentur, & exprimantur, in quo liquore diſſolvatur Aloës ſuccotrinæ uncia una ſemis, filtretur, & Spiritum Vini abſtrahendo, ad Extracti ſpiſſitudinem redigatur.

ANIMADVERSIO ET USUS.

I. *Varias Extracti hujus Præparationes & diſceptationes legere licet* in Corpore Pharmacev. Juncken Sect. III. Cap. XII. de Extractis. *Item* Schröder. Lib. II. cap. 57.

II. Author in Baſil. ſua Chymica *de eo ſcribit, quòd inter* omnia medicamenta cathartica *inveſtigare non potuerit, quod minori moleſtia aſſumptum operationes deſideratas felicìus exequeretur.*

III. Omnes *in univerſum* humores *expurgat, ac è longinqvis partibus potenter educit. Doſis* à ſcrupulo ſemis ad ſcrupulum unum.

Extr. Pilul. (Cochiarum, Hieræ c. Agarico, Lucis majoris, Sinè quibus eſſe nolo,

ùt Extractum Aggregativarum, cum Spiritu Vini ſpecies pro iis requiſitas digerendo, filtrando, & ſpiritum abſtrahendo parantur.

Extr. Pœoniæ (Florum, (Radicum,

Ad normam prægreſſorum parantur.

EXTRACTUM RHABARBARI.

℞. Rhabarbari electi, uncias ſex, vel octo.

Contunde, ac calidè macera per horas duodecim in aquæ Cichorii quantitate ſufficienti, ad quatuor ſcilicet digitorum eminentiam: parum ebulliat, hinc liquorem per pannum trajicito, in eadem aquæ Cichorii quantitate magna reſiduum macera, infuſionem cola, ac fortiter exprime; Imprægnationes miſce, & reſidere permitte: filtra & evapora humiditatem in vitreo vaſe igne arenæ ſatis lento, quouſque reſederit materia mellis ſpiſſi conſiſtentiam, & id dicitur Extractum Rhabarbari, quod in olla ſervandum eſt.

ANIMADVERSIO ET USUS.

I. *Quidam* Rhabarbar. contuſum *ante infuſionem ol. tart. per deliquium irrorant; alii corrigentiâ ſuperaddunt, eâque ſimul extrahunt. Sic* Quercetan. *addit* Cinnamom. & ſandalum, *quod cum* aqua Endiviæ ſucco citri acidulata *extrahit.* Weckerus *id cum* Spiritu vini *parare docet.*

II. *Meliùs tamen eſt, Extractum ſimpliciter ſinè corrigentibus conficere, cui ſi opus ſit, pro intentione Medici* oleum Cinnamomi, Macis, *vel* Aniſi *admiſceri poteſt.*

III. *Purgat benignè bilem flavam, pituitámque viſcoſam ac tartaream in ventriculo, primâque regione ſtabulantem,* hepati *ſpecificè confert, adeò, ut* Rhabarbarum cor hepatis *dicatur.*

Doſis eſt à ſcrupulo ſemis ad drachmam ſemis.

Extractum Sabinæ:

Fit ùt Extracta aliarum Herbar.

Extractum Schacharillæ:

Paratur ùt Extractum Corticum Chinæ Chinæ.

Extractum Scordii:

Ad normam aliarum Herbarum extrahitur.

Extractum Theriacale:

Fit ex illis ſpeciebus Bezoarticis, à quibus pro tinctura Bezoartica Michaëlis infrà paranda Spiritus abſtractus fuit, quibus novus ſpiritus vini ſuperadditur, dein digerendo, exprimendo, filtrando ad Extracti conſiſtentiam redigitur.

Poſſidet vires Anodynas, Bezoarticas & Diaphoreticas. *Datur* à granis decem ad ſcrupulum unum aut drachmam ſemis, per ſe, vel aquis appropriatis ſolutum.

Extractum Tormentillæ:

Fit ex Radice ùt Extractum Angelicæ.

Extract. Trifol. Fibrini:

Paratur ad normam aliarum Herbarum.

Extractum Turpethi:

Cum ſpiritu vini ad normam Radicis Jalappæ extrahitur.

Extractum Zedoariæ:

Fit ùt Extract. Radicis Angelicæ.

F. FOE-

F.

FOECULA ACETOSELLÆ.

℞. Herbæ Acetoſellæ recentis, quantùm placet.

Inciſa & contuſa ex ſacco lineo ſub prælo fortiſſimè exprimatur, & ſuccus expreſſus in vaſe vitreo vel fictili vitreato in loco frigido reponatur, ut pulvis albiſſimus ſubſideat, à quo liquor ſupernatans per inclinationem ſeparetur, Fœcula verò remanens in umbra exſiccetur.

Ità etiam ſe habet Præparatio:

Fœculæ { Ari, Bryoniæ, Iridis noſtratis, Pœoniæ.

Ex radicibus ſucculentis à ſordibus & externa pellicula priùs liberatis.

Vires ingredientium, ex quibus paratæ ſunt, præſeferunt.

FEL TAURI INSPISSATUM.

Sola evaporatione paratur.

Uſus ejus eſt ſcopo calefaciendi, ſiccandi, detergendi, & diſcutiendi, præterea expultricem ſtimulat, ac lumbricos fugat.

FEL VITRI.

Triplex ad nos adferri ſolet, primum ex Italia, quod album & optimum eſt; ſecundum Norimbergenſe; tertium Hollandicum ſimpliciſſimum.

Uſum ejus in Hydrope & Calculo commendat Hoffmannus in Clave Schröderiana pag. 92. *Externè verò adhiberi ſolet, ad dentes mundificandos, & ulcera ſananda.*

FLORES ANTIMONII.

℞. Antimonii ſelecti in ſubtilem pulverem triti, q. v.

Pone in cucurbitam fictilem, quæ in arenam ponatur ſatis profundè. Cucurbitæ adapta alembicum cœcum vel roſtratum cum excipulo, aut ſi mavis connectè ollas aliquot ſe ſe invicem excipientes: ignem gradatim admove, nè ſit nimiùm fortis, nec debilis nimis. Si enim fortior ſit, funditur Antimonium, nec ſublimatur, ſin verò debilior, non aſcendunt Flores. Si rectè ignem rexeris, colliges triplices Flores, albos, flavos & rubros.

Emeticum præbet vehementiſſimum, unde non niſi cautè exhibendi.

FLORES BENSOË.

℞. Benzoë tritum & cum æquali arenæ parte mixtum, ollæ rotunde impone, cujus orificium duplici chartâ emporeticâ, convolutâ in modum pyramidis, vel manicæ Hyppocratis claude, poſtea igne ad ſublimationem idoneo ſuppoſito, flores niveos ſæpiùs collige. In promptu verò ſint aliquot pyramides ex charta emporetica, quo remoto uno, alter citò adaptari, & ex illo flores ſerici albi inſtar ſplendentes amoveri & colligi queant.

VIRES ET USUS.

Difficili reſpirationi, à craſſis pulmoni impactis humoribus obortæ medentur; in ſpecie verò coagulum lymphæ mucido ſeroſæ ſolvere perhibentur.

FLORES NITRI MYNSICHTI.

Solve Nitrum præparatum in aqua roſarum: poſtea inde ollæ novæ non vitreatæ, & pone in loco frigido per aliquot dies, donec Flores Nitri pertranſeant, & parietibus ollæ externis adhæreant: qui deinde pede leporino diligenter abſtergantur, & ad uſum ſinè ulteriore præparatione aſſerventur.

VIRES, USUS ET DOSIS.

Febribus Hungaricis & aliis malignis ardentibus *ſingulariter conducunt*; omnes inflammationes *compeſcunt*, faucium ſcabritiem, confiniúmque partium æſtum, *præſertim quando nigreſcere incipiunt, citiſſimè tollunt. Inſuper ad* cordis, ventriculi, pulmonis, hepatis, lienis, renum, & veſicæ intemperiem calidam alterandam *inſigniter valent. Calculum expellunt, & urinam remoratam promovent. Doſis* à drachma ſemis ad drachmam unam *in vehiculis appropriatis.*

Clariſſimus Hoffmannus *dubitat, quin aliquid ſingulare ratione virium præ nitro cryſtalliſato vel aliter depurato obtineat.*

Flores Salis Ammoniaci, vel ſimplices ſunt vel compoſiti: Si *ſimplices* deſiderantur, Sal Ammoniacum in ſufficienti quantitate aquæ calidæ ſolvatur & filtretur; poſtea in locum frigidū reponatur, & flores in aqua ſubſidentes exſiccentur; liquor verò remanens pro ulteriori Florum collectione per exhalationē contretur.

Præter virtutem Diaphoreticam, in febribus imprimis proficuam, etiam hypochondriacis utiliter uſurpatur.

Flores Salis Ammon. Hæmatiſati aut Martiales:

Parantur, ſi limaturæ Martis per aquæ communis aſperſionem, in rubiginem vel crocum verſæ, vel lapidis Hæmatitidis ſubtiliſſimè pulveriſati Sali Ammoniaco miſcueris, & per cucurbitam alembico ſuo munitam appoſito recipiente ex arena vel nudo igne ſublimaveris, aſcendunt Flores rubicundi crocei, martiales, vel hæmatiſati jucundo ſpectaculo orificio cucurbitæ ſe ſe apponentes. In recipulum verò tranſit ſpiritus inſignis urinoſus volatilis concentratus ex Salis Ammoniaci libra una ferè unciæ tres.

VIRES ET USUS.

Flores hi *ùt operoſiores, ità & effectu præſtantiores cenſentur, quàm ſal Ammoniacum ſolâ cryſtalliſatione purificatum, ideóque feliciùs illorum locò adhiberi poſſunt in Quartana. Tollunt quoque perfectè cruditates ventriculi, ſi in vino abſynthiaco vel Decocto Saſſafras per aliquot dies contiⁿuos*

nuos propinentur, ſudórque à ſumpto medicamento procuretur. Doſis grana tria *vel* quatuor *& ultrà. Nota: Si Flores Salis Ammoniaci cum bæmatite ſublimati ſpiritu vini ſolvuntur, hic verò tinctus in B. M. turſus abſtrahitur, remanet* ſal flavi *ſive* crocei coloris, *quod ob odorem aromaticum à nonnullis* Aroma Philoſophorum *audit, & prædicatur præſtans remedium in* Calculo & Hyppochondriacis obſtructionibus reſerandis.

FLORES SULPHURIS.

℞. Sulphuris communis in fruſta confracti, uncias duas. Injice in cucurbitam terream vitreatam, & impoſito alembico vitreo ex arena ſublima, igne non nimiùm intenſo, nè ſulphur fluat; quod ità in flores ſublimabitur; qui repetitis ſæpè alternis alembicorum vicibus ſunt colligendi, & denuò ſulphuris ſubinde aliquid cucurbitæ immittendum, quouſque ſufficiens florum quantitas collecta fuerit.

ANIMADVERSIO ET USUS.

I. Orificium cucurbitæ *interea temporis, quo* Flores *eximuntur, probè tegatur, nè aëris irreptione ſulphur (quod facilè accidit) incendatur. Cujus rei gratia non abs re foret, duos in promptu habere alembicos, quorum alter alterius vicem ſinè mora ſubire poſſit.*

II. Alembicus *ante impoſitionem ad ignem caleſcat, quippe ſecùs facilè diſſiliet.*

III. *Roſtro alembici recipiens apponi poteſt, ad liquorem acidum, qui primò egreditur, excipiendum, liquore egroſſo, Roſtrum carthâ obturare licet.*

IV. *In* Tuſſi, Phtyſi, & Aſthmate *imprimis laudantur, itémque ubi* exanthemata *retroceſſerunt. Doſis ab aliquot granis etiam ad triginta extendi poteſt, quanquam etiam minor doſis aliis juncta appropriatis ſat bonum præſtet effectum.*

FLORES SULPHURIS COMPOSITI.

℞. Florum Sulphuris, unc. duas.
Aloës Hepaticæ, (nam.
Myrrhæ electæ, ana unc. u-
Croci, ſcrupulum unum.
Terantur in pollinem ſubtiliſſimum, & ſerventur ad uſum.

VIRES ET USUS.

In Peſte *Præſervationis locò*, Plevritide, aliisque morbis *conveniunt; præterea in accelerando partu difficili, & ſuppreſſione menſium adhibentur. Doſis* à ſcrupulo ſemis ad integrum.

Flores Viridis Æris.

De his revide pag. 13. & 14.

FLORES ZINCI.

Zincus vel per ſe, vel cum Sale Ammoniaco, vel cum nitro in olla vitreata ſublimetur, dein ab acredine, mediante edulcoratione liberentur, & exſiccentur flores. Vid. Etmüller. pag. 896.

Uſus in inflammationibus & ſuffuſionibus oculorum optimum effectum præſtare perhibentur.

G.

GILLA THEOPHRASTI.

Est sal vitrioli vomitivum, quod à multis ex destillatione Spiritus Vitrioli, è capite mortuo coquendo, filtrando & evaporando paratur. Lemmerus id sequenti modo præparat:

℞. Vitrioli albi quantùm voles, solve in Phlegmatis Vitrioli s. q. solutionem filtra, & duas tertias partes ejus in vitrea cucurbita evapora: repone residuum in loco frigido per dies quinque, fient crystalli, quos separabis: tertiam adhuc superstitis humiditatis partem evapora, tuúmque vas iterum in vinaria cella repone, novi formabuntur crystalli: sic perge evaporando & crystallizando, quousque totum extraxeris: hos crystallos Soli siccandos expone atque serva, lene præbent vomitorium. Exhibentur à granis duodecim ad drachmam unam ex jusculo, aut alio liquore.

ANIMADVERSIO.

I. Hæc Gilla *nihil aliud est, quàm* Vitrioli purgatio, *quæ instituitur, ut ab eo pauca terra separetur.*

II. *Poteris omnem humiditatem evaporare, nullâ factâ crystallisatione, quarta illa vitrioli in fundo residebit sub forma pulveris albi; hoc modo etiam reliqua genera vitrioli purgantur.*

III. *Post hujus Emetici purgationem, aliquando per alvum excernit æger humores atramenti instar nigros, quia sæpè contingit portioni alicui vitrioli ad intestina prolapsæ obviam fieri materiam salinam, cui alligatur, fitque inde nigredo, proùt dum Gallis vitriolum permiscetur.*

GLOBULI CARMINATIVI.

℞. Saponis Veneti, unc. quatuor.
Fellis Tauri, unc. unam semis.
Nitri depurati, unciam semis.
Sachari, uncias duas.

Formentur inde Globuli diversæ magnitudinis.

Valde celebres sunt ad alvum reserandam & flatus discutiendos, quos DD. Zwingerus in Dissert. de Nitro pag. 205. describit.

GLOBULI MOSCHATI.

℞. Sachari Canarienfis, uncias quatuor.
Amyli albi, unciam semis.
Pulveris Radicis Ireos Flor. drachmas duas.
Moschi, grana quinque.
Zibethi, granum unum.

Cum mucilagine Gummi tragacanthi fiant L. A. Globuli majores & minores.

Diversæ Globulorum passim dantur descriptiones, proùt dantur species & pulveres pro suppositoriis, (de quibus infrà) ex quibus cum vitellis ovorum & mellis despumati s. q. etiam Globuli diversæ magnitudinis formari possunt.

I.

INFUSIO Seu AQUA ANGELICA VIENNENSIS.

℞. Cremoris Tart. drachm. duas.
Aquæ fontanæ, uncias octo.
Coquantur ad remanentiam unciarum sex, in quibus clarificentur:
Mannæ Calabrinæ electæ, unciæ duæ aut tres.
In ebullitione addatur
Succi Citr. recent. unc. semis.
Refrigescat, & super cortices pomi Citri unius exteriores coletur infusum; cui placet pro stimulo in ebullitione addi potest
Magist. Tart. purgantis, drachma semis vel scrup. duo.
Bilem, serosósque ventriculi tunicis impactos viscidos humores blandè per inferiora subducit.

JULAPIUM GEMMATUM.

℞. Topaziorum,
Smaragdorum,
Rubinorum,
Saphirorum,
Hyacinthi,
Sardæ,
Coralliorum rubr. ana drachmas duas.
Subtiliter pulverisatis affunde aceti destillati sufficientem quantitatem, ut solvantur; solutum filtretur, & ad siccitatem in Balneo abstrahatur, deinde:
℞. Confect. Alkerm. incomplet. uncias duas.
de Hyacintho, unciam unam.
Aquæ Naphæ, seu Florum Aurant. libram unam semis.
In temperato calore digerantur, decantentur, & superiori solutioni infundantur, clarum per subsidentiam, quod erit additâ sachari albissimi libra unâ semis, levi abstractione, per alembicum ad Syrupi formam reducatur; Tandem pro completo:
℞. Moschi Orientalis, (unã.
Ambræ gryseæ, ana drachmã
Dissoluta cum Spiritu Rosarum prædicto Syrupo addantur, & fiat Julapium.

ANIMADVERSIO ET USUS.

Pretiosum hoc Medicamentum vires *obtinere* cordiales, stomachales & adstringentes *creditur, quid autem ex pretiosis his lapidibus cordialis ingrediatur, facilè cuivis saniori liquet. Additur* potiunculis cordialibus *habita ratione ægrotantium, completum aut incompletum ad unciam unam.*

JULAPIUM ROSARUM P. A. R.

℞. Aquæ Rosarum odoratissimæ, uncias quatuordecim.
Sachari clarificati, & ultra consistentiam tabulati cocti, (libras duas.
Misce.

Cordiale planè Medicamentum est: totius corporis exæstuationi *confert*, vitales spiritus *reficit*, eosdémque evanidos *reparat. Adhibetur* potiunculis & emulsionibus

edulcorandis, *iis tamen, qui* odorem Rosarum *ægrè ferunt, non exhibendum.*

JULAPIUM VIOLARUM.

Ex Aqua Florum violarum, uti præcedens cum sacharo conficitur.

Febrium incendia *reprimit*, vigilias *levat*: gutturis, faucium, *ac* asperæ Arteriæ afflictionibus à salsi *aut* acris humoris influxu enatis *succurrit*: calidis *insuper ac* siccis pectoris morbis *apprimè convenit*, & cordi excalefacto *auxiliatur.*

L.

LAC LUNÆ.

Est minera nativa Bolum Armenam æmulans, cui etiam in viribus æquipollet, & non differt, nisi colore albicante à marga saxatili, unde etiam à multis *Agaricus mineralis* nuncupari solet, ex eo, quòd sicut Agaricus ex vaporibus arboris putrescentis, ità Lac Lunæ ex vaporibus mineralium generetur.

Exhibetur lactantibus pro lacte augendo cum crystallis Mont. præparatis; item in obstructionibus urethrum, extrinsecè verò ad ulcera exsiccanda inservit.

LAC SULPHURIS.

℞. Flor. Sulphuris, unc. unam.
Salis Tartari, uncias tres.

Misceantur, & cum aquæ communis libris tribus bulliant, usque dum Sulphur solutum sit; postea filtrentur calidè per chartam emporeticam, & superfuso aceti destillati sufficiente quantitate præcipitabitur pulvis lacteus sulphuris; qui postquam subsederit, liquore supernatante depleto, cum aqua fontana debitè edulcoretur & exsiccetur.

VIRES ET USUS.

Vocatur etiam Magisterium sulphuris; *Pectorale est medicamentum, in Phtysi præcipuè commendatum, dum pulmonis ulcus exsiccat, & putredini resistit.* *Datur* à granis quinque ad scrupulum unum.

LAC VIRGINEUM AUGUSTANORUM.

℞. Aluminis crudi, unc. quatuor.
Decoquantur ad tertias in aquæ fontanæ libris duabus. Postea
℞. Lithargyrii, libram semis.
Aceti, libram unam semis.
Decoquantur ad remanentiam libræ unius, colentur & cõmisceantur ambæ aquæ, ut albescant.

VIRES ET USUS.

Cosmeticum *est* Medicamentum, *cuti perpoliendæ, ac manibus lævigandis commodum, faciem tergit, lentigines delet, necnon serpigines, lichenas, impetiginésque sanat; cautius tamen adhibendum est.*

LA-

LAPIS MEDICAMENTOSUS CROLLII.

℞. Vitrioli viridis, libram unam,
albi, libram ſemis,
Aluminis, libram unam ſemis,
Anatron. *id eſt* ſel Vitri,
Salis communis ana unc. tres,
Tartari,
Abſynthij,
Arthemiſiæ,
Cichorii,
Perſicariæ,
Plantaginis, ana unc. ſem:
Ponantur in olla vitreata, affunde parùm aceti roſacei, ac coque igne lento, ſæpius agitando, ubi incipit ſpiſſeſcere adde:
Ceruſſæ libram ſemis,
Boli armenæ Uncias quatuor.
Diligenter miſceantur omnia, donec vi ignis mediocris in lapidis duritiem maſſa concreverit, quæ poſtea fractâ ollâ eximenda, & ad uſus reſervanda.

ANIMADVERSIO ET USUS.

I. *Si Gummata*, Myrrham *videlicet*, & Thus *addere voles, inſtituatur* coctio *lenta, nè comburantur, nec vis illorum in igne evaneſcat, quamvis tota vis in Vitriolo & Alumine conſiſtat.*

II. *Utendi modus ſequens eſt: Liqueſcat ejus uncia una in Aquæ Pluvialis vel fluviatilis libra una, filtretur, filtraturâ hoc utere, tum lavando & eluendo, tum liteolum imbuendo, ac imponendo.*

III. *Virtutes ejus variæ ſunt. Tollit ulcera & defluxiones, deſiccat vulnera & ulcera inveterata; curat Eryſipelas, ſcabiem, Ineam, Serpigines.* *Plura vide in Authoris* Baſilic. Chy: pag. 271.

LAPIS PRUNELLÆ.

℞. Nitri puriſſimi, libram unam.
Liquefiat in Crucibulo, liquefacto reiteratis vicibus florum ſulphuris puriſſimorum, drachmam unam aut alteram injice, exoritur ipſo momento flamma ingens coloris fulminei quæ conſumpto ſulphure injecto, penitùs ſpontè ſtatim exſtingvitur. Quod ità ter quatérve repete; hoc factò effundatur Maſſa liquefacta circa fundum ſartaginis mundæ in tabellas vel rotulas ſervetur in vitro uſui.

ANIMADVERSIO ET USUS.

1. *Alio nomine*, Nitrum præparatum, *ſivè* Anodynum mineraleⁿ *nuncupatur, plerúmque tamen* Nitrum tabulatum, *ſeu* depuratum *dicitur. Salutare eſt Remedium in ardentiſſima illa febre Hungaris familiari edomandâ, ac exſtingvenda, cujus ferocia tanta eſt, ut ægrotantium lingvas prorſùs nigras, & prunis ardentibus ſimiles efficiat; cùm autem tanti ſymptomatis ſævitia ex ſalis hujus uſu leniatur, & opprimatur; inde* Sal Prunellæ *apellatur.*

2. Hartmannus *hujus ſalis unciam unam miſcet cum menſura una liquoris ſeu Aquæ pro potu febricitantium. Attendendum tamen eſt, nè ventriculum debilitet, quo caſu nonnunquam alvi fluxus concitari ſolet. Aliàs à Drachma ſemis ad Drachmam unam ſinè noxa propinari poteſt cum modico ſacharo, ut ſapor amaricans mittigetur.*

LAUDANUM HYSTERICUM DOLÆI.

℞. Extracti Opii cum ſucco cydonior: ferment: drachmam un.
Zedoariæ, drach: ſe:
Verrucar: Equinar:
Radic: Calam: arom:
ana ſcrup. ſemis.
Cinnabaris nativæ,
Caſtorei ana grana duodecim,
Croci grana quindecim,
Lapid. Bezoar. or: ſcrupul: ſem:
Olei Succini,
Rutæ ana quantum ſatis.

Fiat L. A. Extractum, cujus duo, tria, ad quatuor grana in Aqua Meliſſæ aut Calaminthæ in affectibus uterino ſpaſticis mira præſtant.

LAUDANUM LIQUIDUM SYDENHAM.

℞. Vini Hiſpanici, libram unam.
Opii, uncias duas.
Croci, unciam unam.
Pulveris Cinnamomi.
Caryophillorum ana drachm. unam.

Infundantur ſimul in B. M. per duas vel tres dies, donec liquor debitam conſiſtentiam acquirat, colatura ſervetur pro uſu.

ANIMADVERSIO ET USUS.

In variis affectibus ab Authore recommendatur, præcipuè vero ei in uſu fuerat poſt purgantia exhibita in morbis, in quibus à peripheria Corporis ad interiora pellere non licet, quod operatione peracta cum Aquis Diapnoicis propinabat, quo pacto omnes hypercatharſes *mox ſedantur. Aliàs etiam adhibetur in* affectibus pectoris, Colica, Dyſſenteria, Hæmophtyſi, *ac aliis pluribus morbis, dantur guttæ decem, viginti, vel viginti quinque.*

LAUDANUM OPIATUM P.A.R.

℞. Opii Thebaici opt. unc. duas.
Succi Radic. Hyoſciami albi inſpiſſati unciam unam.
Aceti roſacei, drachm. tres.

Spiritûs Vini rectificati tantùm, ut digitis tribus ſuperemineat. Digerantur, ſæpius in die agitando; ubi ſic aliquamdiu ſteterint, filtrentur & abſtrahatur ſpiritus vini, lege artis, lento igne, ut in fundo vaſis craſſamentum remaneat; cui addantur

Coralliorum rubrorum,
Margaritarum,
Succini ana albi præp: ſcru. duo.
Eſſentiæ Croci Auſtr: Scrup. unus. Miſceantur.

Mediæ ejus parti jungatur,
Moſchi orientalis, ſcrup. ſem:
Ambræ gryſeæ, grana ſeptem.

Altera verò pars ſervetur ſinè Ambra & Moſcho.

VIRES, & USUS.

Tanquam Divinum remedii Genus ob multiplicem experientiam comprobatum ab Auguſtanis laudatur in mitigandis acutiſſimis totius corporis doloribus, cujus Doſis eſt à grano ſemis etiam ad duo dum opus eſt.

LAU-

LAUDANUM URINARIUM MICH:

℞. Succi Liquiritiæ in aqua Alkekengi ſoluti unc. unam. ſemis,
Camphoræ, drachmam unam.
Extracti Croci, ſcrupul: quat:
Alkekengi unc. ſem:
Gummi Tragacanthi,
Maſtiches ana drach: unam ſemis,
Laudani Opiati, drach. duas.
Miſce ſervetur uſui.

VIRES, & USUS.

Singulare eſt remedium in Urina promovenda, expellendo calculo, ac aperiendis renum obſtructionibus, modò providè & moderatè adhibeatur. Scrupulus unus, duo ferè grana opii continet, unde Doſis facilè eruitur.

LIQUOR CORNU CERVI SUCCINATUS. P. A. R.

Sali ſuccini volatili rectificato, & in aqua fontana ſoluto, ſumendo quantùm libuerit, affundatur ſpiritus Cornu Cervi rectificatus, vel ejuſdem ſal volatile injiciatur, uſque dum non ampliùs efferveſcant. Liquor hic coaguletur, & ſi opus fuerit, denuò in aqua ſolvendo, & filtrando depuretur, iterúmque exſiccetur.

℞. Salis hujus unciam ſemis,
Aquæ Ceraſorum nigror. un. ciam unam ſemis.
Solve & ſerva pro liquore Cornu Cervi ſuccinato.

Alii juxtà D.D. Mich. hunc Liquorem ſic parare docent:

℞. Spiritûs Cornu Cervi probè rectific. unc. quatuor.
Salis volat: Cornu Cervi,
Succini opt. depur. ana unc. uuam.

Mixta digere in Phiola optimè clauſa leni Balnei calore, donec exactè uniantur, poſtmodùm deſtilla ex retorta, junctûris optimè clauſis ex arena igne moderatô, & aliquoties cohoba.

VIRES & USUS.

Adverſùs motus convulſivos epilepticos præſertim Puerorum valde commendatur. Doſis à gutta una proratione ætatis ad quindecim & ultra in vehiculo convenienti exhibetur.

LIQUOR NITRI FIXI.

Fit, ſi Nitro in Crucibulo fortiſſimum ignem ferenti, liquefacto per vices tam diu injiciuntur carbones pulveriſati, donec hi non ampliùs cum Nitro conflictantur, & deſuper comburuntur: ſic evadit Nitrum fixum plane alcaliſatum; hoc tabulæ vitreæ impoſitum, & in loco frigido humido poſitum deliqueſcit in liquorem Nephriticum inſignis effectus.

LIQUOR PECTORALIS MYNSICHTI.

℞. Aquæ Cinnamomi Bugloſſatæ, Caponis ana un. quatuor
Pulmonum Vituli,
Hederæ terreſtris,

Veronicæ,
Farfaræ ana unc. tres,
Lactis ſulphuris, Drachm. tres,
Florum ſulphuris, Drach. unam ſemis,
Magiſterii Corall: rubr: drach. unam,
Perlar. orient. drach. unam ſemis,

Miſce, & cum Man. Chriſti ſimpl: unciis tribus, edulcora & ad uſum ſerva.

VIRES USUS ET DOSIS.

Mirabiliter Aſthmaticos, Peripneumoniacos, Phtyſicos, & Hecticos *juvat. Cor confortat, periculoſè ſeu graviter tuſſientes non ſinè admiratione liberat, & priſtinæ ſanitati reſtituit. Doſis manè, meridie, & veſperi à Cochlearii uno ad duo. Et priuſquam ad uſum Medicum adhibeatur, diligenter moveatur.*

Liquor Terræ Foliatæ Tartari.

Fit, dum Arcanum Tartari, pag. 79. paratum aëri liberiori exponitur, aut in cellam reponitur, ubi facilè liqueſcit.

Liquor hic ſingulare ſtomachicum exiſtit, præterea in affectibus hypochondriacis, nephriticis, cachecticis, vitiis menſium, *& ſimilibus morbis uſûs polychreſti.*

LOOCH AD ASTHMA.

℞. Scillæ præparatæ, unc: dimid:
Marrubii,
Hyſſopi, ana drachm: unam,
Ireos, drachm: tres,
Myrrhæ,
Croci, ana drachm. ſemis,
Mellis quantùm ſufficit, fiat Looch.

ANIMADVERSIO ET USUS.

Dicitur etiam Lohoch *è* Scilla *compoſitum Meſue, levat Tuſſim, ac ſenum difficilem reſpirationem, pectus à frigida, craſſa, tenaci, & impacta, in locis pituita expurgat. Datur à drachma una ad unciam ſemis.*

LOOCH de FARFARA.

℞. Radicum Farfaræ, libr. unam.
Coquantur in aqua ad mollitiem, poſtmodùm contundantur, & colentur, addendoque.
Mellis libras duas,
Coquantur ad juſtam conſiſtentiam.

ANIMADVERSIO ET USUS.

I. *Tali modo alia ſimplicia* Looch *præparari poſſunt, utpotè* Looch *ex* Althea, Enula, Liquiritia, *& ſimilibus, quibus interdum aromata & crocus ſuperaddi ſolent, quamquam ſimilia minùs ſint uſitata.*

II. *In omnibus pectoris affectibus æſtimatur, ſiquidem Tabidis prodeſt, faucium ac aſpere arteriæ aſperitates lenit, ac aliis pectoris defectibus ſucurrit. Doſis à drachma una ad unciam ſemis & ultra.*

LOOCH DE PULMONE VULPIS.

℞. Pulmonis Vulpis ſiccati & præparati.
Succi Glycyrrhiſæ,

Capi-

Capillorum Veneris,
Seminis Anisi, (nam.
Fœniculi ana unc. u-
Sachari clarificati, uncias quindecim,

Omnia trita tenuissimè sacharo excipiantur, & ad debitam formam redigantur.

VIRES ET USUS.

Medicamentum hoc ex Mesue de ægritud. Pect. & Pulm. Cap. XII. de sumptū pro tabidis, consumptis, ac exulceratos Pulmones habentibus recommendatur. Ejus locò etiam ex mente Authoris sumitur Pulvis Pulmonis Vulpini *cum sacharo rosato ad drachmas duas, vel cum alio Syrupo aut Conserva appropriata.*

LOOCH SANUM ET EXPERTUM.

℞. Cinnamomi,
Hyssopi,
Calaminthæ,
Ireos,
Seminis Anisi,
Fœniculi ana unc. sem:
Capillorum Veneris, Manipulum unum;

Macerentur per viginti quatuor horas in Aquæ fontanæ libris duabus, postea destillando abstrahitur circiter libra una; cum qua ex

Pinearum mundatar: drachmis quinque.
Amygdalorum dulcium drachmis tribus.

Fiat Emulsio, & solvendo in ea sachari albi, libras duas.

Additisque
Pulveris Glycyrrhizæ,
Tragacanthi,
Gummi arabici,
Amyli ana drachmis tribus.
Ireos, drachmis duab:

Optimè misceantur.

VIRES ET USUS.

Et hoc à Mesue procedit; quod sequentibus commendat verbis: Looch sanum & expertum invenimus ad Tussim, raucedinem, a frigore vel pituita crassa in thorace aut Pulmone comprehensa. *In morbis tamen calidioribus ut & tussi calida usus ejus cautior esse debet. Dosim ejus Author determinat; dum id à drachmis quinque ad decem successivè lambendum præcipit.*

LIXIVIUM BENEDICTUM MYNSICHTI.

℞. Cinerum Ligni & extremarum Frondium Juniperi,
Arthemisiæ rubræ,
Genistæ,
Fabarum adhuc in paleis,
Absynthii, ana unciam unam.

Et cum Vini albi potentis s. q. fiat. L. A. Lixivium.

VIRES USUS ET DOSIS.

Aquâ intercute laborantibus singulariter prodest: Efficacissimè enim & valentissimè aquam per urinam expellit, quo auxilio multos hydropicos nullo alio diebus aliquot adhibitô re-

medio ſanavimus. Doſis manè ſtomacho jejuno ab unciis duabus ad uncias tres.

LIXIVIUM CALCIS VIVÆ.

℞. Calcis vivæ optimæ & recentis libras aliquot, immittantur vasi ſtanneo, & ſenſim affundatur aquæ pluviæ quantùm ſatis videtur, ut ad diſſolutionem diſponi queat: demum reiteratis vicibus nova inſtilletur aqua, donec ſic ſenſim aqua calcis quatuor aut quinque digitis ſuperemineat, interim rudiculâ lignea ſæpius commovendo, ut calcis pars ſalino-ſpirituoſa in aqua ritè diſſolvi queat, tandem ſubſidentiâ factâ decantetur aqua ſupernatans in lagenis vitreis aſſervanda ad uſum. Poteſt etiam fieri per Decoctionem, ſic citiùs reſolvitur.

ANIMADVERSIO ET USUS.

I. *In ſuperficie aquæ ſupernatare ſolet cremor quaſi, qui colligi ſæpè ſolet, ad labia cancri conſpergenda, unde pars corrupta decidit, & à ſana ſeparatur.*

II. *Si ad Aquæ Calcis libram unam tantum additur ſachari ſaturni, ut lactis formam acquirat, tum in antiquis ulceribus corrodentibus*, in gangræna, herpete, ſerpigine, gutta roſacea, ſcabie &c. *inſignis eſt ejus uſus ad* ſalia corroſiva *imbibenda & temperanda, ſi calidè vel tepidè applicetur, & ſæpius iteretur.*

III. *Si hujus* Lixivii *libræ uni, ſublimati corroſivi pulveriſati 15. vel 20. grana adduntur, mox luteô colore tingitur aqua, quæ agitando inſimul diutius in mortario vitreo vel marmoreo; efficitur inſigne medicamentum ad normam Aquæ Phagadenicæ Lemeri. ad ulcera inveterata mundificanda, & ſuperfluas carnes exedendas. Uſurpatur etiam in* Gangræna *addito ſpiritu Vini, & aliquando etiam ſpiritu Vitrioli.*

M.

MAGISTERIUM ALUMINIS SCHRÖEDERI.

℞. Aluminis crudi libras ſex.

Coquatur in fictili amplo, ut evaporet phlegma, tandem calcina, ut penitus candeſcat. Hinc injiciatur in acetum deſtillatum Alumen illud candens; ſic extrahet Acetum deſtillatum Eſſentiam ſeu Magiſterium reſidente terrâ albâ (quæ aquâ ferventi abluenda & ſervanda) Acetum illud filtra, & abſtrahe in Balneo Mariæ ad mellis conſiſtentiam. Tunc exponatur frigido ad Cryſtalliſandum. Cryſtallos exime & ſicca.

ANIMAD-

ANIMADVERSIO ET USUS.

I. Cl. Hoffmannus *annotat in taliter parato Magisterio, Alumen vitriolô suô stipticô non esse privatum, quod priùs depurare docet sequenti modo:*

℞. Aluminis rupei q. v. solv. in aquâ pluviali, coqu. in alembico, donec spumam exhibeat, spuma cum cochleari ligneo separanda, rursùs coque, & inter coctionem adde acetum destillatum, tunc Alumen deponit vitriolum suum in superficiem instar spumæ ceruleæ, quæ rejicienda, filtra solutum & despumatum Alumen, infunde in vas ligneum, ut crystallisetur.

℞. Purificati hujus Aluminis libr: unam semis, destilla in alembico phlegma leni igne ad siccitatem, cavendo, nè spiritus ascendant, sed ut Alumen saltèm terra alba fiat, quam imprægna proprio phlegmate & cohoba. Inde sumatur Caput mortuum Tartari, ex quo omne sal Tartari fuit extractum, hoc in crucibulo reverbera aperto igne per mediam horam, ut fiat terra porosa absque omni salino sapore. Hanc terram tartaream philosophicam inde filtro chartaceo, rursùs suprà terram aliam pone chartam bibulam, in quam aluminosam terram proprio phlegmate solutam, filtra, sic acida terra aluminis attrahitur, ab ignea terra filtri, & saltem dulcis terra transit filtrum cum proprio phlegmate, quam rursus coagula, per destillationem abstrahendo phlegma, repete solutionem hujus cum proprio phlegmate, & filtrationem, per terram Tartari rursùs elotam & tertiâ vice reverberatam. Sic Alumen deponit per præcipitationem à phlegmate omnem terram adstringentem, & crystallisatur primum Ens Aluminis in frigore instar sachari, & summum celebratur antiheticum à P. Poterio in sua P. S. Cap. 7. pag. m. 126.

II. *Crystalli tingi possunt Roob Sambuci pro libitu, sudorem movent, conveniuntque in scorbuto (singulis septimanis semel ac iterum pro sudore exhibiti) In* Febribus tertianis (*ante paroxismum aliquot vicibus iterato assumpti*) *Dosis à granis octo ad scrupulum unum.*

MAGISTERIUM CORALLIORUM.

℞. Coralliorum quantitatem sufficientem, super infuso Aceto destillato, in calore fiat eorum solutio, toties acetum affundendo, quousque ebullitionem concitaverit. Liquori filtrato instilletur oleum Tartari, ut pulvis præcipitetur, qui aqua fontana probè edulcoratus siccetur.

Eadem ratione parari solent Magisteria lapidum Margarit. Matr. Perlar. Ocul. Cancror. Ossium Sæpiæ, &c.

Multi sunt, qui de his ac similibus Magisteriis, quæ acido menstruo solvuntur, parum tenent, ex eo quòd illis non exigua portio menstruorùm solventium & liquorum præcipitantium tenacissimè adhæreat, & quod calces istæ deinceps omninò insolubiles evadant. Ast nec desunt alii, qui ipsis diureticam, abstergentem & colliquantem efficaciam admittunt. Unde ab Antiquioribus commendantur ad vires roborandas animum exhillarandum, hæmorrhagias, ac dyssenterias compescendas. Dosis à scrupulo semis, ad drachmam semis.

MAGISTERIUM CORNU CERVI.

℞. Limaturæ Cornu Cervi ex apicibus justo tempore collecti uncias sex. Irroretur cum spiritu nitri, postmodùm superaffundatur Acetum Vini destillatum, stent per aliquot dies in digestione, deinde colentur, ac instillato spiritu vitrioli rectificato, præcipitabitur pulvis, qui frequentioribus ablutionibus edulcoretur & exsiccetur. Ità etiam fiunt

Magisterium Cranii humani.
Dentis Apri.
Eboris.
Mandibul. Luc. Pisc.
Unguiæ Alcis.
Unicornu marini.

MAGISTERIUM GUMMI GUTTÆ MINDERERI.

℞. Gummi Guttæ quantum volueris. Dissolve cum s. q. Spiritûs Vitrioli in vase vitreato, ut instar pulmenti fiat, postea in arena exsiccetur, cavendo nè nigrescat, sed colorem suum nativum ut reservet luteum.

ANIMADVERSIO ET USUS.

Viennenses Pulmento huic aquam tepidam *superaffundere docent, ubi resina statim ad fundum præcipitatur, quæ (aquâ priùs decantatâ) exsiccatur. Verùm an non per tam forte acidum & vis purgans dematur, multi credunt. Quibus & Method. in Pharmacop. Bateana præscripta præplacet.*

Usus hujus Magisterii est ad humores serosos & pituitosos expurgandos, unde in hydrope, scabie, *& similibus morbis congruè adhibetur. Dosis est à scrupulo semis, ad drachmam semis.*

MAGISTERIUM JALAPPÆ seu RESINA.

℞. Radicum Jalappæ quantùm lib. Crassiusculè contusis, affundatur spiritûs Vini optimè rectificatus, ut tres vel quatuor digitos superemineat. Stent in infusione in loco calido per aliquot dies, postea colentur cum forti expressione, extractionem hanc toties repetendo, quousque spiritus vini non amplius tingatur; tandem conjunctis, & filtratis affundatur Aqua fontana, & spiritus Vini destillando separetur, resinosa substantia Jalappæ in fundo cucur-

bi-

bitæ hærens aquâ clarâ aliquoties lavetur, ſiccetur, & pulveriſetur.

VIRES ET USUS.

Seroſos, bilioſoſque humores commodè *evacuat, delicatulis, & cætera Pharmaca averſantibus maximè accomodum. Datur à granis tribus ad grana duodecim pro re nata, eodem modo paratur* Magiſterium Scamonii, *ſeu* Pulvis Syrius dictus. *Item* Magiſterium Mechoacannæ.

MAGISTERIUM LAPID: CRYSTALL: Mont: ex Schrödero.

Solutioni (cum aqua Urticæ factæ) inſtilla ſalis communis fuſi aliquid, & præcipitabitur, decanta, elue, exſicca. *Aliàs ad normam* aliorum lapidum *paratur.*

MAGISTERIA LAPIDUM.

Parantur ùt Magiſterium Coralliorum, quia autem ſunt denſiſſimæ texturæ, hinc duplo nitri priùs calcinari neceſſe habent, ut tum edulcoratus Pulvis eò faciliùs acido auſcultet.

MAGISTERIUM MARCASITÆ.

℞. Marcaſitæ pulveriſatæ quantum vis, ſolv. in aqua forti (ex ſale nitri, & ſale communi ana facta) præcipita cum ſpiritu Vini, præcipitatum edulcora & exſicca.

ANIMADVERSIO ET USUS.

Si locò Spiritus Vini ſimplicis *ad præcipitationem ſumitur* Spiritus Vini tartariſatus, *meliùs procedere præcipitationem* Cl. Hoffmannus *teſtatur. Confert ad Cutis vitia, Lichenes ſcilicet, impetigines, ſcabiem manuum, & ſimiles affectus Aquis coſmeticis immixtum, ad uncias quatuor Aquarum, Magiſterii drachma una ſufficit.*

MAGISTERIUM MARTIS LANGELOTTI.

Limatura Martis igne fortiſſimo reverberetur, donec elevetur in Crocum leviſſimum & rubicundiſſimum. Irroretur cum ſpiritu Aceti, atque ſiccetur. Repetendo hoc quater. Dein tantum affundatur ſpiritûs Aceti q. ſ. ad extractionem. Digeratur uſque dum colore rubicundo tingatur, ſæpiùs verò agitetur. Extractio lento calore redigatur ad mellaginem, quæ ſoluta aqua pluviali deſtillata, & filtrata præcipitetur cum ſpiritu vitrioli. Sic habebis Magiſterium albiſſimum, quod probè edulcorandum.

Vires ex ipſa deſcriptione cuivis patebunt, prodeſt in morbis quamplurimis hypochondryacis, hepaticis *& ſimilibus ad grana aliquot exhibitum.*

MAGISTERIUM SUCCINI ex SCHRÖDERO.

℞. Succini pulverisati, quantum vis.

Affunde spiritus vini rectificatissimi, solve, decanta, abstrahe in B. M. vel præcipita cum Aqua fontana, & remanebit in fundo Magisterium.

VIRES ET USUS.

Magisterium hoc, ùt nihil aliud est, quàm pars purior & resinosa, à crassioribus sola solutione separata, ità easdem cum succino, efficaciores tamen operationes obtinet, in omnibus affectibus Capitis, Colica, & Calculo. *à granis aliquot ad scrupulum semis. Aliter: Succinum pulverisatum & parum tostum infunde in Aceto destillato, ac extrahe, Extractum præcipita cum spiritu Vitrioli. evadit Magisterium sudoriferum ac diureticum.*

Magisterium Tartari purgans in forma sicca.

Idem est, ac Arcanum seu Terra foliata Tartari. In forma liquida est Liquor Terræ foliatæ Tartari, de quibus vid. p. 79. 80.

MAGNES ARSENICALIS.

℞. Antimonii Hungarici,
Arsenici crystallini, (tres.
Sulphuris communis, ana unc.

Pulverisentur optimè, & misceantur, immittantur vitro, quod arenæ imponatur calenti, ut liquefiant instar ceræ, tum refrigeratis omnibus, frangatur vitrum, & massa eximatur, & servetur.

Est externi saltèm usûs, ingreditur emplastra, *præsertim* Magneticum A. S. *pro curandis carbunculis & bubonibus pestilentialibus, ubi maturat & venenum alterat. Gestatur etiam de collo locò Amuleti in peste, ac præterea præbet mirè escharoticum.*

MAGNESIA NITRI.

Magnesia Nitri seu Magnesia alba, nihil aliud est, quàm terra calcaria nitri, quæ paratur ex lixivio â crystallisatione Nitri residuo, per continuatam coctionem, & evaporationem ad spissitudinem, quæ debitè siccata, tam diu calcinatur, donec nulli ampliùs vapores rubicundi exhalent, quô factô massam hanc probè calcinatam successivè cochleatim in aquam tepidam injice, & præcipitabitur pulvis, qui edulcoratus, ac in pollinem tritus in vitro bene clauso asservandus est.

ANIMADVERSIO ET USUS.

I. *Multis nominibus insignitur, dum quibusdam* Panacæa solutiva, *aliis* Panacæa antihypochondriaca *audit. Quæ si debitè parata & omnis heterogeneitatis expers est, in spiritu nitri dulcis exigua portione in totum solvitur, secus si quæ particula non solvatur, aut adulterata, aut non debitè depurata esse censetur.*

II. *Remedium est satis alcalinum, ùt* Zwingerus *loquitur, quòd omnem acrimoniam viscidam humorum in corpore humano absorbet, ac edulcorat, blandóque motu ex corpore educit; do-*

sis

sis est à drachma semis ad drachmas duas & ultrà, proùt nempe vel pro scopo alterandi aut laxandi exhiberi solet in vehiculo convenienti. Teneris etiam infantibus in dosi refracta ad lactis & pulmentorum acrimoniam in ventriculo subortam contemperandam cum lacte aut aqua propinatur, præcipuè quando torminibus vexantur.

MANUS CHRISTI PERLATÆ P. A. R.

℞. Sachari albiss. libram unam.
Aquæ Rosarum, quantùm satis est pro sachari solutione.
Coquantur ùt artis est, sub finem injiciatur (cia semis.
Margaritarum præparat. unFiant rotulæ.

ANIMADVERSIO ET USUS.

I. *Paratur etiam* Manus Christi perlata, *adjunctis sub finem coctionis guttulis aliquot olei Cinnamomi.* Jucundissimum *sanè ad omem virium lapsum* Medicamen, *si modò febris aut calor aliquis præternaturalis non subsit.*

II. Manus Christi simplices, *citrà additionem margarittarum paratæ asservantur.*

III. *Usus earum est in* viribus dejectis, febribus ardentibus, & deliriis; *præcipuè pro* edulcoratione mixturarum & emulsionum *quantùm pro gratia sufficit, usurpantur.*

MEL ANTHOSATUM.

℞. Mellis Rosati ad majorem spissitudinem cocti, libras tres.
Florum Rorismarini recentiũ contusorum, manip. sex.
Stent in infusione locô calidô, horis viginti quatuor, deinde exprimantur, & fiat colatura ùt artis est.

VIRES ET USUS.

Colicos *ac* uterinos dolores *mitigat*, cerebri, cordis & ventriculi vires *auget*, & crudam in intestinis *ac circa* mesenterium pituitam *digerit, ac* flatus *discutit. Additur in enemata, ubi* paresis *ex* colica *metuitur*, nervosas *enim* partes *à noxis defendit.*

MEL CHELIDONIÆ.

℞. Succi Chelidoniæ, libras tres.
Mellis puri ac optimi, libram unam semis.
Coquantur, & despumentur, ùt artis est. Simili modo paratur:

Mel Mercurialis.

Utriusque vires qualitatibus correspondent, quorum usus potissimùm in enematibus existit.

MEL ROSATUM.

℞. Rosarum rubrarum recentiũ, libras novem,
Contusæ infundantur in aquæ fontanæ puræ & calentis libris duodecim, per horas viginti quatuor; colaturæ libris quinque addantur libræ quatuor mellis. Coquantur simul ùt artis est.

VIRES & USUS.

Ventriculum *roborat, detergit*, viscidósque succos & crudos *coquit & expurgat*: putredini oris, *proùt* & gingivarum tonsillarúmque

que inflammationibus *adversatur, unde in* gargarismis *ac* injectionibus mundificantibus *ac* detergentibus *commendatur.*

MERCURIUS COSMETICUS LEMERI.

In vitrea cucurbita, eâ tamen igni non admotâ, Mercurii ex Cinnabari redivivi, uncias sedecim solve cum spiritu nitri unciis viginti duabus, vel viginti quatuor. Solutione peractâ affunde huic aquam salsam filtratam, paratam ex salis marini unciis decem in pinetis duabus aquæ liquefactis, his adde Spiritûs volatilis salis Ammoniaci unciam semis vel circiter, fiet præcipitatum albissimum, quod sufficienter residere permittes: hinc aquâ per inclinationem effusa, id multoties aquâ fontanâ elues, & in umbra siccabis.

ANIMADVERSIO ET USUS.

I. *Si admodùm album reddere velis* hoc Præcipitatum, *solvendus est* Mercurius *in vase, cujus ostium sit sufficienter latum, ut liber exitus vapori rubro spiritûs nitri pateat, dissolutione sinè igne peractâ, eò majorem albedinem Præcipitatum obtinet.*

II. *Potissimus ejus usus est extrinsecus, inter Aquas Phagadenicas, quibus* ulcera impura & fistulosa *repugnare, ac consolidare opus est, subinde etiam* scabiei malignæ & tineæ capitis *adhibetur. Aliàs inter Cosmetica cum unguento pomato aut simili expeti solet, cujus usus tamen cautior esse debet.*

MERCURIUS DULCIS P.A.R.

℞. Mercurii sublimati, uncias sex. Argenti vivi per corium trajecti sale & aceto loti, & sic bene purgati uncias quatuor, vel quantùm Mercurius sublimatus per trituram recipere potest, ut in pulverem cineritium simul abeant, qui in cucurbita, igne arenæ per gradus adhibito, sublimetur, & pulvere rubro in fundo, ut & albo vitri collo adhærente rejecto, solum coagulum crystallinum pulverisetur, atque cum aqua calida, ad inhærentes fortè particulas corrosivas tollendas elotum exsiccetur. Si verò haud crystallinus ascendit, repete sublimationem, nullô aliô Mercuriô additô.

ANIMADVERSIO ET USUS.

I. *Multi sublimationem pluries reiterandam consulunt, verùm tot repetitæ sublimationes vires ejus multùm diminuunt, sufficit si is etiam unicâ solùm sublimatione debitè peractâ, omni sapore fuerit privatus, secùs si minimũ saporem præ se ferret; unde quò diutiùs* Mercurius sublimatus *cum vivo teritur & lævigatur, eò citiùs & meliùs succedit dulcificatio.*

II. *In* sanguine, *præsertim* ab impuritatibus venereis, mundando, vermibúsque enecandis *usurpatur. Datur ab aliquot granis, etiam ad scrupulum unum & ultrà.*

MERCURIUS PRÆCIPITATUS ALBUS.

℞. Mercurii, uncias quatuor.

Diſſolve in aquæ fortis ſufficienti quantitate, poſtea aquâ ſalsâ in album pulverem præcipita, qui ab omni ſalſedine & acrimonia debitè cum aqua communi tepida eluatur, & exſiccetur.

ANIMADVERSIO ET USUS.

Aliàs etiam Mercurius Coſmeticus *nuncupatur, ex eo, quòd inter illa Coſmetica æquè expetatur, quibus* varorũ & ſerpiginũ fœditas *emendatur, aſt attendendum eſt, nè ſæpè cuti admoveatur, aut diu ſuper illa relinquatur, ſed citò abluatur, nè cum tempore laxitas gingivarum ſubſequa dentibus præjudicet.*

MERCURIUS PRÆCIPITATUS RUBER.

℞. Mercurii purificati, libram ſemis.

Diſſolve in aquæ fortis ſufficienti quantitate, deſtilla ex retorta in arena ad ſiccitatem, igne forti ad extremum adminiſtrato. In fundo hærebit pulvis ruber præcipitatus, quem edulcora, primò aquam calidam crebrò affundendo, poſtea ſpiritum vini rectificatum quinquies vel ſexies deſuper incendendo.

VIRES, & USUS.

Utplurimùm externè in uſu eſſe ſolet ad excreſcentias carneas auferendas, *blande enim corrodere ſolet; Pulvis aſpergitur emplaſtrô, & applicatur.* Ulceribus *etiam* malignis *ſæpè medetur.*

MERCURIUS SUBLIMATUS ALBUS SEU CORROSIVUS.

℞. Mercurii purificati,
Vitrioli calcinati,
Salis depurati & decrepitati, ana libram unam.

Subigantur cum pauxillo aquæ fortis, aut modico aceto, exſiccata terantur, & miſceantur in mortario lapideo cum piſtillo ligneo tam diu, donec Mercurius non ampliùs conſpiciatur, & unà cum prædictis ſpeciebus in pulverem abeat. Trita materia in cucurbita cum alembico dando in arena ignem per gradus ad octo vel decem horas, ſublimetur.

VIRES & USUS.

Præter quòd Mercurii dulcis Baſis *ſit, externè etiam, in aquis convenientibus ſolutus, ad* ulcera inveterata, gallica, &c. *adhibetur.*

MERCURIUS VIRIDIS SEU VENEREUS EX SCHROEDERO.

℞. Mercurii purificati, uncias quatuor.

Solve in aqua forti communi, in eadem aqua forti ſolve & veneris unciam ſemis. Conjunge ſolutiones, ac abſtrahe in arena, urgendo in fine ignem, ut maxima pars ſpirituum tollatur. Præcipitatum exſicca, ac digere cum aceto deſtillato in B. M. diu noctúque:

&úque: ultimò fac bulire, ut puriſſima pars Mercurii in aceto deſtillato ſolvatur. Hinc decanta & abſtrahe atque ſicca ſinè lotione.

ANIMADVERSIO ET USUS.

I. *Signum* boni Mercurii viridis *eſt, ſi Aurum fortiter cum eodem fricatum non dealbetur.*

II. *Eſt* Specificum *in* Gonorrhæa virulenta, *quam nimiam tollit, inſufficientem promovet, ideóque ſingulis diebus continuandus ejus uſus eſt, donec omnis fluxus ſedatus ſit. Doſis* à granis duobus ad octo.

Mercurius Vitæ:

Vid. p. 103. de Butyro Antimonii.

Additamentum.

Innuimus, de Arcano Corallino pag. 76. agentes, quô modô Mercurius purgari debeat? quod multiplici ratione Authores Chymici fieri poſſe ſtatuunt.

I. *Purgatur* Mercurius *expreſſione per corium, quâ fœcibus craſſis in corio remanentibus* Mercurius *tranſit. Quòd ſi autem* Metalla *bene* commixta *ſint, facilè inſimul corium penetrant & tranſeunt.*

II. *Lavatur per* acetum *ſimpliciter, aut cum* ſale communi mixtum, *vel per* lixivium calcis vivæ, & cinerum clavellatorum, *vel etiam per* lixivium ſaponariorum, *ſæpiùs nimirùm cum his agitando, & viciſſim à ſordibus eluendo. Imò etiam purgari ſolet ſpiritu vini in vitro obturato, ſeparatur enim nigredo ad latera.*

III. *Deſtillari ſolet in arena per retortam igne ſat forti, idque per ſe, vel* addito ſale Tartari, *aut* calce viva. *Optimè verò purgatur* Amalgamandô *cum* metallis perfectis, *ac poſtmodùm per retortam à corpore admixto ſeparando.* Gerardo Blaſio in Begvinum, *ſequens modus facillimus cenſetur, cui nos ſubſcribimus:*

℞. Mercurii vivi, quantùm vis.

Ei in vitro anguſtioris orificii contento, adde primò aliquid ſalis, ut illud ſuâ acrimoniâ fœces extrahat Mercurii, hinc vitrum aliquamdiu commove, tum adde acetum, perge vitrum agitare, uſquedum Mercurius in fundo vitri inſtar pulveris obſervetur. Hoc factô effunde totum in ollam terream aquâ plenam, & præcipitabitur Mercurius ad fundum in millena granula diſperſus. Aqua decantetur, aliáque affundatur, toties hoc repetendo, donec aqua appareat pura, Mercurium aliquoties cum aqua miſcendo. Hoc factô Mercurium ab aqua liberum linteo molliſſimo puri comprime, uſquedum nihil impuritatis ipſi adhæreat ampliùs. Purgationes enim, quô ſæpiùs iterantur, eò purior Mercurius colligitur.

Mithridatium Damocratis:

Vide Electuarium.

MIVA CYDONIORUM AROMATISATA NICOLAI.

℞. Succi Cydoniorum depurati, libras viginti.
Sachari, libras tres.

Clari-

Clarificentur cum albumine ovorum, & coquantur ad consistentiam spissiorem, Pharmacopœo perito notam; quibus ab igne depositis, misceatur sequens infusio:

℞. Cinnamomi electi,
Cardamomi majoris, ana drachmas tres.
Caryophyllorum, drachmas duas.
Zinziberis, (
Mastichis, (semis.
Macis, ana drachmam unam
Croci, drachmas duas.
Ligni Aloës, drachm. duas semis.
Ambræ, (
Moschi, ana scrupulos duos.

Incisa & contusa macerentur per viginti quatuor horas in vini albi generosi libra una, postea filtrentur.

VIRES ET USUS.

Ventriculum frigidum & humidum, & à pituitosis humoribus laxum *constringit*: *ob id* Diarrhæam *inde* causatam *refrænat*, *præcipuè verò* Lienteriam *cohibet*, & concoctricis facultatis vires *plurimùm auget*; *iis verò*, *qui* ambram & moschum *non bene ferunt*, *cautiùs adhibendum.*

MIVA CYDONIORUM SIMPLEX.

℞. Succi Cydoniorum depurati, libras duodecim.
Sachari, libras tres.

Coquantur ad justam consistentiam.

VIRES & USUS.

Adversùs alvi profluvia *efficax*: ventriculum & cætera viscera *firmat*, *ac* vomitionem *prohibet.*

Mixtura Simplex:

Vide, Spiritus Diatrion.

MORSULI IMPERATORIS CUM FRUCTIBUS.

℞. Pinearum mundatarum,
Pistaciorum decorticatorum,
Amygdalorum dulcium, ana unciam semis.
Spec. Imperatoris parum incisarum, drachm tres.
Aromaticarum Rosatarum Gabrielis.
Cinnamomi incisi & contusi, ana drachmam unam.
Conservæ Rosarum Damascenarum, unciam semis.
Sachari in aqua rosarum dissoluti, uncias octo.

Fiant Morselli.

Usus horum est potissimus in bellariis *ad* ventriculum confortandum & concoctionem adjuvandam.

N.

NITRUM ANTIMONIATUM.

Est Nitrum à detonatione Antimoni Diaphoretici per edulcorationem recuperatum, & post colaturam per cartham emporeticam duplicem exactam exhalando coagulatum.

Vocatur aliàs Anodynum minerale. *Poſſidet* vires antiphlogiſticas & temperantes, *hinc utiliter ad* humorum orgaſmum temperandum *exhiberi conſuevit ad drachmam ſemis, plerumque additur abſorbentibus & aliis atiſpaſmodicis Pulveribus.*

NITRUM ALKALISATUM SEU FIXUM.

℞. Nitri depurati quantùm libet. In crucibulo bene ignito ad fluorem perducatur, & ſucceſſivè pulvis carbonum inſpergatur, uſquedum flammam ampliùs non concipiant, tunc in mortarium calefactum effundatur; in vaſe optimè clauſo, nè ab aëre liqueſcat, ſollicitè aſſervandum; quòd ſi in cella per deliquium ſolvatur, ac filtretur, vocatur LIQUOR NITRI FIXI.

ANIMADVERSIO ET USUS.

Plerumque ſub titulo Liquoris Nitri fixi *in forma liquida diſpenſatur, ac in viribus cum* aliis ſalibus alkalinis fixis *convenit; unde utiliter exhibetur, quandocunque* aliquod acidum *in primis viis peccat. Cum* ſucco limonum mixtus hic liquor, *& dum in ipſo effervescentiæ adhuc eſt æstu, bibitus,* certiſſimum vomitûs Remedium *eſſe, experimentô Riverii, perhibetur. Doſis eſt ad drachmam unam.*

Externus uſus eſt Coſmeticus cum aquis priùs bene diſtemperatus.

NITRUM DEPURATUM.

Nitrum reiteratis ſolutionibus, filtrationibus, evaporationibus & coagulationibus ad cuticulam, donec in loco frigido in cryſtallos ſatis puras & nitidas concreſcat, depuratiſſimũ redditur, quamvis id nonnulli cum lapide Prunellæ ejuſdem indolis & virtutis eſſe exiſtimant.

NITRUM PERLATUM.

℞. Nitri optimè depurati, partes tres.

Magiſterii Perlar. part. unam. Solvantur in ſ. q. aquæ roſarum fragrantis, ſoluta exhalentur ad cuticulam, locô frigidô in cryſtallos coagulando.

ANIMADVERSIO ET USUS.

Schröderus *id ex Nitro depurato & ſale Perlarum in aceto deſtillato ſolutis, coagulando, evaporando in cryſtallos præparare docet.*

Alii locò Magiſterii Perlarum, Magiſterium Matris Perlarum *recipiunt; Alii verò ſolummodò* Margarittarum præparatarum *partem unam ad octo partes* Nitri *ſeparatim addere docent. Eſt* cordiale, *&* æſtum febrilem *mitigans: Datur à granis quinque ad ſcrupulum ſemis.*

Nitrum præparatum:

Vide, Lapis Prunellæ.

Nodulus pro Delicatis:

Vide, Species.

O.

OCULI CANCRORUM CITRATI.

Bis aut ter ſucceſſivè ſucco Citri ſaturantur, donec amplius non efferveſcant, poſtea ſiccati in Pulverem lævigantur.

Hallenſes poſt efferveſcentiam per 24. horas digeri ſinunt, liquorem decantant, & pulverem ſubſidentem exſiccant.

OLEA COCTA ET EXPRESSA.

OLEUM ABROTANI.

℞. Abrotani recentis inciſi & contuſi libras tres

Macerentur in Olei clariſſimi libris tribus per triduum, deinde coquantur, donec prunis inſperſum non amplius ſtrepat oleum, quod colatum uſui ſervetur.

VIRES ET USUS.

Adhibetur ad producendos pilos, & in eorum defluvio cum Ladano & Urſi pingvedine glabris locis illinitur.

OLEUM ABSYNTHII.

℞. Olei Olivarum, Libras tres.
Comarum Abſynthii pontici recentis contuſarum, libram unam.
Roſarum rubrarum, unc: ſemis

Macerentur per triduum in loco calido, deinde coquantur, uſque dum prunis injectum non ſtrepitet, quod colatum ſervetur uſui.

VIRES, & USUS.

Calefacit & roborat, præſertim ventriculum, appetitum excitat, obſtructiones aperit, lumbricos necat, & ventriculi flatus diſſipat illinitum. Clyſteribus quoque indi ſolet in colica.

OLEUM AMYGDALORUM AMARORUM.

℞. Amygdalorum amarorum ſiccorum, non tamen rancidorum, à cortice membranoſo mundatorum q. v.

Contundantur minutiſſimè, poſtea ſ. a. prælo exprimantur.

VIRES & USUS.

Eſt reſolvens & diſcutiens, inſtillatum auribus, tinnitui & ſuſurro medetur, in urinæ retentione pubi illinitum prodeſt, cutis maculas & aſperitates tam reliquarum partium, quàm faciei (quas ephelidas & panos *vocant) delet, calculoſis renum vitiis, ſtranguriæ in fiſtulam urinariam immiſſum ſubvenit.*

Oleum Amygdalorum dulcium.

Fit ut Oleum Amarorum.

VIRES & USUS.

Internè datur ad ſtricturas dolorificas relaxandas, in plevritide, nephritide, colica; *ad alvum laxandam vel per ſe cum juſculo, vel cum mannæ ſolutione, in* tuſſi & raucedine *cum* Syrupo Violarum *aut alio appro-*

priato ſubactum. Poſt partum Matri cum juſculo gallinaceo uſitatiſſimum eſt, proùt recens natis ad meconium expurgandum cum manna Syrupo Violarum *ſoluta ſubactum exhibetur.*

Oleum Anagallidis.

Paratur ùt Oleum Abrotani.

Præſentaneum remedium eſt vàriis puerorum doloribus in infimò ventre exſuſcitatis à flatulentis, ſabuloſis, bilioſis & pituitoſis contentis, ſivè enematibus admiſtum injiciatur, ſivè exterius applicetur.

Oleum Anethi.

Fit ex Floribus & Foliis Anethi, ac Oleo claro, eodem modo, quo Oleum Abrotani.

VIRES & USUS.

Anodynum eſt, & reſolutivum, ſomnum conciliat, rigorem febrilem ſpinæ & partibus nervoſis acceſſionis initio illitum tollit, cephalalgiam mitigat, uteri duritiem emmollit, menſtrua provocat, laſſitudines diſcutit, dolores articulorum levat, calefacit & emmolit, nervis gratum, ac convulſionibus medetur; in magnis doloribus colicis & nephriticis in Clyſteribus inditum magnam fert opem.

Oleum Camphoræ pro Unguentis.

Fit dum una pars Camphoræ in duabus partibus olei amygdalor: per trituram ſolvitur.

OLEUM CAPPARORUM.

℞. Cortic. Radic. Capparum unc. (unam.
Tamariſci,
Florum Tamariſci,
Seminis Agni caſti,
Ceterach,
Cyperi ana drachmas duas,
Rutæ drachmam unam.

Trita & cum Aceto irrigata, cum Olei Olivarum, libra una coquantur ad humiditatis aqueæ conſumptionem, colentur & exprimantur.

VIRES ET USUS.

Lienis tumoribus duris ac ſcyrrhoſis, ejuſque obſtructionibus medetur illiniendo. Vires enim attenuantes & roborantes poſſidet.

Oleum Chamomillæ.

Fit ex Floribus recentibus, ùt Oleum Abrotani.

VIRES & USUS.

Carminativum, antiſpaſmodum, & anodynum eſt, unde in colicis, arthriticis aliiſque doloribus medetur. Galenus *id ad febrium curationem commendat. In Clyſteribus eſt uſitatiſſimum.*

OLEUM CARDUI BENEDICTI COMPOSITUM.

℞. Herbæ & Radicis Valerianæ recentis,
Cardui Bened: recentis
Numulariæ recentis,
Betonicæ recent:

Sumi-

Sumitatum Hyperici cum floribus ana manip. duos.
Inciſa infundantur in ſufficienti quantitate Vini albi per novem dies, dein adde
Tritici manipulum unum.
Coquantur inſimul lento igne continuò ſpatulâ agitando nè ſpecies adurantur donec Vinum evaporet. Poſtea affundantur Olei libræ duæ, coquantur denuò lentè donec oleum omni qualitate fuerit ſaturatum, quod expreſſum iterum coquatur cum therebinthinæ unciis duabus continuò agitando donec inſimul ſoluta & unita ſint, tandem adde Olibani pulveriſati unciam unam ſemis, miſce & ab igne repone. Oleum hoc frigefactum in vitro ſervetur uſui.

ANIMADVERSIO ET USUS.

Paſſim Balſamus Vulnerarius viridis *audit. Cujus virtutes innumeræ legi poſſunt in libro vulgò* Freywillig auffgeſprungener Granath-Apfel *dicto pag. m. 59. Externè adhibetur ad contuſiones & obſtructiones reſolvendas, internè verò ad Pulmonum aliorúmque viſcerum exulcerationes perſanandas.*

OLEUM CASTOREI.

℞. Caſtorei pingvis & mollis à pelliculis mundati, unci: unam.
Olei Olivarum veteris libr. unã
Vini generoſi albi uncias tres.
Bulliant ad conſumptionem Vini, deinde reponantur ad uſum.

ANIMADVERSIO ET USUS.

Duplex veteribus fuerat uſitatum, hoc ſimplex, & compoſitum, quod in P. A. R. habetur. Uſus hujus ſimplicis in Convulſionibus, affectibus paraliticis, & uterinis deprædicatur.

Oleum Cheyri.

Fit ex Levcojicis Luteis, hoc eſt ex Cheyris citrinis, ùt oleum Chamomillæ.

VIRES ET USUS.

Eſt reſolvens & dolores mitigans, præſertim in tumoribus duris uteri, *ac dum Menſes, vel fœtus mortuus pelli debent, Abdomini illinitum. Præterea inungitur hypochondriis, ubi hepatis aut Lienis infarctus obſervatur.*

OLEUM COSTINUM MESUE.

℞. Coſti amari, uncias duas.
Caſſiæ Ligneæ veræ, unc. un.
Sumitat. ſampſuchi, unc. octo.
Olei ſeſamini, libras tres.
Trita macerentur biduo, deinde colentur.

VIRES & USUS.

Calefacit, adeóque nervorum ex frigore injurias propellit, Paralyſi confert, nervos roborando. Ventriculum, tendines, & ligamenta confirmat, ſpinæ illitum mitigat febrilem rigorem, Capillorum defluvium prohibet, ac mucoſo humore canitiem accelerante conſumpto eam moratur.

OLEUM CROCI MESUE.

℞. Croci unciam ſemis.
Myrrhæ electæ, drachm. duas.
Cardamomi drachmas quatuor ſemis,
Olei, uncias novem.
Digerantur omnia leni calore, colentur & exprimantur.

VIRES ET USUS.

Nervos ac uterum roborat, eorum dolorem ſedat, Convulſionique & Uteri noxis confert.

OLEUM CYDONIORUM MESUE.

℞. Cydoniorum non excorticatorum, libras duas,
Olei Olivarum, libras tres.
Poſt factam macerationem fiat coctio ad humidi aquei exhalationem, colatura & expreſſio.

USUS & VIRES.

Melinum dioſcoridi *dicitur, ſtringit & refrigerat, ad Ventriculi & Jecoris imbecillitates utile, ventrem totum inferiorem ac nervos laxos roborat, ſtomacho in vomitiones effuſo,* Lienteriæ, Diarrhææ, ac Dyſenteriæ *medetur; ſpinæ illitum & thoraci, ſudores immodicos cohibet.*

OLEUM ERUCÆ EXPRESSUM.

Semen Erucæ in mortario lapideo contunde minutiſſimè, hinc inde facculo, ac exprime fortiter ſub prælo.

Uſus ejus eſt in partibus Paralyticis & Arthriticis *in ungendis.*

OLEUM EUPHORBII COCTUM.

℞. Euphorbii triti, unc. ſemis.
Olei Cheirini, uncias quinque.
Coquantur & colentur.

In frigidis cerebri noxis, Hemicrania, Cephalalgia, & Lethargo *adhibetur. In Coxæ, aliorúmque articulorum doloribus à cauſa frigida exortis laudatiſſimum eſt.*

OLEUM FORMICARUM NICOLAI.

℞. Formicarum, uncias duas.
Olei libram ſemis.
Macerentur æſtate ad ſolem, vel alio calore, diebus quadraginta, poſtea colatum oleum reponatur.

Hujus Olei vires ſunt: Partes generationi dicatas, ad Venerem concitandam, & imprægnationem promovendam inungendas. Mynſichtus *ſemen* Erucæ *ſuperaddit.*

OLEUM HABACUC.

℞. Herbæ Abſynthii vulgaris manipulos decem,
Corallinæ,
Scolopendrii, ana manipulos octo.
Radicis Diptamni albi,
Gentianæ ana uncias tres.
Corticum Tamariſci, unc: duo
Aurantiorum, (as.
Citri, ana unc: unam
Seminis Santonici, unc. quatuor ſemis.

Amy-

Amygdalarum amararum,
Nucleorum Perſicorum, ana unciam unam ſemis,
Aloës ſuccotrinæ, unc. duas,
Cornu Cervi uſti, unc: unam,
Fellis Tauri, numerô duo,
Picis navalis liquidæ, libram ſemis,
Aceti fortis,
Succi Citri,
Abſynthii, ana unc. quatuor ſemis,
Vini albi quantùm ſufficit.

Inciſa macerentur per aliquot dies, dein addantur,
Olei Olivarum, libræ quinque.

Bulliant in Balneo Mariæ ad conſumptionem humiditatis, poſtmodùm addantur.

Theriacæ Venetæ, drachmæ decem,
Oleiſpicæ, uncia una ſemis,
Petræ, unciæ octo.

Probè diſſolutis & mixtis omnibus ſervetur uſui.

VIRES & USUS.

Deſcriptio hæc Pragenſi Practico famoſo D.D. Löw *debetur, quod in enecandis Vermibus & alvo teneriorum lubricanda umbilico illitum paſſim à Vulgo quotidie expeti ſolet.*

Oleum Hyoſciami expreſſum.

Paratur ùt Oleum Erucæ.

Cujus uſus in Phlegmone & exulceratione partium pudendarum utriuſque ſexûs præ reliquis commendatur.

OLEUM HYPERICONIS P.A.R.

℞. Florum Hyperici ad maturitatem ſeminis ferè accedentium contuſorum libras tres;
Croci ſcrupulos quatuor,
Olei clari, libras duas.

Poſt factam trium dierum maserationem, bulliant ad humiditatis aquoſæ conſumptionem, poſtea exprimantur, & expreſſum commiſceatur cum

Terebinthinæ claræ, libra una.

VIRES & USUS.

Dolores Arthriticos, Podagricos, Iſchiaticos, & Varicoſos *calefaciendo mitigat, innervorū puncturis & vulneribus efficax eſt, & illitu ac fotu convulſiones prohibet, ambuſtis citatrices inducit, & vulnera glutinat.*

Oleum Jaſmini.

Fit ex Floribus Jaſmini, & oleo veteri claro, ut Oleum Cheyrinum.

VIRES & USUS.

Frigidis affectibus adfert remedium, unde partibus calefactionem, & relaxationem deſiderantibus utiliter adhibetur; Chamemelino aut Cheyrino *viribus proximum.*

OLEUM IRINUM MESUE.

℞. Radicum Ireos, libras tres,
Florum ejuſdem, libras ſex,
Macerentur in Decocto aliarum

Radicum Ireos quantum ſufficit; poſtea addantur.
Olei veteris libræ duæ.
Coquantnr & exprimantur.

Vim habet calefactoriam & emmolientem, roborat, tenuat, reſolvit, tergit, & maturat. Datur iis qui cicutam, Coriandrum aut fungorum venenum hauſerunt, ùt præſentiſſimum Alexipharmacum.

OLEUM LAURINUM EXPRESSUM. P. A. R.

℞. Baccarum Lauri recentium electarum maturarum, & contritarum, q. v.

Ea in aqua coquantur, colentur, & exprimantur; cui expreſſo, poſtquam refrigeratum fuerit, oleum ſupernatat.

ANIMADVERSIO ET USUS.

I. *Difficulter hoc Oleum ob defectum recentium Baccarum Lauri apud nos parari poteſt, cùm tamen à Vulgo & Empyricis frequentius expeti ſoleat, etiam ex ſiccis Baccis induſtriâ Pharmacopæorum paratur.*

II. *Uſus ejus eſt tum in Scabie, tum ad abigendos & necandos pediculos. Alias ejus vis eſt calefactoria vehemẽs, emmolliens, attenuans, & aperiens.*

OLEUM LILIORUM ALBORUM.

℞. Florum Liliorum alborum, abjecto quod croceum eſt.
Olei ana libras tres.

Macera & inſola per dies octo, poſtea coque & exprime.

VIRES & USUS.

Dicitur & Crininum, Lilinum, ac Suſinum, in doloribus quibuscunque, inprimis verò à tenſione ſubortis hoc commendatur, inflammationi etiam & membris igne combuſtis prodeſſe dicitur, unde ſat frequenter ad uſum expetitur.

Oleum Lini.

Lini ſemina contuſa & aſſata fortiter exprimantur.

VIRES & USUS.

Anodynum eſt, & in plurimis affectibus uſitatiſſimum, Manardus *id* Plevriticis *linctu aut potu ad uncias duas vel tres exhibebat; quod magnoperè approbat* Geſnerus *in Epiſtola quadam ad* Clar: Adolphum Occonem *data*: Sputum promovet & Alvum ſolvit, externè ad ambuſta & hæmorrhoidum cæcarum dolores adhibetur.

OLEUM LINI. MAGISTRALE COMPOSITUM.

℞. Herbæ Tuſſilaginis,
Veronicæ,
Scabioſæ,
Betonicæ,
Pulmonariæ, ana manipulos duos.
Foliorum Thee, unc. ſemis.
Radic. Ariſtolochiæ, rotundæ.
Enulæ campanæ, ana unciam unam.

Inciſ: coqu. in ſ. q. Olei Lini ad conſumptionem humiditatis, colatura expreſſa ſervetur uſui.

In

In affectibuss pectoris multò efficacius quàm simplex à Pragensibus Practicis in comperto habetur.

OLEUM LUMBRICORUM TERRESTRIUM.

℞. Lumbricorum terrestrium, libr: semis.
Laventur in Vino, deinde immittantur in Olei Rosati, libras duas, Coquantur ad humidi aquosi consumptionem.

ANIMADVERSIO ET USUS.

Quandoque Compositum expeti solet, quod juxtà P. A. R. ex hujus Olei simplicis unciis tribus, Olei Hyperici *unciis duabus, & Olei destillati* Rosarum *scrupulo uno paratur. Anodynum est, cujus fotu nervi recreantur, unde in Nervorum vulneribus eorumque resolutionibus utpotè expertum commendatur.*

Oleum Majoranæ.

Paratur ut Oleum Cheyrinum.
Nervinum, resolvens, & anodynũ est.

OLEUM MASTICHINUM AUREUM.

℞. Herbæ Absynthii,
Menthæ crispæ.
græcæ.
Rutæ hortensis,
Abrotani ana manipulos duos,
Incisis his herbis recentibus & succulentis affund:
Vini Moschatellini libra una.
Stent per noctem in digestione dein add:
Cinnamomi,
Caryophyllorum,
Calami aromat:
Zedoariæ,
Galangæ minor.
Macis,
Corallior. rubr.
Perlarum orient.
Succini albi, ana drach. unam.
Spicæ celticæ,
Flor. Lavendulæ,
Anthos,
Mastichis, ana unciam unam,
Grosso modo incisa & contusa coquantur in
Olei Olivarum, libra una semis
Ad consumptionem humiditatis, oleum expressum & colatum servetur usui in vitro crasso bene munito.

ANIMADVERSIO ET USUS.

Super species remanentes affundatur novum oleum & denuo coquatur, & exprimatur, quod multis usibus externis adhuc aptum est adversùs vomitum sedandum & alvi fluxus abdomini illinitum. Prius verò singulare stomachicum & nervinum est tam intrinsecè sumptum, quàm extrinsecè illitum, Cerebrum enim, nervos & junctura roborat.

OLEUM MASTICHINUM SIMPLEX MESUE.

℞. Olei Rosati, libram unam.
In qua dissolve
Mastiches, unc. tres.
Fiat colatura.

Inter Stomachica locum invenit: præsertim ubi Ventriculus laxus est, & vomitus aut alvi fluxus adsunt,

commodiſſimè aliis medicamentis addi ſolet.

Oleum Menthæ.

Fit ex Mentha criſpa cum oleo, ùt oleum Abrotani.

Ventriculo imbecillo, & refrigerato *adhibetur*, *eum namque calefacit*, *roborat*, nauſeam *abigit*, vomitionem *ſiſtit*, appetitum *excitat* & concoctionem *promovet.*

Oleum Momordicæ.

Fit ex Pomis Momordicæ recentibus maturis in fruſta inciſis & oleo amygdalarum maceratis.

Cujus virtus innumeris laudibus deprædicatur ob vim ejus Balſamicam & conſolidantem, ità ut Lonicerus *autumet membra etiam diſſecta beneficio ejus conſolidari poſſe. Aliàs etiam ad Partum difficilem & fiſſuras mamillarum conſolidandas adhibetur.*

OLEUM MYRTINUM

℞. Olei Olivarum, libras tres,
Myrtillorum, libram unam.

Myrtilli contundantur, aut ſi ſiccati fuerint Vino conſpergantur, poſtea ad humiditatis aqueæ exhalationem coquantur, & colentur.

Vires hujus Olei adſtringentes & refrigerantes, celebrantur. Vid: Galen. 1. de Comp. med. ſec. loc. cap. 2. *aliàs à Veteribus ex teneris* Myrti foliis *parabatur. De quo legi poteſt* Dioſc. Lib. 1. cap. 48. & 155.

OLEUM NARDINUM

℞. Olei Seſamini, libram unam ſemis,
Spicæ nardi aromaticæ, uncias tres.

Poſt factam digeſtionem colentur.

Ad omnis generis affectus partium nervoſarum & membranoſarum deſtinatur ob vires ejus balſamicas & roborantes, unde Veſicæ injectum ejus dolori ac calculo renum opitulatur.

Oleum Nucum Juglandium expreſſum.

Modus exprimendi cum Amygdalis convenit, citrà decorticationem, modicâ verò ignis toſturâ ante expreſſionem opus habent.

Subſtitui ſolent quandoque oleo Amygdal: dulc: pro ratione petentis, modò vetuſtate non rancescat. Aliàs inter anodyna computatur.

Oleum Nymphææ Coctum.

Fit ex Floribus Nymphææ, admodum Olei Abrotani.

VIRES & USUS.

Vis ejus refrigerans & anodyna eſt, unde ſomnum conciliat & tentiginem veneream minuit, illitum aut injectum, gonorrhæam arcet.

OLEUM OVORUM.

℞. Ovor: recentium ad duritiem coctor. Numerò Centum, poſtea Vitellos exime, & comminutos aſſa in ſartagine, donec ru-

ruffeſcant, & pingvedinem quandam emittant: deinde adhuc exferventibus & forti ſacculo incluſis oleum exprime.

VIRES & USUS.

Impetiginem, Serpiginem, *aliaque cutis vitia, item* Papillarum & labiorum fiſsuras *ſanat, ambuſtis & hæmorrhoidum cæcarum doloribus opitulatur. Et ſi cum* Oleo Hypericonis, *aut* balſamo Peruviano *commiſcetur, teneſmum ſopit.*

Oleum Papaveris albi.

Paratur ùt Oleum Erucæ.

Utile eſt anodynum ad ardorem febrium mitigandum, præterea capitis dolores tollere & ſomnum conciliare perhibetur temporibus illinitum.

OLEUM de PIPERIBUS MESUE.

℞. Piperis longi,
albi,
nigri, ana drachm. tres.
Myrobalan: Chebul.
Emblicor.
Indor: ana drachmas quinque,
Radicum Apii,
Fœniculi ana drachmas tres ſemis.
Turbith, drachmas duas,
Zinziberis, drachmas tres.
Sumit: Hyſſopi,
Rutæ viridis ana manipulum unum.

Coquantur in quantitate aquæ ſufficienti ad tertias, colaturæ adde

Olei Amygdal. dulc. libr. duas.
Recoque ad conſumptionem Aquæ, in fine addendo ſequentia
Gummi in Aceto diluta:
Sagapeni,
Opopanacis,
Ammoniaci ana drachm. duas ſemis.

VIRES & USUS.

Eſt rubefaciens & reſolvens, unde cerebri & nervorum frigidas noxas propellit, menſes evocat & ventriculum debilem firmat.

Oleum quatuor ſeminum frigid: majorum.

Parantur ad normam aliorum ſeminum, niſi quòd decorticari debeant. *Virtute gaudent anodina & infrigidante.*

Oleum Roſarum.

℞. Olei communis,
Roſarum damaſcenarum nondum penitus apertarum & contuſarum ana libr. quat:
Macera & inſola per dies octo, poſtea cola & exprime.

ANIMADVERSIO ET USUS.

I. Nonnulli tres inſtituunt infuſiones, pro ſingulis uncias ſedecim Roſarum recipientes, in ultima verò infuſione Roſas relinquentes.

II. *Refrigerandi illi vires tribuuntur, inflammationibus & ambuſtis adhibetur. Diverſa ingreditur unguenta.*

Oleum Rutæ.

Paratur ex Ruta & Oleo vulgari ùt Oleum Abrotani.

Carminativum, tum abdomini illinitum, tum clysteribus immixtum.

Oleum Sambuci.

Fit ex Floribus Sambuci & oleo clariſſimo ùt oleum Abrotani aut Chamomillæ.

Diſcutiendi vires cum Anodynis junctis poſſidet, Cutem mundificat, unde & articulorum, ac nervorum doloribuss opitulatur.

OLEUM SCORPIORUM.

℞. Scorpionum numerô triginta.
Olei Amygdal: amar: libr. duas.
Macerentur in Vaſe vitreo ſtricti orificii per dies triginta in loco calido, poſtea colatum ad uſus reponatur.

VIRES ET USUS.

Diureticum eſt, & hinc ad Urinam promovendam, tum lumbis nonunquam illinitur, tum clysteribus additur: ictus quoque tum ipſius hujus animalculi tum alios venenatos ſanare creditur.

OLEUM SCORPIONUM MAGNUM MATHIOLI.

℞. Olei olivarum vetuſtiſſimi libras tres,
Florum Hyperici virentium ac modicè conquaſſatorum manipulos tres.
Inſolentur ſimul in vaſe vitreo probè obturato recondita per dies decem vel duodecim, dehinc in calente Balneo Mariæ macerentur horis viginti quatuor, tum verò colentur & exprimantur.

Hoc facto:

℞. Florum Hyperici recent.
Herb. Chamædryos,
Calaminthæ,
Cardui benedicti ana manipulum unum.
Flores & Herbæ priùs contuſæ oleo admiſceantur, macerenturque in Balneo per triduum, poſtea colentur & exprimantur.

Poſt hæc:

℞. Florum Hyperici à Caulibus repurgatorum, ac modicè contuſor. manip. tres.
Submerganturin eodem oleo, ac per triduum itidem in Balneo macerentur, colentur, & exprimantur, eandem infuſionem readſumptis ſemper recentibus floribus ter vel quater reiterando, donec oleum ſangvineum colorem acquirat.

His peractis.

℞. Granorum viridium Hyperici, quod defloruit, in cacumine. Plantæ natorum, in quibus ſemen continetur, manipulos tres.

Contundantur & Vino albo meraco perfuſa in prædictum oleum immiſſa per octiduum inſolentur, poſtea verò tridui ſpatio in Balneo macerentur, colentur & exprimantur, labo-

rem

rem hunc novis ſemper redaſſumptis ſeminibus ter vel quater ſic tepetendo, ut oleum obſcuri ſanguinis colorem referat. Tunc verò

℞. Scordii recentis,
Calaminthæ,
Centauri minoris,
Cardui Benedicti,
Verbenacæ, (pul. ſemis.
Dictamni Cretici, ana manipulum unum.

Tuſa, ac in oleo priore demerſa per biduum in Balneo macerentur, colentur & exprimantur ùt ſuprà. Poſtea

℞. Zedoariæ,
Rad. Dictamni,
Gentianæ,
Tormentillæ,
Ariſtolochiæ rotundæ, ana drachmas tres.
Scordii, manipulum unum.

Hæc omnia tuſa ùt priùs in Balneo adfuſô priore oleô per triduum rurſus macerentur, colentur, & exprimantur: expreſsô & colatô huic infunde denuò

Styracis calamitæ,
Laſeris, ſeu Benzoini, ana drachmas ſex.
Baccarum Juniperi, unc. ſemis.
Melanthii, drachmas duas.
Caſſiæ ligneæ, vel Cinnamomi odoratiſſimi, drachmas novem.
Junci odorati, ſeu Schœnanthi,
Cyperi rotundi, ana drachm. unam ſemis.
Sandali albi, unciam ſemis.

Contuſa in oleum immittantur, rursúsque ùt antea per triduum in eodem rorido Balneo macerentur, tum colatum ac expreſſum oleum calens ſuperinfundatur trecentis ſcorpionibus vivis diebus canicularibus lectis, qui priùs vitreo vaſe concluſi, ac calidis cineribus ſuperimpoſiti in iram exarſerint, & ſudare inceperint. Hi unà cum hoc oleo tridui ſpatio in Balneo macerati exprimantur, oleúmque abjectis ſcorpionibus percoletur.

In hoc rurſum infunde

Rhabarbari ſelectiſſimi,
Myrrhæ, (mam unam.
Aloës Hepaticæ, ana drach-
Spicæ Indicæ, drachm. duas.
Croci, drachmam unam.
Theriacæ,
Mithridatii, ana unc. ſemis.

Tundenda contundantur ac cum cæteris oleo prædicto immergantur, macerentúrque ſic ſimul omnia in Balneo calente per triduum, poſtea abſque colatura reponantur in uſum.

VIRES & USUS.

Viperarum, aſpidum *ac* venenatorum animalium morſibus *auxilio eſt; pulſibus ac extimæ cordis parti ad ſiniſtram mamillarum inunctum, repetitâ per ternas horas illinitione, omnibus venenis per os aſſumptis, ſi modò ea erodentia non fuerint, efficaciſſimè ſuccurrit, quin etiam peſtiferis morbis ſic adhibitum medicatur, nec non ab iiſdem præſervat.*

Oleum Seſamini:

Fit ex ſemine Seſami eodem modo, quô oleum Hyoſciami.

In viribus æquiparatur oleo lini, *clarum eſt & candidum, guſtu in cibis ac dulcedine delicatiſſimum, unde & pro culinis expetitur.*

OLEUM SPERMATIS RANARUM.

℞. Spermat. ranarum, libras tres.
Decantatâ omni aquâ affundãtur
Olei olivarum, libræ duæ.
Lentiſſ. igne decoquantur continuò agitando ad humiditatis conſumptionem, dein colatura ſervetur uſui.

Anodynum eſt & demulcens, inde ad ambuſta expetitur.

Oleum Tamariſci:

Paratur ex floribus & cortice aceto irrigatis, & cum ſ. q. olei decoctis ad aqueæ humiditatis conſumptionem, oleum colatum & expreſſum uſui aſſervatur.

Uſurpatur ad Lienis obſtructiones, *ac* tumores ſcyrrhoſos *emolliendos.*

Oleum Tartari per deliquium:

Fit ex Sale Tartari fixo per deliquium ſoluto.

Digerit & aperit, unde Hypochondriacis & Nephriticis *auxiliatur.*

Oleum Verbaſci Florum:

Paratur ùt oleum Cheyrium.

Ad Podagricos & alios dolores, *præſertim* calidos *laudatiſſimum, cõmendatur etiam in hæmorrhoidibus.*

Oleum Violarum Florum:

Pararur ùt oleum Roſarum.

Refrigerans & leniens eſt, unde in inflammationibus & intemperie calida, *præſertim in* dolore hæmorrhoidum *altiùs* fixo *medetur.*

OLEUM VULPINUM COMPOSITUM MESUE.

℞. Vulpem integram exemptis interaneis,
Aquæ fontanæ, libras tres.
Olei veteris clari, libras quatuor.
Salis, uncias ſex.
Coquantur, & inter coquendum adjiciatur
Anethi,
Thymi, ana libra una.
Coctionem continuando, donec ab oſſibus recedat caro, & aqua conſumatur, deinde coletur & reponatur.

ANIMADVERSIO ET USUS.

Vulpes bene habita & vegetâ, non ſtrigoſa, ætatis mediæ, non juvencula aut recens nata eſto. Potentiſſimæ in digerendo & diſcutiendo facultatis eſt, quo nomine ad nervoſi generis injurias frigidas & articulorum affectus & contracturas præcipuè valet.

OLEA DESTILLATA.

OLEUM ABSYNTHII.

℞. Sumitatum Abſynthii ad maturitatem ſeminis accedentium, quantùm vis.
Incidantur, atque cum aqua fontana deſtillentur per veſicam, & exibit aqua cum oleo; ſeparetur oleum per bombacem vel vitrum, quod communiter ſeparatorium dicitur.

Uſus

Usus hujus olei idem est cum vegetabili suo, è quo extractum est: sicut etiam subsequentia plura naturam æmulantur eorum, è quibus prolecta sunt; Vires tamen longè potentiores & in minima quantitate exerunt.

Hac ratione paratur:

Oleum Hyssopi.
Melissæ,
Menthæ,
Origani,
Pulegii,
Rutæ,
Sabinæ,
Salviæ,
Saturejæ,
Serpilli,
Tanaceti,

OLEUM ANETHI.

℞. Seminis Anethi contusi quantum libet,
Cum aquæ fontanæ s. q. infundatur, postea destilletur per vesicam, & oleum separetur ab aqua.

Eodem modô fiunt:

Oleum Angelicæ,
Anisi,
Carvi,
Coriandri,
Cumini,
Fœniculi,
Baccarum Juniperi.
Petroselinum.

Oleum Animale Dippelii.

Describit hoc Celeberrimus Author in Disquisitione *Vitæ animalis morbus & medicina.* intitulata sub nomine Christiani Democriti pag. mihi 89. & 90. sequentibus; inquiens: Non possum, quin hìc in commodum Proximi communicem medicamentum, quo omnes omninò febres intermittentes, unicâ saltèm administrata dosi, solutas esse sæpissimè comperi, & quidem operatione satis mirabili; somnô enim corripiebantur decumbentes, & protracta per horas nonnunquam quindecim dulci quiete, florescente & vivido faciei colore conspicua, frustrantes paroxysmum sani resurgebant, denon recursuro hoste securi. Eâdem stupenda vi somniferâ in ægrotis, cùm sanis nullum omnino somnum inducat, sopivit convulsionum miserandarum tragœdiam, qua æger libero aëre quasi suspendebatur, mentis & sensuum, etiam extra paroxysmum, impos, & creditus à cacodæmone agi: inducto enim somnô triginta horarum incolumem stitit ægrum, loquelâ & intellectu simul redintegratis, & omnibus medicis, qui operam locaverant, unà cum præsentibus aliis quasi attonitis, ac tum de veritate lapidis Philosophici, & medicinæ universalis ferè persvasis, licèt vilissimum & abjectum Pharmacopæis fuerit medicamentum; patientibus tamen manibus elaboratum: cujus sapori grato & aromatico si corresponderet odoris gravè penetrantis conditio, esset quidem unum ex omnibus, quo maxima morborum coagulanti-

um pars uno quasi ictu citò, tutò, & jucundè amputari posset. Est istud oleum destillatum, & separatum à suo sale, ex animalis partibus quibuscunque, ex cornuta sinè ullius rei additione eò usque rectificatum, donec nil adustarum fœcum nigrarum amplius in fundo relinquat, quod vel quindecim ad minimùm repetitionibus obtinetur. Istud inquam oleum 30. vel 40. guttarum pondere ante paroxysmum jejuno stomacho exhibitum, somno dulci & de nulla narcosi suspecto, febres repelit; nulla alia de causa, quàm quod anodyna vi dolentem ventriculum soletur, ac penetrante incisione tumorem pylori emmolliat, sicque coarctatis bilis & succi pancreatici ductibus viam liberam aperiat, naturali lege rursùs coeundi, ac munera destinata subeundi. Ex quibus his colligere licet Oleum hoc Animale nil alud esse, quàm Oleum Cornu Cervi fœtidum, aut ex quacunque alia parte Animalis toties ùt dictum est rectificatum. Quod si compendiosius id parare liceret, posset rectificatio institui ex Cucurbita balneo Arenæ, imposita, per Alembicum; aut si oleo fœtido Cornu Cervi rectificando Calx viva adderetur.

Oleum Anthos.

Flores Rosismarini siccos contunde, & cum Aqua calida parùm maceratos destilla per vesicam, ac oleum ab aqua separa.

Ità etiam paratur.

Oleum Chamomillæ vulgaris
Lavendulæ,
Majoranæ,
Rosarum,
Spicæ,
Thymi.

Oleum Antimonii

Vide Butyrum.

OLEUM AURANTIORUM CORTICUM.

℞. Corticum exteriorum recentium, non putridorum. Pomorum Aurantiorum sufficientem quantitatem.

Incidantur, & absque præcedente fermentatione vel maceratione, copiosius quidem, sed tamen deterius Oleum daturis, cum Aqua fontana destillentur per vesicam; oleum postea ab aqua separando.

Eodem modo fiat
Oleum Citri Corticum.

OLEUM CHAMOMILLÆ COERULEUM.

℞. Flor. Chamomillæ à stipit: mundator: Repleto eis vesicam ad dimidias, ac affunde aquam fontanam tantùm, ùt tertia pars maneat vacua, hoc factô incalescat aqua cum floribus, & eis affunde Olei Petræ albi, q. s. tunc apositô capitellô ità stent per 2. vel 3. dies, postea destilla, & cum aqua exit oleum pulcherrimi cœrulei coloris.

ANI-

ANIMADVERSIO ET USUS.

I. *Si vesica continet 30. libras aquæ, tunc olei Petræ addi possunt unciæ tres.*

II. *Vires hujus olei sunt insignes contra catarrhos à frigido exortos, si vertici & temporibus illinitur: Auribus immissum sedat dolorem, pariter ac denti cavo immissum. Internè est egregium Anticolicum & Nephriticum ad guttas 10. vel 20. propinatum.*

OLEUM BENSOI.

℞. Benzöi electi quantum vis.

Pulverisetur, & affusâ Aquæ Rosarum s. q. destilletur per Retortam vitream in arena, servatis ignis gradibus. Oleum ab aqua separetur modo usitatô.

Valet in catarrhosis pectoris affectibus, commendatur quoque ad vulnera & ulcera, odontalgicum etiam est remedium.

OLEUM BETULINUM *seu* BIRKLIANUM.

℞. Corticum Betulæ exterior: alb. Resinæ albæ, ana libras duas,
Conorum Pini, libr. unam sem.
Sumitat. Abietis,
Pini,
Piceæ,
Herbæ Arthemisiæ,
Serpilli,
Rorismarini sylvestris,
ana libram unam.
Concisa misce, & per retortam, aut alembicum ferreum destillentur.

ANIMADVERSIO ET USUS.

I. *Denominatur oleum hoc* Birklinum, *partim quod fiat ex* Corticibus Betulæ, *partim quòd hujus compositionis Frater quidam* Pharmacopæus *ad St:* Clementem Birkl *cognomine Author fuerit.*

II. *Aliàs etiam ex Litwania ad nos defertur, cujus modum parandi* Hyeronimus Revsnerus observ. Medic. à Welschio edit. *docet; nimirùm:* Si ramus Betulæ accensus stanno frigido admovetur, ut in eo fumus coeat & fuligo coligatur, ex qua demum L. A. oleum elicitur, cujus odor simillimus est illi corio Bubulo Juchten dicto, quod ex Russia ad nos apportatur hoc oleo curatam cœcitatem testatur Revsnerus *in observationibus citatis, aliàs à* Lithvanis *contra subluxationes, tam in- quàm externè in Balneis cum fructu adhibetur.* Vid. Annal. Phys: Med. Wratislav: Mens. Novembr: 1725. Class. IV. pag. 555. & sequ.

III. *Usurpatur nostrum quandoque internè ad aliquot guttas in debilitatibus ventriculi, in Colica à causa frigida exorta, & aliis doloribus scorbuticis. Externè verò in tinnitu aurium, odontalgia adhibetur, umbilico illitum vermes necat, & uteri affectibus medetur.*

OLEUM CAMPHORÆ.

℞. Camphoræ, libram ſemis.
Argillæ, libram unam ſemis.
Miſceantur diligentiſſimè, & ex retorta in arena lento igne deſtillentur, aſcendítque cum Phlegmate oleum, quod ſeparandum eſt.

Senertus *hoc oleum utpotè ſummum diaphoreticum & alexipharmacum in peſte recommendat, ad præſervationem & curationem ad aliquot guttas datum. Obtinet quoque vim coſmeticam, & partibus gangrænoſis prodeſt.*

OLEUM CARYOPHYLLORUM.

℞. Caryophyllorum aromaticorum ſufficientem quantitatem.
In pulverem craſſiuſculum contuſis affundatur aqua tepida, & poſt quatriduanam digeſtionem, ex veſica deſtillentur, ſeparetúrque oleum more ſolito.

Modum conficiendi eundem habent:
Oleum Cinnamomi,
Macis,
Nucis Moſchatæ,
Piperis,
Zedoariæ.

OLEUM CERÆ RECTIFICATUM.

℞. Ceræ flavæ puræ, libr: unam.
Huic in retorta capaci liquatæ ſuper injice largam cineris cribrati quantitatem ex: gr. libras ſex, ut retorta eò impleatur, poſtea igne per gradus aucto, ex arena deſtilletur. Prodibit primò Phlegma, deinde Spiritus, & demum ſequetur liquor qui in recipiente inſtar butyri coagulatur. Ex butyro jam cum calce viva per retortam rectificetur oleum, quodſi clarum non tranſiret, bis vel ter rectificandum eſt.

VIRES & USUS.

Spiritus eſt aperiens & in dolore nephritico ſingularis, ad guttas viginti exhibitus. Butyrum tumores reſolvit, & dolores artuum ſedat, Paralyticis, ad perniones & papillarum fiſſuras confert. Olei vires ſunt anodynæ, & reſolventes, unde in tumoribus contumacioribus, & affectibus nephriticis laudatur. Internè ingens eſt diureticum ad urinam & calculum pellendum ad guttas tres vel quatuor exhibitum.

Oleum Cornu Cervi fœtidum.

In præparatione ſalis volatilis & ſpiritûs Cornu Cervi oleum fœtidum ſeparatione acquiritur. Quod cum Cineribus oſſium calcinatorum vel calce viva mixtum per retortam L. A. rectificatur.

OLEUM GUMMI AMMONIACI.

℞. Gummi Ammoniaci puriſſimi, libram unam.

Si-

Silicum calcinatorum, aut Arenæ optimè lotæ & ſiccatæ libram unam ſemis.

Deſtillentur in Arena per retortam vitream, & prodibit liquor albus cum oleo; quod ſeparandum eſt.

Eadem ratione paratur:

Oleum Gummi Bdellii,
Galbani,
Maſtichinum,
Myrrhæ,
Pini,
Styracis,

Oleum Ligni Buxi.

Lignum Buxi in ſcobem redactum in vaſe capaci cum magna aquæ quantitate maceretur per 14. dies, poſtea ex veſica, igne moderato deſtilletur & oleum ab aqua ſeparetur.

Quod adverſus febres, vertiginem, morbum Caducum, hæmorrhoidum dolores, odontalgiam valere perhibetur.

Oleum ligni Gvajaci,

Vide Spiritus ligni Gvajaci. *Ubi & Oleum paratur.*

Oleum Ligni Rhodii.

Fit ùt oleum ligni Buxi.

Hoc ob odoris elegantiam multa Balſama ingreditur.

Oleum Ligni Saſafras.

Sume bonam quantitatem hujus ligni in ſcobem redacti; hanc immitte veſicæ magnæ, & ſuperfuſâ aquâ bulliente juncturis probè clauſis ſtatim & celeri igne deſtilla, & oleum fundum Aquæ petens, inſtar olei Cinnamomi, poſt plenariam ſubſidentiam ſeparetur & ſervetur.

ANIMADVERSIO ET USUS.

Lignum hoc ob rariorem texturam, & ſummam partium volatilitatem, nullâ maceratione opus habet, ſed ex tempore deſtillationi commitendum.

Oleum hoc gratiſſimum eſt Antiſcorbuticum, Diureticum, Pectorale & Emenagogum, *præterea ſpiritus confortat, & ventriculum roborat. Doſis ad guttas quinque.*

Oleum Petræ.

Aliàs etiam Petroleum dictum, potiſſimùm ex Gallia & aliis Provinciis ad nos defertur, penetrantiſſimi odoris eſt, unde ob vim ejus calefacientem rariùs internè adhibetur, quanquam id Agyrtæ in omnibus ferè morbis pro Panacæa impunè diſpenſare ſoleant.

Aliàs externè in doloribus dentium, Paralyſi, Pernionibus bonum eſt remedium, & ſi cum oleo Scorpionum permiſcetur illitum pubi urinam & calculum pellere perhibetur.

Oleum Philoſophorum Meſue.

Lateres in pulverem contuſi, & calefacti miſceantur cum olei olivarum clari ſ. q. ſive quantùm imbibere poſſunt; poſtea ex retorta, igne aperto, & per gradus adhibito S. A. deſtillentur, oleúmque prolectum ſuper cineres rectificetur.

In quibuscunque ferè doloribus à frigore

gore ſubortis & tumoribus ſimilibus commendatur.

Oleum Roſarum verum.

Dum deſtillatur aqua, oleum quoque obtinetur ſeparatione, præſertim dum Roſæ priùs ſale fuerint conſperſæ. Cephalicum eſt, & cordiale.

Oleum Saponis.

℞. Raſuræ ſaponis veneti, libram unam,
Arenæ mundæ, libras tres.

Mixta ex retorta igne arenæ deſtillentur in oleum, quod cum cineribus rectificetur.

Reſolvit imprimis & diſſipat frigidos tumores, nec non Paralyſi & Podagræ conducit.

OLEUM SUCCINI ALBI P.A.R.

℞. Succini albi craſsè contuſi libras tres.

Fiat ex retorta capaci, igne arenæ gradatim adhibitô deſtillatio, vas recipiens cum aqua calida, ut ſal volatile in ea ſolvatur, eluatur, quæ per chartam emporeticam priùs aquâ madefactam ob oleo ſeparetur, & poſt factam ejus exhalationem ſal colligatur. Oleum verô cum duabus partibus cinerum mixtum ex retorta lento igne rectificetur, oleum limpidum primò extillans ſeorſim aſſervando, alterum verò ſubſequens coloratius aliis uſibus deſtinando. Ità etiam paratur

Oleum Succini Citrini.

Utrúmque in Capitis & uteri affectibus præſtans eſt, menſéſque movet, & partum promovet, exhibetur ad guttas quinque. Et ſimilibus viribus inſtructum eſt Sal volatile ſuccini, quod ad totidem grana & ultra tum ad urinam tum fœtum movendum frequenter adhibetur. Gerardus Blaſius in Comment. in Begvinum meliorem modum Oleum ſuccini deſtillandi proponit; qui videri poteſt in Tyrocinio Chymico Begvini lib. II. Cap. VI. pag. m. 154.

Oleum Tartari fœtidum.

Vide Spiritus Tartari, à quo hoc Oleum ſeparatur.

Oleum Terebinthinæ.

℞. Terebinthinæ pellucidæ quantum volueris.

Deſtilletur lento igne ex veſica in cucurbita, vel per retortam, & prodibit præter phlegma acidulum, primo oleum album, quod *Spiritus* nomine vulgo donatur, poſtea flavum, & ultimo rubrum, quod fortiori igne erit extrahendum, hæc olea ſeparata reſerva; rubrum in arena poteſt rectificari.

ANIMADVERSIO ET USUS.

Confert membris frigore læſis, prodeſt etiam in fluore mulierum albo, quem brevi tempore ſanat ad guttas ſemptem vel duodecim exhibitum. Spiritus iisdem pollet viribus, qui vulnerarius & balſamicus eſt, hinc frequentiſſimè etiam in gonorrhœa virulenta adhibetur.

OXIMEL HELLEBORATUM MAJUS.

℞. Foliorum Rutæ,
Thymi,
Dictamni cretici,
Hyſſopi,
Pulegii,

Pra-

Praſij albi,
Cardui benedicti,
Spicæ celticæ,
Corticum Sambuci interiorum ana manipulum unum,
Calaminthæ montanæ Pugillos duos,
Seminis Anisi,
Fœniculi,
Ocymi,
Urticæ Romanæ,
Anethi, ana drachmas duas,
Radicis Angelicæ,
Althææ,
Ari,
Scyllæ præparatæ,
Turbith,
Aristolochiæ rotund: longæ,
Iridis vulgaris,
Coſti,
Polypodii ana unciã unam.
Hellebori albi,
nigri, præparati ana drachmas tres.
Eſulæ præparatæ, drachmas duas.

Infundantur triduo in libris ſeptem Aceti acerrimi, & Sapæ unciis duabus in vaſe vitreato bene obturato, ad ſolem vel ad fornacem: deinde in eodem vaſe, decoquantur ad medias; ſub finem decoctionis addendo:

Agarici electi, drachmas duas.

Coletur, & cum mellis Roſati citrati, & ſachari ana libra una fiat ſyrupus, qui ſub finem aromatiſetur cum Aromatibus ſequentibus, utpote:

Caryophyllorum,
Croci,
Zinziberis,
Galangæ,
Macis ana drachma una.

VIRES & USUS.

Abſtergit, incidit, aperit, humores malignos & excrementa è corpore protrudit, omnesque meatus reſerat, ùt prolixiùs ſcribit de uſu & viribus Caſparus Wolphius lib. 3. Epiſtolar: Gesnerianarum Tiguri ANNO 1577. excuſarum. *Doſis à drachmis duabus ad drachmas ſex.*

OXIMEL SIMPLEX.

℞. Mellis deſpumati & ad craſſam conſiſtentiam debitè cocti, libras duas,
Aceti acerrimi uncias decem.
Miſce.

ANIMADVERSIO ET USUS.

Attenuat humores craſſos, lentos incidit, viſcidos detergit, hinc obſtructiones aperit, unde convenit in affectibus pectoris pituitoſis, & aſthmaticis: ſed tuſſim excitat, hinc cavendum in principio morbi ob aceti acrimoniam, quæ materiam crudam acriorem reddere & tuſſim excitare poſſet; ſic & cavendum ab eo viribus deficientibus, quoniam fruſtra ad excretionem ſtimulatur æger, & ubi humores ſunt ſatis tenues. Datur ad unciam ſemis per ſe vel aquis appropriatis ſæpius de die.

OXIMEL SQUILLITICUM.

℞. Mellis deſpumati, libras tres,

Aceti ſquillitici, libras duas.
Coquantur lento igne ad perfectam conſiſtentiam.

VIRES & USUS.

Ad Pulmonum & Ventriculi affectus pituitoſos utile eſt, hinc conducit aſthmaticis, & in inſultibus epilepticis, Venarum enim obſtructiones inveteratas reſerat, craſſóſque humores potenter incidit. Datur à drachmis duabus ad unciam unam per ſe vel cum vehiculo appropriato.

OXISACHARUM.

℞. Sachari albiſſimi, libram unam
Aceti Vini, uncias quatuor,
Succi granatorum acidorum, uncias octo.
Decoquatur infimul unica ebullitione ad ſyrupi conſiſtentiam.

VIRES & USUS.

Putredini reſiſtit, craſſos humores attenuat, ſitim ſedat, & viſcerum inflammationem tollit. Doſis ad dramam unam.

P.

Panacæa Solaris,

Vide Pilul: Wildeg.

PANACÆA THOMSONIANA.

℞. Mercurii vivi purgati, uncias quatuor.
Florum ſulphuris, unc. duas.
Salis Ammoniaci, unc. unam ſemis.

Miſceantur exactè, donec nihil amplius Mercurii appareat, deinſublimentur, fiántque ad minimùm decem cohobationes, ſublimatum ſemper cum fœcibus rurſùs terendo, ultimatim augeatur ignis, ut candeſcat, fœces nigræ abjiciantur, & quod remanet in fundo ſervetur.

ANIMADVERSIO ET USUS.

Aliàs etiam Panacæa Cinnabarina, Mercurius Diaphoreticus ruber *dicitur, omnes enim in humano corpore humores venereos exſiccat, & vel per diaphoreſim, vel blandum ptyaliſmum ſubducit. Doſis eſt ad grana quindecim & ultra.*

PANIS CYDONIORUM *ſeu* MARMELADA SIMPLEX.

℞. Pulpæ Cydoniorum cum ſucco Cydoniorum per ſe taceum trajectæ & inſpiſſatæ,
Sachari albiſſimi, ana libras duas,
Coquantur leni igne in vaſe terreo ad debitam conſiſtentiam ad ſcatulas implendas.

PA-

PANIS CYDONIORUM AROMATISATUS.

℞. Panis Cydoniorum ſimplicis, libram unam.
Puiveris Cinamomi opt: drachmas duas.
Zinziberis, drach. un.
Caryophyllorum, ſcr:
Galangæ, (duos.
Macis,
Nucis Moſchatæ ana drachmam ſemis.
Commiſceantur lege artis pro Uſu.

Utriúſque Vires ſunt ſtomachicæ, præſertim aromatiſati, hinc in debilitate ventriculi, appetitu dejecto, & alvi profluviis exhibetur.

PASSULÆ LAXATIVÆ.

℞. Folior: Senæ Alexandr: unc. quatuor,
Cinnamomi electi,
Zinziberis ana ſcrupulos quatuor,
AquæEndiviæ, libr: duas ſemis
Infundantur per horas octo, deinde ebulliant, ac leniter exprimantur: huic decocto addantur
Sachari albi, unciæ quatuor.
Paſſularum minorum, mundatar: libra una.
Atque poſt juſtam coctionem reponantur.

VIRES & USUS.

Adſtrictam Alvum leniunt, fœcéſque detentas expellunt. Dantur Puerulis, delicatulis & hominibus alias medicinas purgantes reſpuentibus à drachmis duabus ad drachm: ſex.

Philonium Romanum,

Vide Electuarium.

PHLEGMA VITRIOLI *ſeu* ROS. P.A.R.

℞. Vitriolum commune depuratum; quo Cucurbitæ vitreæ humilis media pars impleatur, fiátque in Balneo Phlegmatis deſtillatio, quod Phlegma *ROS VITRIOLI* ſeu ſpiritus Vitrioli roridus nominari ſolet. Poſtea in arena ulterius urgeatur, & ſpiritus inde prodiens, qui *Spiritus Vitrioli volatilis* ſeu ſulphureus, dicitur, colligatur. Reſiduum retortæ bene lutatæ, tertiam ejus partem vacuam relinquendo, injectum, igne aperto gradatim aucto, in Spiritum, recipiente amplo colligendum, propellatur, uſque dum ſpiritus, nebularum ſub forma, prodire deſierint; tum abſque longiori mora, nè ſpiritus in Caput mortuum regrediantur, vas recipiens cautè eſt removendum.

VIRES ET USUS.

Phlegma ſeu Ros Vitrioli ad ardentes Capitis dolores, ſangvinem aduſtum mitigandum ac viſcera corroboranda ab Angelo Sala *commendatur. Doſis drachmæ duæ continuatim, ad aliquot dies in convenienti vehiculo. Externè ſcorbuticis oris ulceribus cum melle Roſarum aut ſimili adhibetur. Spiritus verò in variis febrium gene-*

ribus ſummæ utilitatis eſt, humorum enim putredini reſiſtit, eorúmque incendium prohibet, vitioſos corrigit, Phlegma conſumit, per urinas & poros cutaneos operatur.

PILULÆ.

PILULÆ de AGARICO Meſue.

℞. Agarici drachmas tres.
Iridis,
Marrubii ana drachm: unam.
Turbith, drachmas quinque.
Specier: Hieræ picræ Gal: drachmas quatuor,
Colocynthidos,
Sarcocollæ, ana drachm: duas,
Myrrhæ, drachmam unam,
Sapæ quantum ſatis eſt.
Fiat maſſa.

ANIMADVERSIO ET USUS.

I. *Quandocunque ſcribitur* Agaricum *in compoſitionibus Pilularum, intelligendum eſt, ut* Agaricus Trochiſcatus *ſumatur.*

II. *Thoracem à pituita putri & craſſa purgant, ob id antiquæ tuſſi & Aſthmati aliisque thoracis vitiis à craſſis ac pituitoſis humoribus ortis, auxiliantur. Doſis à drachma ſemis ad ſcrupulos duos; una drachma enim complectitur colocynthidis grana ſex, agarici grana novem, turbith grana quindecim.*

PILULÆ AGGREGATIVÆ.

℞. Myrobalanorum citrinarum,
Rhabarbari, ana drachmas quatuor.
Succor. inſpiſſ. Agerati,
Abſynth. vulg.
ana drachm. tres.
Diagrydii, drach. ſex.
Myrobalanor. Chebularum,
Indarum,
Agarici,
Colocynthidos,
Polypodii, ana drach. duas.
Turbith,
Aloës, ana drachm. ſex.
Maſtiches,
Roſarum,
Salis Gemmæ,
Epithymi,
Aniſi,
Zinziberis, ana drach. unam.
Cum Syrupo Roſato ſolutivo fiat Maſſa.

ANIMADVERSIO ET USUS.

Succi hìc & alii inſpiſſati, *qui pro maſſa* Pilularum *conficienda recipiuntur, ſi nimiùm indurati fuerint, priùs in liquore* (*utì hìc* in Syrupo Roſarum ſolutivo) *ſolvendi ſunt, antequam reliqua addantur.*

Meſue has Pilulas *utpote* Polychrestas *ad plurimos affectus recommendat*, omnes *enim* humores *purgant*, *unde* ad varios Capitis, Ventriculi, Jecorisque morbos, *ùt* & diuturnas *ac* complicatas febres *exiſtunt efficaces. Doſim Authot* ad drachmam unam & ultrà *præſcribit, hodie verò in minori doſi pro baſi quandoque ordinantur.*

PILULÆ de ALOE & MASTICHE.

℞. Aloës, unc. unam.
Maſtiches, unciam ſemis.

Caryo-

Caryophyllorum,
Roſarum rubrar. ana drach-
Croci, (mam unam.
Diagrydii, ana ſcrupul. duos.
Cum Succo Abſynthii formetur maſſa.

VIRES & USUS.

Nicolaus Mirepſi *has Pilulas ad* morbos ventriculi, *quem ſinè moleſtia purgant, recommendat, ex quo* bilem & pituitam *eliciunt, ac* nutritioni dicatis partibus *robur præſtant. Doſis ad drachmam ſemis & ultrà.*

PILULÆ ALOE-PHANGINÆ ſeu AROMATICÆ MESUE.

℞. Cinnamomi,
Cubebarum,
Ligni Aloës,
Calami Aromatici,
Nucis Moſchatæ,
Macis,
Cardamomi,
Caryophyllorum,
Radicum Aſari,
Maſtiches,
Schœnanthi,
Spicæ Indicæ,
Galangæ, ana unc. unam.
Abſynthii ſicci,
Roſarum rubrar. ana drachmas quinque.

Dimidia pars horum aromatum craſſiuſculè contuſa infundatur in aquæ libris quatuor: coquantur lento igne ad mediæ partis conſumptionem, deinde exprimantur & colentur. In colatura diſſolvatur Aloës ſuccotrinæ cum aqua pluviali elotæ, id eſt depuratæ libra una, & ulteriori coctu-

râ ad juſtam conſiſtentiam perducatur, ut cum reliqua aromatum parte ſubtiliſſimè tritâ, nec non
Pulv. Myrrhæ,
Maſtiches, ana drachmis quinque.
Croci, drachm. tribus.
Fiat Maſſa.

VIRES & USUS.

Ventriculum, Cerebum & ſenſoria omnia *ab* humoribus craſſis, putribus & pituitoſis *mundificant, ac inde* natos dolores *tollunt*, ſtomachi robur *augent*, coctionem *promovent*, appetitum *inſtaurant*, cruditates *abolent*, *ac* nutritioni dicatas partes pleráſque à noxiorum humorum, frigidorum *præſertim* accumulatione *tuentur. Doſis eſt ad drachmam ſemis.*

PILULÆ de Aloë lota.

℞. Aloës cum ſucco roſarum lotæ, unciam unam.
Agar. trochiſcat. drach. duas.
Maſtiches, drachmas duas.
Specierum Diamoſchi dulcis, drachmam ſemis.
Cum vino malvat. fingatur Maſſa.

USUS & VIRES.

Ventriculum, cerebrum, uterum & alia viſcera â putridis & pituitoſis humoribus *expurgant*, concoctionémque *promovent; doſis ad drachmam ſemis.*

PILULÆ de Aloë roſata.

℞. Aloës opt. quæ ſuccum Roſarum tertia vice imbiberit, atque reſiccata fuerit, unciam unam.

Ex qua cum vino formentur Pilulæ pro libitu.

ANIMADVERSIO ET USUS.

Eodem modo cum Infusione violarum paratur Aloe violata, *quæ plurium judicio* Pilulas *sic dictas* Francofurtenses *constituit, quamvis* Sylvius Angelicas Bejeri & Francofurtenses *easdem esse judicet Oper: p. m.* 96. §. 21. *Pilulæ* de Aloë Rosata *minus quidem purgant, magis tamen roborant, cruditates absumunt, adstrictam alvum solvunt, ac humorum putredinem arcent. Dosis ad drachmam semis & ultrà.*

PILULÆ AMARICANTES SIMPLICES.

℞. Fellis Bubuli inspissati.
Radicis Aronis.
Extracti fumariæ, ana unciam semis.

Misce fiant Pilulæ pondere granorum duorum conspergantur Pulvere Radicis Aronis, serventur usui.

PILULÆ AMARICANTES BALSAMICÆ.

Parantur, priores simplices malaxando cum sufficienti quantitate Opobalsami veri.

VIRES & USUS.

Singulares existunt præsertim balsamicæ in scorbuticis affectibus quibuscunque, stomachi quoque vitia corrigunt, Bilis inertiam emendant, unde & in cachexia commendantur, Urinam pellunt, ac obstructiones viscerum resolvunt. Dosis à scrupulo uno ad drachmam semis.

PILULÆ de AMMONIACO QUERCETANI.

℞. Balsami Alöetici seu Extracti Alöes succotrinæ, unc. quat.
Gummi Ammoniaci puri in aceto scillino dissoluti & per setaceum trajecti drachm. sex.
Myrrhæ electæ unciam semis,
Mastiches,
Specier. Diatrion sandal: ana drachmam unam semis,
Croci,
Salis Fraxini,
Absynthii, ana scrupulos duos,
Cum Syrupo de Stoechade vel de succo Rosarum, fiat Pilularum massa.

ANIMADVERSIO ET USUS.

I. *Has Pilulas* Riverii *esse fatetur* Quercetanus in Pharm. dogmat: restit: pag. m. 219. *ubi & illarum excellentiam fusius deprædicat.*

II. *Ad omnem denique totius corporis fœculentæ materiæ abundantiam educendam, cachexiam, febres inveteratas & diuturnas tollendas maximè conducunt, si quidem citra omnem molestiam & perturbationem exhibentur. Dosis ad drachm. semis.*

PILULÆ ANETHINÆ.

℞. Alöes Lucidæ,
Diagrydii sulphurati,
Trochiscor: Alhandali, ana drachmas duas.

Ma-

Magiſterii Jalappæ, drachm: unam ſemis.
Extracti Ellebori nigri, drach: unam.
Cum ſ. q. olei deſtillati anethi fiat Maſſa.

VIRES ET USUS.

Seroſos ac bilioſos humores ex univerſo corpore ad drachmam ſemis exhibitæ potenter evacuant, unde delicatioribus in refractiori doſi, aut cum aliis commixtæ exhiberi ſolent.

PILULÆ ANGELICÆ.

℞. Alöes Succotrinæ, libr. unam.
Quam diſſolve in
Succor: depurat: Cichorii,
Endiviæ,
Bugloſſi,
Borraginis,
Lupulorum,
Fumariæ,
ana unciis quatuor,
Roſarum Damaſcen: libra una.
Lento igne ad juſtam conſiſtentiam deducantur, ut cum ſequenti pulvere:
℞. Pulveris Rhabarbari electi, unc. unam.
Agarici trochiſcati unciam ſemis,
Cinnamomi electi drachmas duas.

Fiat Maſſa Pilularis.

ANIMADVERSIO ET USUS.

Dicuntur etiam Pilulæ de Aloë & Rhabarbaro, *quas nonulli non multùm differre à Francofurtenſibus autumant. Virtus harum Pilularum admiranda & nunquam ſatis laudanda exiſtit, quoniam ad omnium Viſcerum nobiliorum corroborationem commendantur, pravorum inſuper humorum correctionem & blandiſſimam evacuationem promovent, ut nullum planè ſit dubium, quin citâ & jucundâ ſua operatione omnibus abundè ſint ſatisfacturæ. Doſis harum æquè ad drachm: ſemis extenditur.*

PILULÆ ANTIPODAGRICÆ *vulgò* WRATISLAVIANÆ.

℞. Extracti Cochiarum,
Pulveris Trochiſc: Alhandali,
Scamonii ana ſcrupulos duos ſemis,
Hermodactylorum,
Extracti Turbith, ana drachm: ſemis,
Ellebor: nigri ſcrupul: unum, grana quinq;
Ligni Alöes,
Lilior: convallium,
Pœoniæ ana gran: ſex.
Vitrioli martis, ſcrupulum ſemis.

Olei nuciſtæ,
Salviæ,
Rutæ,
Aniſi, ana grana quatuor.

Miſce fiant cum aqua Epilept: Lang. & Aqua Salviæ. Pilulæ ex ſcrupulo uno numero ſex, deaurentur.

ANIMADVERSIO ET USUS.

Tum præſervativè, tum curativè ex-

exhibentur hæ Pilulæ omni menſe tribus diebus ante novilunium, per integrum annum, exceptis diebus canicularibus, prima die numerô tres, ſecunda die duæ, & tertia die planè ante novilunium unica ad noctem, deſuper quovis menſe exceptis canicularibus ſcarificatio in pedibus inſtituenda. Sunt quidam, qui has Pilulas taliter adhibitas ex effectu ſortito multùm extollunt, dantur autem & alii, qui tam moleſtam ſcarificationis curam improbant, & ſolis Pilulis contentantur. Plura legi poſſunt in Diſſert. Inaugurali Medica de affect: Arthrit. ſeu Articularibus à D.D. Geelhauſen Anno 1727. fol. 165.

PILULÆ APOPLECTICÆ D.D. Löw.

℞. Extracti Theriacalis,
Ligni Aloës,
Calami Aromatici,
Galangæ,
Croci, ana drach. ſem:
Maſſæ Pilular. de ſuccino Crat: unciam ſemis,
Succini catarrhalis, drachm. unam ſemis,
Lactis ſulphuris, drach: unam.
Bezoar: orient. ſcrupul. duos
grana quinque.
Cinnabaris nativæ præparatæ,
Salis volat: Cranii humani,
Viperarum,
Magiſterii Perlar. orient.
Croci Solis, ana drachm. unam
Miſce fiant cum Eſſentia Ambræ & Opobalſamo Pilulæ pondere grani unius ſemis.

VIRES & USUS.

Ex titulo patent. Præſervationis gratia, item pro confortando capite tres tempore decubitûs ſumantur.

PILULÆ ARABICÆ NICOLAI.

℞. Aloës optimæ, uncias duas,
Radicis Bryoniæ,
Myrobalanor: omnium,
Maſtiches,
Diagrydii,
Aſari,
Roſarum ana unciam ſemis,
Caſtorei, drachmam unam ſemis.
Succi fœniculi quantum ſatis eſt.
Formetur Maſſa.

VIRES & USUS.

Omnes humores purgant; Auditum amiſſum reparant, Vertigini, hemicraniæ, ac dolori capitis ſuccurunt,

PILULÆ ARTHRITICÆ D.D.F.

℞. Extract: Zedoariæ,
Galangæ,
Ligni Saſſafras,
Gvajaci,
Matris Perlarum, ana ſcrupulos duos,
Antimonii Diaphoretici, drachmam unam.
Olei Chamomillæ,
Saſſafras,
Menthæ ana guttas quatuor.

Miſce cum ſ. q. Syrup. de Abſynthio formentur Pilulæ inſtar Piſi minoris, conſpergantur pulvere liquiritiæ, vel Ireos florentinæ.

Vi-

Vires & Usus ex titulo patent. Dosis numerô septem, aut novem cum regimine calido.

PILULÆ ASSAJERETH AVICENNÆ.

℞. Specierum Hieræ picræ Galeni unciam semis,
Mastiches,
Myrobalanorum Citrinarum ana drachmas duas,
Aloës optimæ, unciam unam.
Cum Syrupo de stœchade vel Rosar: solut. formentur Pilulæ.

VIRES & USUS.

Bilem flavam & Pituitam leniter purgant, hinc & affectibus ventriculi, quibus Hiera remedio esse solet, & Capitis doloribus à vitiosis stomachi succis obortis auxiliantur.

PILULÆ AUREÆ NICOLAI.

℞. Aloës succotrinæ,
Diagrydii, ana drachmas quinque,
Rosarum rubrarum,
Seminis Apii, ana drachmas duas semis,
Anisi,
Fœniculi, ana drachmam unam semis.
Mastiches,
Pulpæ Colocynthidos,
Croci ana drachmam unam.
Mellis rosati solutivi q. s. est.
Fiat Massa.

VIRES ET USUS.

Caput expurgant, sensus omnes, præcipuè oculorum aciem exacuunt: flatus Ventriculi & intestinorum dissolvunt, ac citrà molestiam alvum dejiciunt, ad stomachicos colicos, nephriticos dolores, & inflatos valde cõmendantur. Dosis à scrupulo uno ad drachmam semis.

PILULÆ BALSAMICÆ MORTONIS.

℞. Millepedum præparat. unciam semis.
Gummi Ammoniaci in granis pulverisati drachm. sex.
Florum Benzoin, scrupulos octo,
Extracti Croci,
Balsami Peruviani nigri, ana scrupulos duos,
Sulphuris anisati q. s.
Misceantur & fiat Massa Pilularis.

VIRES ET USUS.

In affectibus pectoris & Pulmonum sero itidem in inferiore ventre contento opitulantur. Dosis ad drachm: semis.

PILULÆ BALSAMICÆ STOMACHALES ZWELFERI.

℞. Pulveris Succini albi præparati drachm. unam.
Olibani,
Mastiches,
Myrrhæ,
Gummi Animæ,
Ligni Alöes ponderos:
Nucis Moschatæ ana scrupulos duos,
Croci austriaci, drach: semis,
Radic. Doronici ver: drachm: unam semis

Resinæ storacis calamit: drach: unam.
Balsami indici de Peru,
Olei nucis moschatæ express: ana scrupulos duos,
Opobalsami veri orientalis q. s. pro Massa justæ consistentiæ efformanda,
Addendo ultimò
Olei destillati Cinnamomi, scrupulum unum.
Fiat Massa.

VIRES, & USUS.

Tanquam saluberrimum medicamentum confortativum Cerebri atque ventriculi Author id recommendat in sua Pharmacop. Regia Pag. m. 69. In Diarrhæa, Lienteria, fluxu hepatico, gonorrhæa virulenta, fluore albo muliebri, colica passione, & nephritico dolore emolumento est. *Dosis quinque vel sex Pilulæ justæ magnitudinis ad instar pisorum antè vel post cœnam sumendæ.*

PILULÆ de BDELLIO MESUE.

℞. Bdellii drachmas duodecim,
Myrobalanor: Chebularum,
Indarum,
Belliricarum,
Emblicarum,
Concharum venerearum ustarum,
Carabe ana drachmas duas semis,
Ammeos parùm tosti, drachmas tres.
Maceretur Bdellium in succo foliorum Porri, & formetur massa.

VIRES & USUS.

Concha Venerea describitur à Gesnero de crustatis ordine XV. fol: 254. *Tota intus candida est foris cortice lævis, atque varietate colorum & macularum insparsarum insignis.*

Exhibentur hæ Pilulæ ad fluxum hæmorrhoidum, & ulcera ex eis proventia, nec non ad menses immodicos cohibendos.

PILULÆ BECHERIANÆ *seu* POLYCHRESTÆ.

℞. Extracti Alöes,
Myrrhæ, ana drach: quatuor semis
Cochleariæ,
Cardui benedicti,
Absynthii, ana drachmas tres semis,
Ellebori nigri,
Fumariæ ana drach: duas,
Rhabarbari,
Centaurii minor: ana drachmam unam.
Terebinthinæ venetæ purissimæ drachmas tres.
Gummi Hederæ,
Juniperi, ana drachm: quatuor semis.
Liquefactæ leniigne terebinthinæ immiscentur extracta continuò ferreâ spatulâ agitando, donec intimè uniantur, dein purissima & subtiliter pulverisata gummata succesivè inspergantur continuatâ cum spatula agitatione usque dum omnia sibi invicem commixta uniantur, semifrigefacta demúm Massa adhuc manibus ma-

malaxanda, quæ in cartha cerata in loco temperato in uſum aſſervetur; vel formentur pilulæ pondere grani unius, quæ inargentatæ, ùt dictum, in loco temperato (ſecùs mollescunt) ſerventur.

ANIMADVERSIO ET USUS.

Multifariæ dantur harum Pilularum *deſcriptiones, prout in* Diſpenſatorio Boruſſo-Brandenburgico Annô 1714. edito pag. m. 142. *quo tempore* vivente Stahlio *compoſitio ſequens vel ab ipſo ſuggeſta, vel ſaltèm approbata, aut demum non rejecta eſſe creditur.*

℞. Extracti Cardui Benedicti,
Cochleariæ,
Abſynthii,
Ligni Quajaci,
Rhabarbari,
Granorum Kermes,
Croci Auſtriaci,
Mithridatii Veneti,
Gummi Hederæ,
Sandaracæ,
Aloës,
Myrrhæ electæ,
Florum Sulphuris, ana drachmam ſemis.

M. cum ſ. q. Elyx. Propriet. fiat maſſa pilularis.

Alia demum Deſcriptio habetur ex Obſervationibus Clinico-Practicis DD. Dieterici cap. de Hæmorrhoidibus pag. m. 20. quæ videri poteſt in Diſpenſatorio Viennenſi pag. 144. item in Tabula Smaragdina fol. 209. quæ tamen vel ex eo genuina eſſe non videtur, cùm ipſe Becherus in ſua Pſichoſophia pag. m. 240. dicat: in ſuis Pilulis nihil inexiſtere ex regno minerali, ubi tamen in hac deſcriptione Antimonium Diaphoreticum & alia continentur. Et ſimiles paſſim multiplices à multis diſpenſantur deſcriptiones, noſtra tamen ex plurimis in manuſcriptis piæ memoriæ D. D. Geelhauſen laboriosè conquiſitis, ex omnibus ejus fusè deſcriptis circumſtantiis, utpote magis genuina ex multiplicibus confirmata literis eſt deſumpta, in qua Extractum Aloës & myrrhæ purè gummoſum juxta pag. 17. de Aloë lota, & pag. 175. methodo Starckiana paratum ſumendum eſt.

Uſus & vires univerſales & polychreſtæ ſunt in omnibus ferè morbis chronicis, de quibus fuſiùs legi poteſt Author in ſua Pſichoſophia, & aliis paſſim typis divulgatis libellis. Seroſos namque & viſcidos humores glandulis & venis meſeraicis impactos reſolvunt, attenuant, & blandè ſubducunt; unde in omnibus obſtructionibus, menſium hæmorrhoidum, hypochondriorum *exiſtunt ſalutates.*

PILULÆ DE CASTOREO AVICENNÆ.

℞. Caſtorei,
Doronici,
Zedoariæ,
Nucis Moſchatæ, ana drachmam unam.
Sem. Apii,
Anethi,
Matris perlarum, ana ſcrupulos quatuor.
Hyoſciami, grana tria.

Formetur massa cum mucilagine Tragacanthi in aqua Arthemisiæ soluta.

VIRES & USUS.

Internis doloribus conferunt, crassos flatus dissipant, ac impeditas menstruas purgationes eliciunt.

PILULÆ CEPHALICÆ DD. Franchm.

℞. Mass. Pilul. de Agarico,
Fumariæ,
Lucis major. ana unc. unam.
Extract. Aloëphang.
Aurearum,
Cochiar. ana drachmas sex.
Colocynthidis,
Rhabarb. ana drachmas duas.
Ligni Aloës, drachmam unam.
Trochiscor. Alhandal. drachmas duas.
Pulveris Syrii, drachmas sex.
Olei Fœniculi, drachm. unam.
Misce, fiant L. A. Pilulæ pondere semi alterius grani.

VIRES & USUS.

In omnibus capitis affectibus, in quibus evacuatione opus est, leniter serosos & viscosos humores expurgant.

PILULÆ CICERUM TARTARI MYNSICHTI.

℞. Terebinthinæ Cypriæ in aqua violarum lotæ & in eadem ad justam consistentiam coctæ, uncias duas.
Acidi Tartari, unciam unam.
Specier. Diaireos simpl. drachmas duas.
Nitri præparat. drach. unam.
Misce, & manus immittendo in aquam violarum frigidam, formentur Pilulæ ad quantitatem cicerum.

VIRES, USUS ET DOSIS.

Felicissimè adhibentur in omnibus ægritudinibus Tartareis *à crassiore materia genitis; hinc per experientiam cognovisse licuit*, quosdam *harum Pilularum usu* instantes dolores Podagricos *adeò præcavisse, ut iidem aliquot annos non, vel tardiùs redierint, aut in quibusdam mitiùs saltèm afflixerint, & citiùs desierint.* Calculos renum & vesicæ *minuunt, atque expellunt. In* Asthmate, tussi, Phtysi, &c. aliisque morbis pectoralibus *valde celebres sunt; interdum per sudores & urinas operantur, proùt natura ægri in hanc vel illam pronior fuerit aut propensior. In præservatione Dosis singulis lunæ quadris* à drachma semis ad drachmam unam; *in curatione autem quotidie manè in aurora* à drachma una ad drachmam unam semis.

PILULÆ CLEMENTINÆ.

℞. Magisterii Perlarum,
Coralliorum,
Auri fulminantis,
Extracti Croci,
Trochiscor. Viperar. Roman.
Bezoar. orientalis,
Myrrhæ electæ,
Alöes pellucidæ, ana drachmam unam.

Lau-

Laudani opiati cum aqua calcis correcti, unciam unam semis.
Magisterii succini albi,
Specifici Cephalici Michäelis,
Lapidis Smaragdi præparati, ana drachmam semis.
Olei Caryophyllor. guttas 30.
Cinnamomi, guttas 10.

M. cum tinctura Coralliorum q.s. formentur Pilulæ pondere grani unius, deaurentur.

VIRES & USUS.

In variis affectibus tum præservationis, tum curationis gratiâ à multis annis ex Pharmacopæa Collegii S. J. ad St. Clementem *dispensantur; præcipuè verò in* Podagra, Arthritide, Catarrho, Colica, & uteri affectionibus *laudantur.* Laudanum opiatum *mediam ferè constituit compositionem, unde tres Pilulæ semialterum granum Laudani opiati continent. Dosis earum est ab una ad tres Pilulas; cavendum tamen est, nè exhibeantur, ubi opiata locum non habent.*

PILULÆ COCHIÆ RHASIS.

℞. Specier. Hieræ picræ Rhasis, drachmas decem.
Pulpæ Colocynthidos, scrupulos decem.
Diagrydii, drach. duas semis.
Stœchadis,
Turbith, ana drachm. quinque.
Syrupi de Stœchate, quantum satis est.
Fiat Massa.

VIRES & USUS.

Cephalicæ rectè dicuntur, eò quòd caput magnâ efficaciâ expurgent, ideóque à nervis crassos, pituitosos & frigidos humores *evacuant. Describuntur* à Rhase 9. ad Almansorem cap. I. *Dosis* ad scrupulum unum.

PILULÆ sinè CUSTODIA DD. Löw.

℞. Mass. Pilul. Tart. Schröderi,
Anethinarum,
de Amon. Querc.
Succin. Craton.
Papalium Urbani,
ana scrup. semis.

Misce cum Syrupo aperit. magistrali fiat massa, & formentur Pilulæ pondere granorum duorum.

VIRES & USUS.

In capitis & catarrhosis affectibus à pituitosis & bilosis humoribus natis auxiliantur, saburram *enim* tartaream *educunt*, & lienem, *ac* uterum *ab infarctu liberant. Dosis* à scrupulo semis ad unum.

PILULÆ de CYNOGLOSSO NICOLAI.

℞. Radicum Cynoglossi siccar.
Seminis Hyosciami albi,
Opii depurati, ana unc. semis.
Myrrhæ, drachmas sex.
Thuris, drachmas quinque.
Caryophyllorum,
Cinnamomi,
Styracis calamitæ, ana drachmas duas.

Cum Syrupo ex succo violarum & succo Cynoglossi, Lege Artis, formetur massa.

VIRES & USUS.

Catarrhos tenues *sistunt*, *ac* tussim *inde* natam *sedant*: omnibus *quoque* defluxionibus, *sive in* thoracem. *sive in* pulmones, dentes, *aut aliò ferantur*, *conferunt*; somnum *conciliant*, *ac* omnis generis dolores *placant*. *Unus scrupulus massæ, tria ferè grana opii continet, unde nec præmaturè nec longiori dosi exhibendæ*; *Veteres dabant à granis quinque ad grana septem*, de le Boë Sylvius *ad quatuor grana singulis bihoriis præbebat vetulæ mictione dolorifica laboranti. Quandoque sinè Opio expetuntur.*

PILULÆ DOMINARUM.

℞. Extracti Ligni Alöes,
Castorei, ana scrupulum unum.
Croci, scrupulum semis.
Salis Perlarum,
Coralliorum,
Jovis, ana grana quindec.
Pulv. viperarum, drach. duas.
Theriacæ Smaragdinæ, scrupulum unum.

Misce cum Mucilagine Tragacanthi (alii cum syrupo de Arthemisia) formentur Pilulæ pondere grani unius, quæ conspergi solent pulvere florum Lavendulæ.

VIRES & USUS.

Dicuntur vulgò Marquartische Pillen, *quas* Baroniſſa de Marquart *singulariter sibi & aliis tum in affectibus uterinis, tum aliis spasticis à* D.D. Cassinis *recommendatissimas habuit. Dosis* à granis tribus ad quinque & ultrà.

PILULÆ EMMANUELIS seu JESU CHRISTI.

℞. Alöes Hepaticæ, unc. unam.
Rhabarbari, drachmas duas.
Croci Austriaci,
Myrrhæ,
Agarici, ana drachm. unam.
Zedoariæ,
Gentianæ, ana drachm. semis.
Theriacæ optimæ, drachmas duas, aut q. s. est.

Pulverisatis omnibus, fiat ùt artis est massa.

ANIMADVERSIO ET USUS.

Alii has Pilulas solùm ex Aloë, Myrrha & Croco parare docent, quibus nomen exinde datum asserunt, quòd iisdem quidam hoc nomen gerens è Fuggerorum gente frequenter usus sit; *aliàs* ventriculum & intestina à flatibus *liberant*, *& blandissimè per alvum subducunt. Dosis* à scrupulo semis ad integrum & ultrà.

PILULÆ de EUPATORIO MESUE.

℞. Myrobalanorum Citrinarum,
Succor. inspissat. Agerati,
Absynth. ana drach. tres.
Rhabarbari, drach. tres semis.
Mastiches, drachmam unam.
Croci, drachmam semis.
Alöes, drachmas quinque.
Succi Endiviæ, quantùm satis est.

Fiat Massa.

VI.

VIRES & USUS.

Viſcerum obſtructionibus, atque lâctero medentur, febribus periodicis, complexis & diuturnis perutiles; lienis & jecoris obſtructiones reſerant, bilioſos, tenues & craſſos humores educunt.

PILULÆ de EUPHORBIO MESUE.

℞. Euphorbii,
Colocynthydos,
Agarici,
Bdellii,
Sagapeni, ana drachm. duas.
Aloës, drachmas quinque.
Cum Succo Porri fiat Maſſa.

ANIMADVERSIO ET USUS.

I. *Modus componendi hic eſt: ut Euphorbium acuratè tritum, cum Agarico trochiſcato in pulverem redactis, gummibus vinô priùs diſſolutis jungatur, cum quibus in mortario tepefacto, piſtillô calidô tam diu ſubigatur, donec in maſſam coëant; cui Aloë unà cum ſ. q. ſucci Porri addita permiſceatur, ac probè ſic cuncta ſimul unita Pilularis Paſtæ formam Lege Artis adipiſcantur.*

II. Pituitam craſſam *è partibus remotiſſimis potentiſſimè educunt*; nervorum *item* reſolutioni, ſyderationi, paralyſi, articulorum malis *à nimia humiditate profectis*, *ac* hydropicis *conferunt*, lumborum *quoque* doloribus, Iſchiadi & Podagræ *à frigidis & pituitoſis humoribus ortæ opitulantur, ſed non nisi robuſtis exhibendæ. Doſis* ad ſcrupulum ſemis & ultrà.

PILULÆ FAMILIARES D.D. CASSINIS.

℞. Extracti Alöes, unc. ſemis.
Ellebori nigri, drachmas duas.
Myrrhæ, drachmas tres.
Croci,
Maſtiches, ana drach. unam.
Miſce cum ſpiritu vini vel tincturâ tartari, fiat maſſa, ex qua formentur Pilulæ minores.

VIRES & USUS.

In omnibus affectibus ex viſcoſis humoribus natis ſunt polychreſtæ. Doſis ad ſcrupulum unum.

PILULÆ FOETIDÆ MAJORES MESUE.

℞. Sagapeni,
Ammoniaci,
Opopanacis,
Bdellii,
Colocynthidos,
Seminis Rutæ hortenſis ſicci,
Aloës,
Epithymi, ana drach. quinque.
Hermodactylorum,
Eſulæ præp. ana drachm. duas.
Scammonii præp. drach. tres.
Cinnamomi,
Spicæ Indicæ,
Croci,
Caſtorei, ana drachm. unam.
Turbith, unciam ſemis.
Zinziberis, drachmam unam ſemis.
Euphorbii, ſcrupulos duos.
Succi Porri depurati, quantùm ſatis eſt.
Gummia in ſucco Porri calefacto ſolvantur, quibus deinde Euphor-

bium per se tritum unà cum cæteris addatur, ut lege artis in pastam Pilularum abeant.

USUS & VIRES.

Pituitam, crassam, lentam ac tenacem evacuant, ob id affectibus inde natis: Arthrididi, Podagræ, Gonagræ, spinæ *quoque ac* junctura-rum, *nec non* ventriculi & coli doloribus *prosunt*, alphos, elephantiasin & cutis vitia *emendant*, menses *movent*, *ac* impurum uteri mucum *emungunt*. *Cùm autem sint admodùm valentes, eorum usus circumspectus sit, nec nisi robustis concedendus.* *Dosis* ad scrupulum semis & ultrà.

PILULÆ FOETIDÆ MINORES SYDENHAMI.

℞. Myrrhæ electæ, (mis.
Galbani, ana drach. unam se-
Castorei, grana quindecim.
Asæ fœtidæ, scrupulum semis.
Cum s. q. Balsami Peruviani fiant Pilulæ.

VIRES, & USUS.

Commendantur in Passionibus Hystericis, & aliis uteri affectibus. *Dosis* ad scrupulum semis aut grana quindecim.

Pilulæ Francofurtenses.

Cùm adhuc harum descriptionem Domini Francofurtenses secretam sibi esse velint, passim ad nos delatæ dispensantur; in quarum defectu Pilulæ Angelicæ, vel de Alöe violata facilè substitui possunt, præcipuè dum massæ unciæ uni, diagrydii sulphurati una drachma commisceatur, ac inde minimæ Pilulæ formentur.

Vires earum sunt leniissimè laxantes, resistunt putredini, vermes enecant, nec non hæmorrhoides frequentiùs assumptæ propellunt. *Dantur pro ratione ætatis* à scrupulo semis ad drachmam semis.

PILULÆ DE FUMARIA.

℞. Myrobal. Citrinarum,
Chebularum,
Indarum, ana drachmas quinque.
Aloës, drachmas septem.
Scammonii præparati, drachmas quinque.
Succi fumariæ, quant. satis est.
Omnia in pulverem redacta succô Fumariæ jam dictô comprehendito, siccaríque postea finito; dehinc rursùs trita novô succô excipito, rursúsque siccato, & sic tertium iterato, ac postmodum in Massam formato.

VIRES & USUS.

Pituitam salsam, bilioso s itidem, acres ac adustos humores, à quibus Pruritus & Scabies *oriuntur, solvunt & sanguinem mundificant.* *Describuntur ab* Avicenna lib. 4. Fen. 7. cap. 7. in Cura Pruritûs & Scabiei. *Dosis* ad scrupulum unum.

PILULÆ de quinque generibus Myrobalanorum.

℞. Quinque generum Myrobalan.
Agarici,

Dia-

Diagrydii,
Colocynthidos,
Senæ, ana drach. duas ſemis.
Epithymi,
Turbith,
Aniſi,
Fœniculi,
Maſtiches,
Lapidis Lazuli, ana drachm. unam, grana undecim.
Rhabarbari, ſcrupul. quatuor.
Aloës, unciam ſemis.
Cum ſucco fœniculi formetur Maſſa.

VIRES ET USUS.

Ad pituitam & bilem utramque evacuandam à Nicolao Alexandrino *commendantur.* Podagricos, ſplenicos, ſtomachicos & melancholicos *juvant*; cerebrum *purgant*, viſionem *acuunt*, ſanguinémque *purificant.* *Doſis* ad ſcrupulum unum.

PILULÆ de HERMODACTYLIS MESUE.

℞. Hermodactylorum,
Myrobalanorum Citrinarum,
Aloës,
Turbith,
Colocynthidos,
Bdellii puri,
Sagapeni, ana drachmas ſex.
Caſtorei,
Sarcocollæ,
Euphorbii,
Opopanacis,
Sem. Rutæ ſativæ,
Apii, ana drachmas tres.
Croci, drachmam unam
ſemis.
Succi Braſſicæ ſive Caulium, quantùm ſatis eſt.
Formetur Maſſa.

Modus confectionis eſt: ut liquores concreti, ſeu gummia in ſucco calefacto Braſſicæ ſive caulium diſſolvantur, atque his per ſetaceum trajectis, Euphorbium & caſtoreum ſimul trita jungantur: his deinde addantur reliqua, & fiat Maſſa.

ANIMADVERSIO ET USUS.

I. *Hermodactylorum bulbi veri eligendi ſunt, qui reſiccati ad nos ferantur, albidi non rugoſi, modicè duri, qui contuſi in candidum pulverem abeant. Cavendum colchicum ſtrangulatorium, cujus radices ſeu bulbi ſiccati rugoſi evadunt, & foris intúsque nigricant, vel obſcurè rubeſcunt.*

II. Craſſos, viſcidos & frigidos humores *ex remotiſſimis partibus educunt, quo nomine* Arthritidi *conveniunt.* *Doſis* ad ſcrupulum unum & ultrà.

PILULÆ de HIERA CUM AGARICO.

℞. Specier. Hieræ Picræ Galeni,
Agarici trochiſcati, ana unciam ſemis.
Aloës, unciam unam.
Mellis Roſati, quant. ſatis eſt.
Fiat Maſſa.

VIRES & USUS.

Stomachicis, aſthmaticis, aliiſque ventriculi & thoracis vitiis à craſſis & pituitoſis humoribus ortis, ſubveniunt. *Doſis* ad ſcrupulum unum.

PILULÆ HYDROPICÆ BONTII.

℞. Aloës optimæ, drachmas duas semis.
Gummi guttæ subtiliter pulverisat. & cum malvatico dissolut. & lævigat. drachmam unam semis.
Diagrydii eodem modo parati, drachmam unam.
Gummi Ammoniaci, drachmam unam semis.
Tart. vitriolati, drachm. semis.
Cum Syrupo Rosarum solutivo fiat Massa.

VIRES & USUS.

Hydropicorum aquas, ac tenue serum potenter evacuant. Dosis à scrupulo semis ad unum.

PILULÆ HYPOCHONDRIACÆ ZWELFFERI.

℞. Pulv. Mastichis electæ,
Myrrhæ translucidæ,
Olibani in granis,
Succini albi, ana drachmas duas.
Croci optimi, drachm. unam semis.
Rhabarbari, unc. semis.
Agar. trochiscati, drachmas duas.
Magist. Jalappæ Amygd. dulc. probè subacti, unciam semis.

Miscentur exactè, singulis tamen seperatim in pulverem priùs redactis: postea solvantur in mortario lapideo calido ad pultis formam.

Pulveris Aloës succotrinæ, uncias quatuor.
Cum sufficienti quantitate Elyxir. Proprietatis Paracelsi, Addendo statim
Extracti Ellebori nigri juxta Zwelfferum parati, unciam unam semis, & pulveris superioris, item
Olei destillati ligni Rhodii, scrupulos duos.
Fiat S. A. Massa Pilularum, ex qua formentur Pilulæ mediocres, pisorum instar, quarum quatuor vel quinque bihorium à cœna sumendæ.

VIRES, & USUS.

In obstructionibus Hypochondriorum, dolore capitis, aliisque affectibus, *quibus evacuatione opus est, quoties in sexu utroque felicissimè operantur.*

Pilulæ Hystericæ:

Vide Matricales.

PILULÆ de LAPIDE LAZULI MESUE.

℞. Lapidis Lazuli abluti, drachm. (sex.
Epithymi,
Polypodii, ana drachm. octo.
Scammonii præparati,
Hellebori nigri præparati,
Salis Gemmæ, ana drachmas duas semis.
Agarici, unciam unam.
Caryophyllorum,
Anisi, ana unciam semis.
Specier. Hieræ Picræ Galeni, drachmas quindecim.
Succi Endiviæ, quant. satis est.
Formetur Massa.

VI-

VIRES ET USUS.

Vitia ex melancholico & aduſto humore nata, cancro *nimirum*, elephantiaſim & quartanam *profligant*, arquato *conferunt*, lienis obſtructiones, infarctus, tumoréſque *reſolvunt*. *Doſis* à ſcrupulo ſemis ad ſcrupulum unum.

PILULÆ LUCIS MAJORES.

℞. Roſarum,
Violarum,
Abſynthii,
Colocynthidos,
Turbith,
Cubebarum,
Calami Aromatici,
Nucis Moſchatæ,
Spicæ Indicæ,
Epithymi,
Carpobalſami, vel locò ejus
Cardamomi minoris,
Xylobalſami,
Sem. Seſeleos maſſiliotici,
Rutæ,
Aniſi,
Fœniculi,
Apii,
Schœnanthi,
Maſtiches,
Radicis Aſari,
Caryophyllorum,
Cinnamomi,
Caſſiæ ligneæ veræ,
Croci,
Macis, ana ſcrupulum unum.
Myrobalanorum omnium,
Rhabarbari, ana ſcrupulos duos
Agarici,
Senæ, ana ſcrupulos duos ſemis.
Euphraſiæ, drachmam unam.
Alöes ſuccotrinæ, ad pondus omnium, id eſt, unc. unam, drachmas ſeptem.

Excipe Succô Fœniculi, & formetur Maſſa.

VIRES ET USUS.

Etiam Opticæ à Meſue *dicuntur, ex eo, quòd excrementa pituitoſa è cerebro & oculis evacuent*; viſum *conſervant & firmant*, nervos opticos ab obſtructione viſcidi humoris *liberant*, *atque ob id* oculorum aciem *intendunt*. *Doſis* ad drachmam ſemis, *plerumque cum Cochiis exſtimulari ſolent.*

PILULÆ MATRICALES DD. Franchm.

℞. Extracti Ligni Alöes,
Caſtorei, ana drachmas tres.
Croci, drachm. ſemis.
Fœculæ Bryoniæ,
Salis Perlarum,
Coralliorum, ana ſcrupulum unum.

Miſce cum Eſſentia Caſtorei ſ. q. fiat maſſa Pilularum, ex qua formentur Pilulæ pondere grani unius.

VIRES & USUS.

In omnibus affectibus ab utero natis, præcipuè ſuffocatione uteri ſeu paſſione hyſterica, & omnibus inde procedentibus ſpaſmis medentur. Præterea etiam in apoplecticis & epilepticis inſultibus ſunt ſingulares. *Doſis ad* grana tria *vel* quatuor.

PILULÆ de MEZEREO MESUE.

℞. Foliorum Mezerei in aceto per noctem macerator. & siccator. drach. quinque.
Myrobalanor. Citrinarum,
Chebular. ana unc. semis.
Cum Manna & pulpa tamarindorum, aquâ Endiviæ dissolutis, formetur massa.

VIRES ET USUS.

Serosum excrementum, seu aquas valenter expurgant, ob id hydropem ascitem, & anasarcam juvant. Dosis ad scrupulum unum.

PILULÆ de NITRO.

℞. Aloës,
Colocynthidos,
Scammonii præparati,
Bdellii,
Hellebori nigri præparati,
Gummi Arabici, ana drachmas duas.
Euphorbii præparati,
Nitri, ana drachmam unam.
Cum succo Brassicæ, & melle rosato solutivo fiat massa.

VIRES & USUS.

Has Pilulas Alexander Trallianus *sub nomine Pilularum Diacolocynthidos lib. 1. cap. 12. de Hemicrania describit, ad crassos, frigidos, lentos & glutinosos humores è remotioribus partibus educendos: frigidis quoque nervorum affectibus succurrunt, quo nomine cerebri & capitis pertinacibus affectionibus, articulorum morbis, comitiali ac resolutioni conveniunt. Eas etiam* Monardus *lib. 13. Epist. 6. in Epilepsia mirificè commendat; plura vide in Pharmacop. Fœsii fol. 240. Dosis* ad drachmam semis.

PILULÆ NOBILES.

℞. Sem. Anisi,
Fœniculi,
Caryophyllorum,
Cinnamomi,
Croci, (unam.
Cardamomi, ana drachmam
Nucis moschatæ,
Herbæ Majoranæ,
Arthemisiæ,
Florum Rosarum,
Lavendulæ,
Myrobalanor. Citrinarum,
Indarum,
Sandali albi,
rubri,
Liquiritiæ,
Tormentillæ,
Corticum Citri, ana scrupu-
Mastiches, (los quatuor.
Myrrhæ rubræ, ana drachmam unam semis.
Boli Armenæ,
Mumiæ,
Foliorum Senæ selectæ,
Rhabarbari, ana unc. semis.
Agarici trochiscati, drachmas septem.
Lapid. quinque pretios. præp.
Carallior. albor. præparator.
rubror. præparator.
Margarittarum præparat. ana drachmam unam.
Aloës succotrin. uncias quinque semis.
Omnia seorsim subtiliter pulverisata inspergantur, successivè in Aloën aquâ calidâ solutam, agitan-

tando, ut fiat massa, ex qua formentur Pilulæ minores.

ANIMADVERSIO ET USUS.

Tantam nactæ sunt hæ Pilulæ æstimationem, quòd tanquam nobiles & polychrestæ etiam à vulgo citra præscriptionem Medici in omnibus ferè alterationibus expetantur, quamvis non singulis, dum quandoque alvum segniùs solvere sint compertæ, satisfecisse videantur, pro quo scopo hìc & nunc Diagrydii drachmæ sex toti compositioni inseri solent. Dantur à scrupulo semis ad drachmam semis.

PILULÆ OPHTALMICÆ DD. Franchm.

℞. Mass. Pil. de Agarico,
Aurearum,
Sinè quibus,
Lucis major.
Trochiscorum Alhandali, ana drachmam unam.
Olei Anisi, (decim.
Anethi, ana guttas duo-
Misce, fiant Pilulæ minores.

VIRES ET USUS.

Ex titulo & ingredientibus patent. Dantur à scrupulo semis ad scrupulum unum & ultrà.

PILULÆ de OPOPANACE MESUE.

℞. Opopanacis,
Hermodactylorum,
Sagapeni,
Bdellii puri,
Ammoniaci, (mas quinque.
Colocynthidos, ana drach-
Croci,
Castorei,
Myrrhæ,
Zinziberis,
Piperis nigri,
longi,
Cassiæ ligneæ,
Myrobalan. Citrinarum,
Emblicarum,
Belliricarum, ana drach. unam.
Scammon. præp. drach. duas.
Turbith, drachmas quatuor.
Aloës, unciam unam semis.

Solve lachrymas in aqua Caulium, postea addendo pulverem reliquorum, forma in Massam.

VIRES & USUS.

Pituitam, crassam, bilem & melancholicam à cerebro nervosisque partibus evacuant. Articulorum doloribus à pituita productis conferunt, resolutionem nervorum & incontinentiam, spasmum cynicum, gonagram, Podagram, morbósque partium nervosarum frigidos levant. Dosis ad scrupulum unum.

PILULÆ ORIENTALES AUREÆ.

℞. Bezoar. orientalis,
Margarit. oriental.
Amomi veri,
Anisi,
Cinnamomi,
Cardamomi,
Cubebarum,
Fol. Sen. sinè stipitibus,
Agarici trochiscati,
Anethi,
Anacardiorum,
Zedoariæ,

Croci,
Caryophyllorum,
Ligni Aloës,
Turbith, (lum unum.
Mannæ in granis, ana ſcrupu-
Macis, grana quindecim.
Aloës ſuccotrin. unc. ſemis.
Rhabarbari electi, drach. ſex.
Subtiliter pulveriſata impaſta cum ſyrupo Roſarum ſolut. & confect. Alkermes ſ. q. formentur Pilulæ pondere grani unius ſemis, inaurentur.

VIRES & USUS.

Pro cephalicis & confortantibus habentur, hinc præſervationis gratiâ ab Apoplexia & vertigine omni ſeptimana ſemel vel bis à ſcrupulo ſemis ad integrum ſumi ſolent.

PILULÆ PAPALES.

℞. Alöes ſuccotrinæ,
Rhabarb. elect. ana unc. ſemis.
Myrobalanorum omnium,
Seminis Aniſi,
Amomi veri,
Cardamomi,
Macis,
Nucis moſchatæ,
Caryophyllorum,
Croci Auſtriaci,
Cubebarum,
Ligni Alöes,
Turbith electi,
Myrrhæ rubræ,
Agarici trochiſcati,
Folior. Sen. ſelect. ana drachmam unam.

Pulveriſentur, & cum ſ. q. ſyrup. de Cichor. cum Rhabarb. vel Roſar. ſolutivo fiat maſſa.

VIRES & USUS.

Sunt ferè ùt Pilulæ orientales aureæ, *unde & pro præſervatione & roboratione ſtomachi quarto quoque die una pondere granorum duorum aſſumitur horâ ante cœnam vel tempore decubitûs. Præterea præſervant ab Hydrope, fluxu hepatico, doloribus arthriticis & catarrhis.*

PILULÆ PESTILENTIALES RUFFI.

℞. Alöes,
Ammoniaci, ana unc. unam.
Myrrhæ, unciam ſemis.
Cum ſucco limonum fiat maſſa.

VIRES & USUS.

Præter quòd in peſte ad præſervandum ſint deſtinatæ, etiam alvum blandè reſerant, vermes necant, & lochia, menſésque ſuppreſſos promovent; doſis ad drachmam ſemis. *Uſum odontalgicum docet* Hagedornius in Miſc. Acad. N. C. Dec. II. A. VI. pag. 307. *ſcilicet particula maſſæ in aceto vini ſolvitur, & cum goſſypio denti dolenti applicatur.*

Pilulæ Polychreſtæ:

vide Becherianæ.

PILULÆ de RHABARBARO MESUE.

℞. Rhabarbari, drachmas tres.
Succi Glycyrrhiſæ,
Abſynthii,
Maſtiches, ana drach. unam.
Myrobalanorum Citrinarum, drachmas tres ſemis.
Seminis Apii,
Fœniculi, ana drachmam ſemis.

Tro-

Trochiſcor. Diarrhodon Rhaſis, drachmas tres ſemis,
Specierum Hieræ Picræ, drach: decem,
Succi Fœniculi & Mellis, ana quantum ſatis eſt.
Fiat Maſſa.

VIRES & USUS.

Humores educunt craſſos, lentos, multùm putres, & inde ortas febres diuturnas, ac ex aliis humoribus natas tollunt. Dolores leniunt, jecoris duritiem & obſtructionem ac hydropem incipientem ſanant. Doſis ad drachmam ſemis.

PILULÆ de SAGAPENO MESUE.

℞. Sagapeni,
Ammoniaci,
Opopanacis,
Bdellij ana drachmas duas ſemis,
Seminis Apii,
Ammeos,
Aniſi,
Rutæ agreſtis, ana drachmam unam.
Calami Aromatici,
Lepidii,
Calaminthæ,
Spicæ indicæ,
Centaurii minoris,
Polii,
Coſti,
Salis Gemmæ, ana drachmam ſemis,
Colocynthidos, drachm: quinque
Aloës, drachm: ſex.

Excipiantur ſucco Porri, Marrubii aut Matricariæ, fiat Maſſa.

VIRES & USUS.

Ad Podagram, Ischiadem, & *reliquorum articulorum, quin imò & Uteri dolorem faciunt, menſes evocant, viſcera emmolliunt, eorundémque obſtructiones reſerant, ac inveteratas ſplenis oppilationes tollunt. Dantur ad ſcrupulum unum.*

PILULÆ de SARCOCOLLA MESUE.

℞. Sarcocollæ, drachm: ſex.
Turbith, unciam ſemis,
Colocynthidos,
Zinziberis ana drachm: unam ſemis.
Salis Gemmæ, drachmam unam,
Syrupi Roſarum ſimplicis, q. ſ.
Fiat Maſſa.

VIRES, & USUS.

Pituitam lentam evacuant, atque ob id pituitoſis affectibus conducunt. Doſis ad ſcrupulum unum.

PILULÆ ſinè quibus eſſe nolo.

℞. Aloës lotæ, drachmas quatuordecim,
Quinque generum Myrobalanorũ,
Rhabarbari,
Maſtiches,
Abſynthii,
Roſarum,
Violarum,
Senæ,
Agarici trochiſcati,
Cuſcutæ, ana drachm. unam.

Diagrydii, drachmas ſex ſem:
Succi Fœniculi quantum ſatis pro Maſſa ex arte paranda.

USUS & VIRES.

Pro efficaciſſimis illas extollit Nicolaus *ad purgandos omnes humores partium ſuperiorum, unde in ſuffuſionibus, & aliis vitiis oculorum conferunt; aurium dolorem ſanant, Caputque à pituita, ac utràque Bile repurgant. Doſis ad Drachmam ſemis.*

PILULÆ SOTIRELLÆ PARVÆ.

℞. Olei Nucis Moſchatæ expreſſi, drachmam unam.
Opii Thebaici,
Specier: Diambræ incomplet: ana drachm. ſemis.
Camphoræ,
Extracti Croci, ana grana ſex.
Olei Caryophyllor: deſtillati guttas quindecim.
Redigantur in formam Opiatæ ſpiſſioris.

VIRES & USUS.

Cavernis dentium indita dolores eorundem ſopit, & placat, ad quorum auxilium præcipuè à Minderero *commendantur, quamvis & internè in mitigandis quibuſcunque doloribus ad grana ſeptem exhiberi poſſent.*

PILULÆ DE STYRACE.

℞. Styracis calamitæ drach: duas,
Ladani,
Olibani,
Myrrhæ, ana drachm: unam.
Succi Glycyrhiſæ, drachm: unam ſemis.
Extracti Opii cum aceto deſtillato parati drach: unam,
Croci cum Spiritu vini facti ſcrupulos quatuor.
Miſceantur cum Syrupi de Corticibus Citri drachm: duabus, & Fiat Maſſa.

VIRES & USUS.

Siſtunt pertinaciſſimam tuſſim, & Catarrhum ferinum. Prægnantibus non ſinè abortùs diſcrimine tuſſientibus multoties cum ſucceſſu datas fuiſſe, notat Schröederus. *Dantur ad ſcrupulum ſemis.*

PILULÆ DE SUCCINO CRATONIS.

℞. Pulveris ſuccini præparati,
Maſtiches, ana drach: duas.
Aloës Succotrinæ, drachmas quinque.
Agarici trochiſcati, drachm: unam ſemis.
Ariſtolochiæ rotundæ veræ drachmam ſemis,
Cum Syrupo de Betonica formentur Pilulæ.

VIRES & USUS.

Bilioſos & pituitoſos humores è capite expellunt, ad Catarrhos & inde provenientes oculorum, aurium, & dentium dolores propulſandos feliciter uſurpantur. Doſis à ſcrupulo uno ad drachmam ſemis.

PILULÆ TARTAREÆ QUERCETANI.

℞. Polypodii querni uncias duas,
Radicum Asari,
Seminum Genistæ ana unciam
Passularum minorum unciam unam semis
Fumariæ,
Scolopendrii ana manipulum unum,
Tartari albi drachmas sex,
Florum Buglossi.
Borraginis ana manipulum semis,
Coquantur in Aquæ puræ sufficienti quantitate secundum artem.
Decocti clarificati Libris duabus, adde.
Succi Pomorum Libram unã.
In his infunde
Foliorum senæ uncias duas,
Folliculorum senæ unciam unam,
Turbith electi & gummosi
Radicum Hellebori nigri,
Styracis præparati, ana unciam unam semis,
Macis,
Caryophyllorum,
Cinnamomi,
Epithymi, ana unciam semis,
In vitro clauso macerentur, & digerantur per quadriduum in Balneo Mariæ, postea colentur, Colaturæ adde,
Cremoris vel Crystallorum Tartari uncias tres,
Aloës præparatæ seu extractæ uncias quatuor,
Myrrhæ in Vino ad ignem dissolutæ & percolatæ unciam unam,
Omnia iterum diebus tribus vel quatuor in Balneo Mariæ digerantur, & hinc inspissentur, & coagulentur ad lentum ignem. Sub finem, dum materia ferè refrigerata est, adde
Specierum Diarrhodon Abbatis,
Lætificant: Rhasis
Trochiscorum de Lacca, ana drachmam unam,
Salis Absynthii,
Fraxini ana Drachmas duas,
Essentiæ Croci scrupulos duos.
Reducantur in Massæ Pilularis consistentiam.
Si lubet, Scamonii, Rhabarbari, Trochiscorum Alhandali extractum, & Ammoniacum addi possunt.

ANIMADVERSIO ET USUS.

Fusius illas describit Author in sua Pharmacop. dogmat. restit. pag. m. 215. quas hic correctas breviori modo Sennertus exhibet in P. A. R. receptas. Destinantur in morbis chronicis expugnandis, omnes enim humores crassos, tartareos, salsos, & mucilaginosos à partibus profundissimis eliciunt, totam massam sanguinis purificant, inde maniacis, & melancholicis affectibus opitulantur. Dantur ad drachman semis.

PILULÆ TARTAREÆ SCHRÖDERI.

℞. Alöes succotrinæ cum succo fragorum insuccatæ unciam unam,

Granorum Ammoniaci gummi drachmas tres ſemis,
Salis Martis ſubdulcis cum Aceto deſtillato parati,
Tincturæ Croci orientalis, ana drachmam unam,
Magiſterii Tartari purgantis, ſivè Terræ Tartari foliatæ drachmas duas,
Extracti Gentianæ drachmam unam ſemis.
Cum Tinctura Tartari Fiat Maſſa.

VIRES & USUS.

Saburram tartaream & mucilaginoſam ex infimo ventre imprimis educunt, lienem, uterum & hepar ab in fartu liberant, morbosque inde natos curant. Dantur ad ſcrupulum ſemis aut aliquot grana ultrà, veſperi ante cœnam, & ſequenti die blandiſſimè aluum ſolvunt.

Nota: Maſſa in loco temperatè ſicco ſervanda eſt, nè humidum aërem attrahat, aliàs facilè fluit, & non tam facilè ſiccatur.

PILULÆ de TEREBINTHINA MYNSICHTI.

℞. Terebinthinæ Cypriæ in ſucco Limonum lotæ unciam unam ſemis,
Succi Portulacæ inſpiſſati drachmas ſex,
Extracti Radicis Glycyrrhiſæ, Rhabarbari,
Tartari Vitriolati, ana drachmas tres,
Spong. in arbuſto Roſar. ſylveſtri natæ
Oſſ. Meſpillorum, ana drachmam unam ſemis,
Salis ſuccini albi,
Nitri præparati, ana drachmam unam,
Magiſter: Lapid. Percar. piſc. Ocul. Cancr. ana drachm. ſemis.
Miſce, & Fiat L. A. Maſſa Pilularum; exqua poſtea cum Oleo Citri rectif. formentur Pilulæ.

VIRES & USUS.

Mirum in modum ad frangendum Renum Calculum & ciendas urinas conveniunt, præcipuèque calidioribus naturis conferunt; Tartarum enim & arenulam ad miraculum uſque expellunt. Gonorrhœam & id genus alia curant; nec non hepatis, Lienisque obſtructiones liberant. Doſis longè à cibo à Drachma ſemis ad Drachmam unam.

PILULÆ DE VIRIDELLA.

℞. Terebinthinæ coctæ unciam unam,
Mercurii viridis ſcrup. duos,
Extracti Ligni Sancti, Drachmam unam.
Miſce Fiat Maſſa, ex qua formentur Pilulæ pondere grani unius.

VIRES & USUS.

Adhiberi ſolent in curanda, Luè venerea, & gonorrhœa virulenta, præmiſſis præmittendis, à granis quinque ad ſcrupulum ſemis.

PILULÆ VISCERALES.

℞. Extracti Cardui benedicti, Centaurii minoris, Rhabarbari, ana drachm. unã ſemis,

Caſto-

Extract: Caſtorei, ſcrupul: unum,
Pulveris Myrrhæ,
Limaturæ Martis ana drachm. unam,
Cum ſ. q. Balſami Peruviani formentur Pilulæ inſtar Piſi minoris.

VIRES ET USUS.

Viſcerum infarctum reſerant, & confortant, unde in affectibus hyſtericis, hypochondriacis, & aliis inde natis ſymptomatibus auxiliantur. Doſis manè & veſperi numerô tredecim.

Pilulæ Uterinæ *vide* Matricales.

PILULÆ WILDEGANSII.

℞. Opii Thebaici optimi aquâ ſimplici aut pluviâ ſoluti, colati, ac ad juſtâ conſiſtentiâ rurſus inſpiſſati, & ſiccati unc: unã.
Aloës Succotrinæ,
Myrrhæ rubræ,
Croci optimi,
Trochiſcor. de Vipera, ana drachm. unam.
Panaceæ Glauberianæ, vel hujus defectu;
Sulphuris Antimonii aurati fixi
Cinnabaris nativæ optimè præparatæ, ana drach: unam ſemis.
Auri fulminantis drach. unam.
Miſce fiant L. A. Pilulæ Ciceris magnitudine.

ANIMADVERSIO ET USUS.

I. *De hiſce Pilulis tot circumferuntur Deſcriptiones, ut quivis ferè propriam pro genuina eſſe credat, proùt & plures videri poſſunt in* Annal. Med: Phys: Wratisl: Anno 1726. Menſe Decem: Claſſ. IV. Art. 6. *quoad maximam partem cum hac Berolinenſium coincidentes.*

II. *Dicuntur aliàs* Panacea Solaris Wildeganſii. *magnopere extolluntur in roboratione ſpirituum, & ſangvine purificando, nec non in omnis generis doloribus leniendis, cautius tamen cum iisdem propter opium mercandum eſt, quod ferè mediam partem totius Maſſæ conſtituit. Plura de ipſarum virtutibus legi poſſunt in* Lentilii relationibus A. N. C. Decur. III. Ann. V. & VI. pag. 129. Append.

PRÆPARATA.

Agaricus Præparatus.

Nihil eſt aliud, quàm ſi lotione Vini ab adhærentibus multis inutilibus particulis liberetur. Ut trochiſcari queat. *vide pag.* 16.

Aſelli ſeu Millepedes præparati.

Horum quantitas pro lubitu ſumatur, abluantur vinô generoſô, & mox in umbra exſiccentur, iterúmque ſiccati vinô irrorentur, & exſiccentur, qui labor exſiccationis ter repetatur.

Anacardiorum præparatio.

Propter confectionem Anacardinam, de qua vide Pag. 108. conſiſtit in eo, ut trita macerentur in aceto acerrimo diebus ſeptem, deinde coquantur lento igne, & exſiccentur.

Baccæ Lauri præparatæ.

Decorticatæ, & grossô modô contusæ macerentur in Vino generoso viginti quatuor horis, demum siccatæ & pulverisatæ usui asservantur.

Boli Armenæ præparatio.

Levigata Bolus in Aqua pura agitetur, quæsaturata decantetur toties per inclinationem, donec arenulæ & sordes omnes in fundo remaneant. Tandem pulviſculus ità decantatus paulatim subsidere permittatur, atque effusâ aquâ per inclinationem Pulvis in Sole vel Aëre exsiccetur.

Cancrorum Chelæ, & Oculi præparati.

In subtilissimum Pulverem redacti, levigentur super Porphyritem cum Aqua Fragorum, & formentur pastilli.

Chalybs cum Aceto præparatus.

Sufficienti quantitati limaturæ Chalybis affundatur aceti vini acerrimi tantum, ut tota eô madefiat, stent in loco calido tam diu, donec limatura iterum sit exsiccata, postea pulverisetur; & sic septies reiteretur: postea teratur suprà Porphyritem, & servetur usui.

Chalybs cum Sulphure præpar:

Limatura cum pulvere sulphuris citrini stratificata calcinetur: Hanc calcinationem semper addito novo sulphure toties repete, donec Chalybs liquescat; tandem fortiigne sulphure consumpto, super Porphyritem levigetur pro usu.

Alii Chalybem integrum candentem sulphureæ massæ intrudunt, calcinant, & hoc peracto, ad sulphuris adhærentis omnimodam combustionem, ulterius igni exponunt; dein abluunt, & siccatum pulverisant.

Cinnabaris Præpatata.

Fit per sublimationem *vide Pag: 106.* quamquam etiam lotione aut potiùs coctione præparetur.

Conchæ præparantur ùt Oculi vel Chelæ Cancrorum.

Corallia alba aut rubra præparata.

Subtiliter trita levigantur super Porphyritem cum Aqua Rosarum vel Borraginis, ac inde pastilli formantur.

Cornu Alcis præpar:

Rasura contusa cum Aqua Lilior: Convall: minutissimè teratur, postea exsiccetur.

Cornu Cervi Philosophicè præpar.

Cornu Cervi in frusta sectum coquatur in s. q. Aquæ fontanæ, donec mollescat; postea me-

dulla

dulla & cortex exterior nigricans cultro ſeparentur, & Cornu albicans exſiccetur.

Cornu Cervi uſtum præpar:

Cornu Cervi vaſi figulino imponitur, deinde in fornace ad albedinem uſtum, & poſtea pulveriſatum in lapide Porphyrite minutiſſimè cum Aqua Roſar: territur, & exſicatur.

Cornu Rhinocerotis præp:

Præparatur ùt Cornu Alcis.

Cranium humanum Phil: præp.

Præparatur ùt Cornu Cervi Philoſoph. præp.

Cranium humanum uſtum.

Præparatur ùt Cornu Cervi uſtum.

Alii Cranium humanum ex violenta morte ab omni immunditie liberant, & raſpatum contundunt, quod demum cum Aqua Lilior. convall: minutiſſimè tritum, ſiccatúmque uſui ſervant.

Creta alba Colonienſis præparata.

Præparatur ùt Bolus Armena.

Dentes Apri præparati.

Dentes Aprorum pulveriſati conterantur cum ſ. q.

Aquarum Cardui Mariæ,
Taraxaci,
Papaveris erratici,
Scabioſæ,

Donec in tenuiſſimum pollinem abeant, qui exſiccentur. Pari modo præparantur:

Dentes Hyppopothami.

Diagrydium præparatum.

℞. Scamonii electi, libras quatuor.
Succi Cydoniorum, libras duas & uncias duâs.
Cortic: Myrobalanor. citrinar: Maſtiches electæ, ana uncias duas,

Myrobalani contuſæ infundantur ſucco cydoniorum loco calido, donec humorem imbibant: tum addatur Scamonium per ſe tritum in Mortario inuncto oleô Amygdalorum dulcium, fiant trochiſci ùt artis eſt. Scammonium ſic præparatum, vulgò Diagrydium vocatur.

Diagrydium ſulphuratum vulgò Cholagogum ſimplex.

℞. Scammonii electiſſimi, uncias tres vel q. v.

Craſſiuſculè tere, & ſupra chartam bibulam tenuiter, ac æqualiter expande, mox ſuperimpone crati, ſub quo carbo ſit vivus, in quem injice ſulphur, ſuffumigetur Scammonium, & charta tam diu teneatur ſupra fumum, uſque dum Scammonium liquefieri, & chartæ adhærere incipiat: Cave ſolùm, nè comburatur, ideóque à fumo remove, ſicque calcinatum ſerva. Utrúmque Pilulis ſtimuli locò addi ſolet, quandóque pro correctione cum pineis ſubactum.

Ebur sinè igne præpat:

Præparatur ùt Cornu Cervi philos: præpar:

Hepar Angvillæ præpar.

Præparatur unâ vel altera lotione in Vino generoso, postea exsiccatur.

Hepar Luppi præparat:

Imprimis Vino odorato lotum exsiccetur in furno, postea absynthio circumdatum reponatur.

Aliqui & rectè id ante exsiccationem Pulvere sandalorum, maximè verò citrino conspergunt.

Lapis Alabaster, præpar:

Præparatur ùt Corallia, pariter præparatur.

Lapis Ametistus &
Lapis Aquilæ seu Ætites.
Lapis Calaminaris præp.

Candefiat in Crucibulo, ter vel quater, & toties extinguatur in in Aqua Plantaginis, tandem super Porphyritem levigatus eadem aquâ in pastillos redigatur.

Lapis Carneolus, seu Sarda, præpar:
Chrisolithus,
Crystallus mont:
Granatus,
Hæmatites,
Hyacintus uterque,
Judaicus,
Lyncis,

Præparantur ùt Corallia.

Lapis Lazuli præparatus.

Minutissimè tritus toties aquâ abluitur, donec aqua nullum amplius vel colorem, vel etiam saporem induerit; id verò quod in aqua subsidet, exsiccetur pro usu.

Lapis Magnes præparat.

℞. Succi Aristolochiæ rotundæ.
Sabinæ ana unc: quatuor
Serpentariæ, unc: duas.

Cum his succis successivè impræ-gnentur Magnetis electi in pulverem redacti Unciæ quatuor, & exsiccentur. Sunt qui Magnetem tantùm simpliciter ad normam aliorum præparant.

Lapis Manatus,
Nephriticus,
Percarum,
Rubinus,
Saphyrus,
Smaragdus,
Spongiæ,
Topasius.

Præparantur ùt Corallia.

Mandibulæ Lucii Piscis.

Præparantur ùt Cornu Cervi Philosophicè præparat.

Mater Perlarum,
Margaritæ,

Præparantur út Corallia.

Mercurius dulcis.

vide lit. M.

Mil-

Millepedes *vide* Aſelli præparat.

Nitrum præparatum ſeu Lapis Prunellæ.

℞. Nitri optimè depurati quantum vis,

Fundatur in Crucibulo, & ſub actuali liquatione Florum ſulphuris ſucceſſivè modica portio, donec ad unciam unam Nitri, drachma circiter ſemis deflagraverit, tum ſuper laminam in rotulas effunde, ut frigeſcat. Quòd ſi quas impuritates contraxerit, purificari poteſt ſolutione & cryſtalliſatione.

Oculi Cancrorum Citrati, *vide Pag.* 209.

Aliis oculos cancrorum citratos parandi modus ſequens eſt:

℞. Pulveris oculorum Cancror: quantum vis, cui affundatur Succi Citri ſufficiens quantitas, ut efferveſcat, ſiccato demum reaffundatur Succus Citri, donec non amplius efferveſcat; ponatur per viginti quatuor horas ad digeſtionem, dein liquor decantetur, qui dulcis eſt, hunc evapora in Maſſam ſiccam, quæ ſolvitur in Aqua & valde ſubtilis eſt, dicitùrque Magiſterium. Reliquum poſt decantationem ſiccatum dicitur: *Oculi Cancrorum citrati.*

Oculi Cancrorum præpar:

Fiunt ùt Corallia.

Pulmo Vulpis præparatus.

Pulmo Vulpis junioris recens, ab aſpera arteria, Venis & Arteriis, ùt & ſangvine purgatus, Vinô albô odoratô, cui Hyſſopus & Scabioſa incocta, lavetur, in clibano temperatè calido ſiccetur, & ſiccatus Abſynthio involutus reponitur.

Radix Ari præparata.

Præparatur vulgò maceratione in aceto deſtillato & exſicatione. Auguſtani pag. 298. Radices Ari optimè mundatas teſſelatímque inciſas macerari docent in vino albo viginti quatuor horarum ſpatio, poſtea effuſô Vino per inclinationem infuſio ſecunda & tertia vice repetitur; tunc radices ſiccatæ ſervantur in uſum.

Radix Ellebori præparata.

Radices Ellebori albi aut nigri, dempta ligneâ medullâ, triduô in Vino Cydoniorum macerentur, locô tepidô, poſtea exſiccentur & reponantur. Aliàs etiam Radices ſic maceratæ Pomo demum Cydonio infiguntur, quod paſtæ panis obvolutum, in clibano coquitur ad ſufficientiam, Radices poſtmodum exemptæ ſiccantur & in uſum aſſervantur.

Sangvis Hyrci præpar:

Hyrcum mediocris ætatis domi per menſem alito, qui Pimpinella, Apio, Petroſelino, Leviſtico, Erica, Malva, & ſimi-

libus herbis diureticis nutriatur; hunc æstatis principio Sole Cancrum ingrediente mactato, & sangvinem, qui ex vulnere defluxerit, vase mundo excipito, abjectísque partibus ichorosis, concrescere sinito, ac in furno exsiccato.

Spodium ex Ebore præpar:

℞. Eboris selecti in tenues lamellas seu frustula dissecti libram unam: id in fictili mundo, quod in sumitate non nihil apertum sit, nè Ebur inter urendum nigrescat, in fornace figuli aut alio forti calore ad perfectionem id est albedinem calcinetur, tandem cum Aqua rosacea levigandum & exsiccandum.

Squilla præparata.

Squillam recentem rejectis aridioribus tunicis extimis, pastâ panis involve, eámque in clibano ad panis sufficientiam coque, exemptam in laminas disseca, quas filo trajice, ità ut una alteram non attingat, & loco sicco appensas exsicca.

Succinu album præpar:

Præparatur ùt Corállia cum Aqua Flor. Tiliæ.

Succinum Catarrhale.

Succinum albissimum, subtilissimè pulverisatum irroratur sæpius cum s. q. Aquæ Benedictæ serpilli, postmodum siccatum usui asservatur.

Talcum præparatum.

Calcinatione peragitur; contunditur in pollinem tenuissimum pistillô ferreô, postea forti ollæ committitur, operculô additô, imponitúrque furno figulorum vel calcariorum, ubi maximæ flammæ sunt. Post triduum aut quadriduum eximitur, & si in calcem redactum sit, servatur, sin minus, repetitur labor, donec perfectè calx dealbuerit.

Testiculi Apri, Equi.

Præparantur ad normam Hepatis Lupi, vel Pulmonis Vulpis, in frusta incisi, vinô loti, & siccati.

Tutia Alexandrina.

℞. Tutiæ Alexandrinæ q. v. inde Linteolo modicè raro, agitáque in aqua limpida, ut tenuior ac utilior pars aquæ immisceatur, & nil in Linteolo remaneat; præterquam quod inutile est. Hinc residere, permittitur, ac aqua decantatur. Alii in crucibulo ter calcinant, & singulis vicibus Aqua rosarum extingvunt, tunc demum trita levigatur.

Ungula Alcis præparat.

Idem parandi modus est, cum Cranii humani præparatione.

Unicornum Marinum præparat.

Præ-

Præparatur ad normam Cornu Alcis, vel Cranii humani.

Unicornu Foſſile.

Præparatur levigando cum Aqua Borraginis aut alia cordiali.

PULVERES.

PULVIS CONTRA Abortum P.A.R.

℞. Granorum Chermes, drachmam unam.
Sandali rubri, drachm: ſemis.
Caryophyllorum, ſcrupulum unum.
Nucis Moſchatæ, ſcrupulos duos,
Radicis Tormentillæ, drachmam ſemis.
Margaritarum præp.
Corallii utriuſque præpar. ana ſcrupulum unum,
Foliorum Auri numero tria,
Sachari perlati, drachmas tres.
Fiat Pulvis.

VIRES & USUS.

Datur gravidis ad præcavendum abortum ex ovo ſorbili, vel Vino odorifero, idque non unâ tantùm vice, ſed ſæpius, pondere ſcrupuli dimidii vel etiam uniùs; aut admiſcetur tragæis, prægnantibus uſui futuris.

PULVIS ABSORBENS WEDELII CUM OPIO.

℞. Antimonii diaphoretici,
Coralliorum rubror. præpar.
Oculorum Cancror. præpar.
Matris Perlar: præpar:
Cinnabaris nativæ ana ſcrupulum ſemis.
Vitrioli Martis, grana ſex.
Extracti Opii, granum unum.
Miſce fiat Pulvis.

ANIMADVERSIO ET USUS.

I. *Diſpenſatur etiam ſinè Opio, dum Extractum Opii ommittitur, præſens compoſitio dum in ſex doſes dividitur, continet granum unum vitrioli martis, & ſextam partem grani Opii, doſis verò integra eſt novem granorum cum dimidio. Quamquam cum optimo fructu in quatuor doſes dividi poſſit.*

II. *Author non ſufficienter deprædicare poteſt effectum hujus Pulveris in affectibus hypochondriacis, & inde natis ſymptomatibus, paſſione hyſterica, Lipothymiis, Palpitatione Cordis, & ſimilibus aliis affectibus.*

PULVIS ADSTRINGENS GALENI.

℞. Alöes,
Mannæ Thuris,
Corticum Pini,
Terræ Lemniæ,
Boli Armenæ,
Lapid: Hæmatitis,
Succi Hypocistidis,
Croci,
Gallæ Omphacit: ana drachmam unam.
Fiat Pulvis.

VIRES ET USUS.

Externè ſolùm ad ſanguinem ſiſtendum eſt deſtinatus.

PULVIS ALBUS VIRGINEUS.

℞. Glaciei Mariæ,
Lapidis Specularis, ana Partes æquales.
Purgentur à Sordibus demum in fruſtis calcinentur in crucibulo ad nitidiſſimum candorem, dein Pulveriſentur, Pulvis uſui ſervetur.

ANIMADVERSIO ET USUS.

I. *Variis nominibus inſigniri ſolet, dum quibusdam* Panacæa mineralis, *Aliis* Arcanum album, *aliis* Nives Mariæ, *aliis* ſpecificum Virgineum, *aliis demum* Bezoarticum lunare *audit, vulgò ſub nomine.* Pulvis albus Viennenſis das Wienneriſche weiſe Pulver, *notiſſimus eſt.*

II. *Sunt qui ſpecies in furno Figulorum calcinant, aſt per tam fortem & diuturnam calcinationem ſpecies facilè fluunt, & quaſi vitreſcunt, hinc difficillimè pulveriſantur.*

III. *Vienneſes ſpeciebus ſubtiliter pulveriſatis Aquam ſuperaffundere docent, ut pars ſubtilior per inclinationem ſeparetur, demum ſiccatus leviſſimus Pulvis uſui aſſervatur.*

IV. *Uſus hujus pulveris ferè Polychreſtus eſt, in omnibus enim morbis malignis, Variolis, aut cujuſcunque generis exanthematibus præcipuè à pauperibus expetitur. Datur à ſcrupulo uno ad drachmam unam.*

PULVIS ALEXIPHARMACUS.

℞. Radicis Scorzoneræ,
Salis Prunellæ,
Herbæ Scordii,
Cornu Cervi philoſ: præparat: ana uncias tres.
Camphoræ, drachmas tres.
Croci, drachmam unam ſemis.
Miſce fiat Pulvis.

USUS & VIRES.

Ex titulo patent, multiplici enim experientiâ in duplici Peſte Pragenſi à famoſis Practicis comprobatus habetur, & hodiedum adhuc in febribus malignis quotidiè uſualis eſt. Doſis à ſcrupulo ad drachmam unam. In Tabula Smaragdnia pag. 236. locò ſalis Scordii, Herba Scordii & Croci drachma una ſemis. intelligi debet.

PULVIS ANALEPTICUS FRIGID. MIND: COMPLETUS.

℞. Specier. Cordial: temperat: complet. drachmas duas,
De Gemmis frigid: drach. unam.
Ambræ gryſeæ, ſcrupul. unum
Spiritûs Roſarum, guttas ſexaginta,
Foliorum Auri, numerô duodecim.
Argenti, num. tria.
Manûs Chryſt: ſimpli: uncias tres.
Miſce fiat Pulvis.

ANIMADVERSIO ET USUS.

I. *Pulvis hic etiam incompletus uſualis eſt, pro quo ſpecies Cordiales temp. incompletæ ſumi debent, Ambra verò & ſpiritus Roſarum ommittitur.*

II. *Ad virium conſervationem & repa-*

reparationem plurimùm conducit. Datur ad ſcrupulos duos.

PULVIS ANGLICUS.

℞. Apic: nigr. Chelar: Cancr: Junio captor: in pollinem redact.
Radicis contrajervæ, ana unc. duas,
Margaritarum præpar.
Oculor: Cancror: citrat.
Succini alb. præparat.
Cryſtall: mont: præparat.
Cornu Cervi ad ſummam albedinem calcinati & levigati cum ſucco Citri Spiritu Vitrioli probè acuato & ſiccati ana Unciam unam,
Bezoar: occidental:
Terræ Lemniæ, ana unciam ſemis.
Ceruſſæ Antimonii fixi, uncias duas.
Ambræ Gryſeæ, drachmam unam ſemis.
Moſchi Scrupulum, ſemis.

Miſceantur omnia exactiſſimè, & cum Gelatinæ è ſpoliis Viperar: & Cornu Cervi in Aqua Cardui benedicti factæ, & Crocô leviter tinctæ q. ſ. fiant globuli diverſæ magnitudinis cautè ſiccandi.

ANIMADVERSIO ET USUS.

I. *Dicuntur aliàs* hi Globuli Lapides Contrajervæ, *Pulveriſati verò Pulvis* Bezoardicus Anglicus, *ſeu Pulvis* Comitiſſæ de Kent. In Pharmacopæa Bateana Pag. 146. Pulvis Cantianus, *cui ſi addatur* Cocchinellæ è Mexico *uncia una, dicitur* Pulvis Cantianus ruber, *ſi verò* Cinerum Bufonum *unciæ duæ, vocatur* niger.

II. *Adverſus peſtem & reliquas febres malignas, variolas &c. efficax remedium eſt, ſpiritus enim animales recreat, & putredines arcet, pro ſeſquiori ſexu ſinè Ambra & Moſcho exhibetur. Doſis à ſcrupulo ſemis ad drachmam ſemis.*

PULVIS ANONYMUS P. A. R.

℞. Sem. Papaveris albi drachm: duas,
Portulacæ,
Cydoniorum,
Malvæ,
Bombacis, ana drachm. unam ſemis.
Quatuor Frigid. major. excort: ana drachm: unam.
Gummi Arabici,
Tragacanthi,
Amyli, ana drachmas duas,
Hypociſtidis,
Boli Armenæ or: præp.
Cornu Cervi uſti,
Raſuræ Eboris,
Cicerum rubror: ana drachm: ſemis,
Cinnamomi, drachmas duas,
Sachari penidii, unciam unam ſemis,
Canarienſis, unc. ſex.
Miſce fiat pulvis.

ANIMADVERSIO ET USUS.

I. *Notandum eſt: Pulverum, qui ſemina continent non nimiam quantitatem unâ vice parari debere, nè diu-*

turniori morâ rancidi evadant, ſumentibúsque nauſeam cauſent.

II. *Tabidis, Phtyſicisque prodeſt; ulcera enim Pulmonum lenit, abſtergit & glutinat: tenues ac ſalſos catarrhos ſiſtit & incraſſat, faucium aſperitatem mitigat, ac defluxiones acres ad pulmones ferri prohibet. Doſis ad Drachmam ſemis.*

Pulvis Antifebrilis Crollii.

℞. Cochlearum longas teſtas, quæ propè piſcinas & lacus reperiuntur, q:v. his affunde acetum de Vino paratum, ſtet per noctem, tunc extrahit mucorem, quem diligenter abrades cum ſcopis ferreis, quibus Aurifabri utuntur, poſtea teſtas illas oblongas totas calcinando incinera ad albedinem, & pulveriſa.

USUS & DOSIS.

Doſis ſcrupuli duo inſtante paroxyſmo in hauſtu Cereviſiæ calidæ, cum tantillo butyro recenti. Rarò bis vel tertiò aſſumitur, quia primus hauſtus plerumque per ſudorem ſanat: Ideo in lecto ſe continentes infirmi ſudorem expectent; Præmiſſis attamen quæ primittenda ſunt. Vide Baſilic. Chymic. Crollii pag. 227.

Pulvis Antifebrilis Pragenſis.

℞. Pulveris Corticis *Peruviani*, unciam ſemis.
Schacarillæ,
Herb. Card. bened.
Scordii,
Radic. Gentianæ,
Antimonii diaphoretici,
Arcani duplicati, ana drachmã unam
Flor. ſalis Ammoniaci martiat. drachmam ſemis.
Salis Abſynthii
Cardui benedicti
Centaurii minoris, ana ſcrupul. unum.

Miſce Fiat Pulvis. Cujus vires ex titulo patent. Doſis ad drachmam unam.

Pulvis Antifebrilis ruber.

℞. Radicis Scorzoneræ,
Petaſitidis,
Contrajervæ,
Herbæ Scordii,
Cornu Cervi uſti,
Terræ ſigillat. rubræ, ana uncias tres,
Antimonii Diaphoretici uncias duas,
Camphoræ drachmas tres,
Croci opt. drachmam unam ſemis.

Miſce Fiat Pulvis ſubtilis.

VIRES, & USUS.

Ejusdem virtutis & indolis eſt cum Alexipharmaco, niſi quòd hic ſal Prunellæ omiſſum, & alia quædam ſuperaddita ſint. Doſis eſt, ad drachmam ſemis.

Pulvis Antifebrilis Strobelbergeri.

Sub titulo Specifici Antifebrilis in Pharmacopæa Auguſtana poſitus eſt pag. .m 333.

℞. Matris Perlar: id eſt Conchæ Marinæ Margaritiferæ electæ & depuratæ quantum libet.

Co-

Coquantur per horam in Aqua communi, postea exsiccentur, & paululum ad albedinem calcinentur.

Usus ejus est in febribus intermittentibus, præcipuè tertianis, Dosis ad drachmam unam.

PULVIS ARTHETICUS CROLII.

℞. Hermodactylorum,
Turbith optimi,
Diagrydii sulphurati,
Folior: Sen: select.
Rasuræ Cranii humani,
Sachari finissimi, ana drachm: unam.

Misce fiat Pulvis subtilis.

VIRES & USUS.

Defluxiones ad articulos Podagricas, blandè & securè resolvit, ac evacuat. Dosis drachma semis manè ex Aqua Ivæ arthreticæ per dies 3. vel 4. vid. Author: Basil: Chym. pag. 243.

PULVIS AUREUS CELLENSIS.

℞. Cinnabaris nativæ Hungaricæ, Antimonii, ana unciam semis,

Ambæ species optimè terantur, affundendo successivè unam alterámve guttulam Aquæ flor: Rosar. albar. siccata denuó pulverisentur. Tandem adde Sachari optimi candidissimi & alcoholisati, uncias duas.
Auri fulminantis, gr. duo.

Misce & successivè instilla Olei Cinnamomi genuini q. s.

ANIMADVERSIO ET USUS.

I. *Dicitur etiam* Pulvis Aureus Hannoverianus, *aliàs etiam* Tinctura solis sicca, *& uti in nomine, ità in compositione variat. vid:* Wepferi observat. *de affectibus Capitis in fine, qui hujus Pulveris compositionem sub titulo* auri horizontalis, *seu* Panacææ Kornmanni *tradit.*

II. *Vires hujus Pulveris Cordiales, Cephalicæ, nervinæ & diaphoreticæ sunt, unde in convulsionibus Epilepticis, & Variolis multâ experientiâ comprobatus. Dosis ab aliquot granis ad grana quindecim.*

PULVIS BEZOARTICUS SENNERTI.

℞. Cornu Cervi usti præp. drachm. unam semis,
Corallior rubror. præparat.
Lapidis Bezoar orientalis,
Margaritarum præp: aut saltèm Matr. Perl: præp.
Oculor. Cancror. præpar.
Succini præparati,
Terræ sigillat. præp. ana scrup: unum,
Ossis de Corde Cervi præp.
Hyacinthorum præparat.
Rubini præpar.
Saphiri præpar.
Smaragdar. præp. ana scrupul: semis.
Foliorum Auri numerô tria.

Misce fiat omnium Pulvis subtilissimus.

VIRES & USUS.

Commendatissimus est hic Pulvis in omni-

omnibus febribus malignis, & exanthematicis; exhibetur ad ſcrupulum unum, per ſe vel cum aliis ad affectum appropriatis medicamentis. De abuſu ſimilium pretioſorum Bezoarticorum legi poteſt Celeberr: Ludovici in Pharmac: *ſua moderno ſæculo applic: Diſſert. I. pag. 223.*

PULVIS CACHECTICUS QUERCETANI.

℞. Limaturæ Chalybis in tenuiſſimum alkohol per ſimplicem aquam redactæ, vel cum ſulphure calcinatæ, unc: unam.
Fœculæ Radic: Ari, drachm: unam ſemis.
Coralliorum præpar.
Margaritar: præparat. ana drachm. duas.
Cornu Cervi Philoſ: præparat.
Succini præparati,
Cinnamomi, ana ſcrupulos quatuor.
Sachari ad pondus omnium, aut uncias circiter duas.

Miſce fiat Pulvis.

ANIMADVERSIO ET USUS.

I. *Ambram, cujus drachma una ſemis compoſitionem ingreditur, omittendam potius forè cenſemus, cúm aliunde, juxtà Medici arbitrium pro circumſtantia ſubjecti addi queat.*

II. *De Viribus & Uſu fuſius Author ſcribit in* Pharmac. Dogmat: Reſtit: Cap. XV. pag. 232. *ubi prius Cryſtallis Tartari & Pilulis ſuis corpora præparare docet, & dein per 15. dies continuos ad ſemicochlear de hoc Pulvere exhibet, in omnis generis colluvie humorum depravatorum.*

PULVIS CONTRA CALCULUM.

℞. Salis Ononidis,
Petroſelini,
Saxifragiæ,
Juniperi,
Gemmæ, ana unciam unam.
Oculor. Cancror. præp. unc. unam ſemis.
Cremoris Tartari, libram unã.
Miſce fiat Pulvis ſubtilis.

VIRES & USUS.

Illuſtriſſimis Comitibus de Marzin *à longiori ævo hic Pulvis in Calculo expertiſſimus habetur. Doſis ejus eſt ex juſculo Petroſelini ad ſcrupulos duos.*

PULVIS CONTRA CALCULUM OFFICINALIS.

℞. Seminis Milii ſolis,
Saxifragiæ ana drachm: unam.
Lactucæ,
Hyoſcyami,
Papaveris albi, ana ſcrup. duos ſemis.
Quatuor Frigid: major. ana ſcru. duos.
Glycyrrhiſæ, ſcrupul: quatuor
Trochiſcor: Alkekengi, drach: unam ſemis,
Radicis Pimpinellæ,
Seminis Genistæ, ana drachm: ſemis.
Sachari uncias duas.

Miſce fiat Pulvis.

Vi-

VIRES & USUS.

Datur Nephriticis, & Calculosis, ad renum arenulas exturbandas, & ureterum obstructiones levandas ex aqua malvæ aut onodinis ad drachmam semis.

PULVIS CANÆUS EX NITRO.

℞. Nitri præparati uncias quatuor
Cornu Cervi Phil. præpar. unciam unam semis,
Camphoræ,
Zinziberis ana drachm: semis.

VIRES & USUS.

DD. Löw *hunc Pulverem commendatissimum sibi habuit in Peste, & aliis morbis malignis, hinc Minderero Pulvis Alexipharmacus audit. Vesperi ad scrupulos duos exhibitus delirantibus somnum conciliare perhibetur.*

PULVIS CARMINATIVUS QUESTENBERGICUS.

℞. Folior: Sennæ sinè stypit. uncias duas,
Crem. Tartari, unciam unam,
Rhabarbari,
Cinnamomi,
Zinziberis,
Liquiritiæ,
Sem. Anisi, ana drachm. duas.
Caryophyllorum, drach. semis.
Sachari, ad pondus omnium.
Misce fiat pulvis.

VIRES & USUS.

In debilitate ventriculi, obstructionibus & flatulentiis utiliter exhibetur ad drachmam unam.

PULVIS ad CASUM.

℞. Terræ Sigillatæ,
Sangvinis Draconis,
Mumiæ ana drachmas duas,
Spermatis Ceti, drachmam unam,
Rhabarbari drachmam semis.
Misce fiat Pulvis.

VIRES & USUS.

Propinatur præcipitatis, ruptis, contusis, fractis, ex Vino adstringente, vel cui adstringentia incocta fuerint, ut Rosa, Balaustia & similia, vel cum aqua conveniente, aut jusculo ad drach: unam.

PULVIS CATARRHALIS INTERNUS.

℞. Cornu Cervi usti,
Terræ Sigillatæ, ana drachm. duas,
Lapid. Bezöar occident: grana octo.
Misce fiat pulvis.

VIRES & USUS.

In catarrhis tenuibus ob vim incrassandi exhibetur ad scrupulos duos.

PULVIS CATARRHALIS LAMBITIVUS.

℞. Sachari candi albi,
Penid: ana unc. semis.
Boli Armenæ, drachmas duas.
Misce fiat Pulvis.

VIRES ET USUS.

In Catarrhis suffocativis & Asth-

mate frequentissimè expetitur ad lambendum.

PULVIS CEPHALICUS AUGUSTANOR.

℞. Cinnabaris nativæ electæ, & præp. uncias tres,
Radicum Pœoniæ, unciam unam semis,
Smaragdi præpar. drachmas duas.
Ungulæ Alcis præparatæ. drachmam unam.
Cranii humani præparati.
Corallior: rubror: præparat.
Cornu Cervi spagyricè præp. ana scrupulos duos.
Unicornu Marini,
Margaritarum præp.
Succini præpar. ana scrupul: unum.

Misce fiat Pulvis.

USUS & VIRES.

Dicitur aliàs Specificum Cephalicum ex præparatis, præfertur specifico Cephalico Michaelis cum magisteriis parato in affectibus Capitis, & Puerorum convulsionibus. Datur ad scrupulum unum.

PULVIS è CHELIS CANCRORUM COMPOSITUS.

℞. Margaritarum præp.
Ocul. Cancrorum præp.
Corallior. rubr. præpar.
Succini albi præparat.
Cornu Cervi Philos: præpat.
Lapid. Bezoar orient. ana unciam semis.
Pulveris ex apicibus nigris Chelarum Cancrorum ad pondus omnium.

Misce fiat Pulvis secundum artem.

VIRES, USUS

His Pulvis Londinensium *est, unde in quibusdam Pulverem superius descriptum* Anglicum *æmulatur. Vires possidet Alexipharmacas & Putredini resistentes, hinc commendatur in affectibus Capitis, & morbis malignis. Dosis ad scrupulum unum.*

PULVIS CORNACHICHINUS.

℞. Diagrydii sulphurati, uncias duas, drachmas duas.
Antimonii Diaphoretici, unc. unam semis,
Cremoris Tartari crystallini, unciam semis.

Misce fiat Pulvis subtilis.

VIRES ET USUS.

Denominatur ab Authore Marco Cornachino Professore Pisano, *aliàs etiam dicitur* Pulvis Comit. de Warwich, *omnes humores peccantes blandè educit, vitia ventriculi emendat, ac febrili fomiti expurgando perquam idoneus. Dosis ad drachmam semis.*

PULVIS DENTIFRICIUS AUGUSTANOR:

℞. Pumicis uncias duas,
Ossis sæpiæ, drachmas sex,
Corall. rubr. præpar. drachm. unam,
Radic. Ireos, Unciam unam.
Olei Ligni Rhodii,

Nu-

Olei Nucis Moſchat: deſtill: anagut: quatuor.
Caryophyllo: guttas tres.
Miſce fiat Pulvis.

Uſus ejus eſt ad mucoſos dentes à ſordibus purgandos, quos dealbat, ac mundificat, gingivas quoque ſtringit, & dentium radices firmat. Cui ſi lubet Moſchus, & Zibethum addi poteſt.

PULVIS DEOPILATIVUS *ſeu* HEPATICUS RUBER ZWELFFERI.

℞. Cremoris Tartari, unc. duas.
Tartari vitriol: ſed cryſtalliſati, nè in humido liqueſcat, unc. unam ſemis.
Fœculæ ſeu ſalis Eſſentialis Acetoſellæ unciam unam,
Hæc mixta, & in Pulverem redacta humectentur ter, quaterve cum Tinctura ex Roſis ſiccis rubris, & ſantalo rubro, beneficiô Aquæ Roſarum & ſpiritûs Vitrioli parata, & toties leni in calore exſiccentur. Quibus tandem in Pulverem denuò converſis ſuperadde.
Sachari citrati Zwelfferi unc: unam ſemis.
Fiat Pulvis: ſervetur in Vitro bene clauſo.

ANIMADVERSIO ET USUS.

I. *Sacharum citratum tabulatum Zwelfferi paratur modò ſequenti:*
℞. Sachari canarienſis albi uncias ſex.
Solvatur in ſ. q. Succi Citri ſeu Limonum recenter expreſſi (cui tamen Cortices Citri vel Limonum recentes & extimi priùs infuſi aliquamdiu fuerint) ſinè ebullitione, in patella ferrea vel terrea; cui abigne remoto adde
Corticum Citri ſeu Limonum recentium & extimorum radulâ priùs comminutorum, ac ſubtiliſſimè in lapideo mortario contuſorum, unciam unam, vel unam ſemis.
Item, Eſſentiæ Citri Sacharinæ, unciam unam.
Fiant L.A. Tabulæ vel Morſelli, Cor & vitales ſpiritus (præcipuè in febribus calidis) inſigniter confortantes, etiam per ſe exhibiti lambendo.

II. *Paratur etiam hic Pulvis abſque Sacharo citrato, & abſque Fœcula acetoſellæ, ex Cryſtallis Tartari libris duabus, & Tartari vitriolati unciis octo, quæ permixta, & in pulverem redacta humectantur ter quatérve cum Tinctura ex Santalo rubro & floribus Roſarum ſpiritu Vitrioli acuatâ, ac ſpiritu Vini extracta, lenique calore ſucceſſivè exſiccata, ad normam Dreſdenſis, proùt id nempe intentio Medici requirit.*

III. *Adhibetur ad Ventriculum & Hepar roborandum, cruditates enim primarum viarum corrigit, & hepatis lieniſque obſtructiones reſerat. Doſis à ſcrupulo uno ad duos.*

PULVIS DIGESTIVUS MAGISTRALIS.

℞. Cremoris Tartari, drachmas ſex.
Salis Abſynthii,
Cichorii,

Salis Centaurii minoris,
Cardui Benedicti, ana drachmas duas.
Tamariſci,
Petroſelini, ana drachm. unam.
Tartari vitriolati,
Diagrydii Sulphurati ana ſcrupulos duos grana quinque,
Eleoſachari Citri, unc. unam.
Miſce fiat Pulvis.

VIRES ET USUS.

In Cruditatibus primis viis inexiſtentibus digerendis, ac obſtructionibus venarum meſaraicarum reſerandis, præmitti ſolet aliis Laxativis & evacuantibus remediis, Doſis à ſcrupulo uno ad drachmam unam.

PULVIS ad DYSTOKIAM *vide* Pulvis ad Partum.

PULVIS DYSSENTERICUS CROLII.

℞. Succini,
Sangvinis Draconis,
Lapidis Hæmatitis,
Corallior: rubrorum,
Seminis Portulacæ,
Plantaginis,
Anthoræ,
Radicis Tormentillæ,
TerræSigill: ana uncias duas.
Balauſtiorum, unciam unam,
Nuc:Moſcat: numerô quatuor
Cinnamomi, unciam ſemis.
Croci Martis adſtringentis,
Talci calcinati,
Matr: Perlar. calcinat. ana unc. unam.
Lapides levigentur, reliquíſque minutiſſimè tritis addantur.

VIRES, & USUS.

In omnibus Profluviis alvi, menſtruorum, hæmorrhagia narium, ac hæmorrhoidum fluxu immodico ad drachmam unam & ultrà exhibetur in Aqua Plantaginis aut ſimili.

PULVIS EPILEPTICUS de GUTTETA RIVERII.

℞. Radicis Poconiæ,
Seminis ejuſdem,
Dictamni albi,
Viſci querni,
Ungulæ Alcis præpar. ana unciam ſemis,
Seminis Attriplicis, drachmas duas,
Cranii humani, drachmas tres.
Corallior. rubrorum præpar:
Hyacinth: præp. ana drachm. unam ſemis,
Moſchi Scrupulum unum,
Foliorum Auri, drachm. unam
Miſce fiat Pulvis.

VIRES, & USUS.

Commendatur ab Authore præmiſſis præmittendis in Epilepſia, & convulſivis motibus Puerorum cum lacte, juſculo aut Panatellis à ſcrupulo ſemis ad ſcrupulum unum ſumendus. Adultioribus in aqua florum Tiliæ vel aqua Hirundinum etiam ad drachmam ſemis exhiberi poteſt.

PULVIS EPILEPTICUS MARCHIONIS.

℞. Radicum Pœoniæ Maris, decreſcente Lunâ effoſſarum, unciam ſemis.

Cor-

Viſci querni,
Raſuræ Eboris,
Ungulæ Alcis,
Spodii,
Cornu Cervi ex Apicibus deſumpti,
Corallior: rubrorum,
alborum,
Margaritar: præpar: ana drach: unam.
Foliorum Auri puri numerô viginti.
Miſce fiat Pulvis ſubtiliſſimus.

VIRES & USUS.

Univerſalis ferè Panacea longo uſu probatiſſima in omnibus teneræ infantum ætatis morbis hic Pulvis eſt, ità ut frequentiſſimè citrà Medici conſilium à vulgo expetatur. Prodeſt enim Apoplecticis, Epilepticis, ac Incubo laborantibus, Cerebri etiam humidam intemperiem corrigit, & nocturnos terrores fugat. Datur à ſcrupulo ſemis ad drachmam ſemis.

PULVIS EPILEPTICUS NIGER.

℞. Carbonum Tiliæ libram unam.
Radicis Pœoniæ, unc. decem.
Seminis ejuſdem,
Ligni Aloës, ana uncias tres,
Viſci querni,
Radicis Dictamni albi ana uncias quatuor ſemis.
Ungulæ Alcis præp: uncias tres.
Succini albi præp. unciam ſem:
Margaritarum præp.
Corallior. rubrorum præp, ana uncias quatuor,
Unicornu veri, uncias duas.
Miſce fiat Pulvis, cui ade
Foliorum Auri, numerô quinquaginta.

VIRES & USUS.

Neonatis à Mulierculis cum melle & butyro recenti non ſalito, ad inſtar Pultis ſæpius exhibetur; Convulſionibus enim, Epilepſiæ, terroribus ſingulariter adverſatur, Doſis ejus eſt ad ſcrupulum unum.

PULVIS PRO EPITHEMATE CORDIS.

vide Species.

PULVIS AD ERYSIPELAS MYNSICHTI.

℞. Farinæ volatilis uncias ſex.
Plumbi uſti,
Boli rubri, ana uncias duas,
Maſtichis electæ,
Olibani,
Ceruſſæ, ana unciam unam.
Miſce, & fiat omnium Pulvis ſubtiliſſimus.

USUS & VIRES.

Hic Pulvis chartæ cæruleæ inſperſus, & in Eryſipelate, igne ſacro, per ſe, loco affecto applicatus, vix dici poteſt, quàm huic malo ſit ſingulare remedium, præmiſſis tamen univerſalibus, nec non venæ ſectione præcedente præſertim in robuſtioribus.

PULVIS FUMALIS ARTHRITICUS D.D.L.

℞. Herbæ Sabinæ,
Chamæpytheos,
Folior. Ebuli, ana Manipul: duos.

Seminis Carthami, unciam unam.
Florum Sambuci,
Cheyri,
Cyani :
Rosar. pallidar: ana manipul: unum.
Myrrhæ rubræ,
Olibani electi,
Sylvestris ana unciam unam semis.
Corticum Cucurbitæ, unciam unam,
Camphoræ drachmas tres,
Croci, drachmam unam,
Spoliorum serpentum, numero sex.
Pulverisent: omnia grosso modo.

VIRES & USUS.

In Arthritide, & pedum Oedematoso tumore perutile comprobatum est suffumigium.

PULVIS FUMALLIS CATARRHALIS.

℞. Herbæ Betonicæ',
Hypericonis.
Sabinæ ana manipulum unum.
Florum Rosarum rubrarum,
Lavendulæ,
Cyani,
Calendulæ ana Pugillos duos.
Mastichis electæ,
Succini Citrini,
Olibani,
Thuris Sylvestris, ana unciam unam.
Sandaracæ,
Myrrhæ, ana drachmas sex,
Storacis calamitæ,
Benzoë, ana drach. quinque.
Santali Citrini,
Sassafras, ana drachmas duas.
Concisa, & contusa grosso modo misce.

PULVIS FUMALIS IMPERIALIS.

℞. Olibani electi, libras duas.
Mastiches,
Sandaracæ,
Succini,
Asæ dulcis,
Storacis calamitæ, ana libr. unam,
Florum Rosarum rubrar. unc. quatuor,
Lavendulæ, unciam unam semis.
Incis. & Contusa grosso modo
Misce pro suffitu.

PULVIS FUNGORUM SALICIS COMPOSITUS.

℞. Fungor. Salicis, uncias tres.
Radicis Ireos flor. unciam unã.
Serpentariæ drach. tres
Flor. Sulphuris simp. drach. sex
Olibani electi, drach. duas.
Sachari finissimi, unc. quatuor.
Misce fiat Pulvis subtilis.

VIRES & USUS.

In hæmoptoë, exulceratione Pulmonum, & Phtysi cum bono effectu usurpatur. Dosis ad Drachmam semis.

PULVIS HALY ANTIPHTYSICUS.

℞. Semin. Papaveris alb. drachm. quinque.

Gum-

Gumini Arabici,
Tragacanthi,
Amyli ana drach. unam ſemis.
Semin: Portulacæ,
Goſſypii,
Althææ,
Malvæ, ana drachm. duas ſemis.
Quatuor Frigid: major: excort:
Cydonior: mundat:
ana drach. tres ſemis.
Spodii præparati,
Succi liquiritiæ vel potius
Pulveris ejus ana drach: unam ſemis,
Sachari Penidii ad pondus omnium.
Miſce fiat Pulvis.

ANIMADVERSIO ET USUS.

Pulvis hic ratione effectus & doſis cum Pulvere Anonymo idem eſt, aſt quoniam ob nimiam ſeminum molem facilè rancescit, in minori quantitate eum parare præſtat.

PULVIS PRO PANATELLA.

℞. Farinæ Hordei, libram unam.
Pulveris Radic. Chinæ elect. uncias tres.
Sarſæparillæ uncias duas.

Mixta paſtâ Panis involve, ac in Clibano ad Panis ſufficientiam pinſi ſine, exemptis demum ſpeciebus adde.

Sachari albi, uncias ſex.

Miſce & uſui ſerva.

VIRES & USUS.

In purificando ſangvine, & corpore ex morbo emaciato uncia una in aqua vel Juſculi uno ſextario incoquitur, in formam Cremoris Hordei, & Patienti quandoque per unius menſis ſpatium exhibetur.

PULVIS PANNONICUS RUBER. P. A. R.

℞. Boli Armenæ cum Aqua Roſarum & Acetoſæ præparatæ, uncias tres.
Terræ Lemniæ veræ præq. uncias duas.
Corallior. rubrorum præp. unciam dimidiam,
albor. præpar. drach. ſex,
Lapidum pretioſor. ſcilicet
Smaragdi,
Rubini,
Saphiri,
Hyacinthi præparator. ana drachm. quatuor.
Margaritar: præp. drachmas quinque.
Cinnamomi electi, drachmas duas.
Caryophyllorum, drachmam unam
Seminis Acetoſæ, drach. duas.
Corticum Citri,
Sandali albi, ana drachmam unam ſemis.
rubri, drachmas duas,
Spodii præpatati, drachmas quinque
Raſuræ Eboris, drachmas tres.
Croci orientalis, drachmam unam,

Cornu Cervi Philoſ: præparati drachm. quatuor.
Folior. auri puriſſimi numer: quinquaginta.
Fiat omnium Pulvis.

VIRES & USUS.

Ità hic Pulvis etiam inter vulgus innotuit, ut frequentius citrà medici præſcriptionem ſub titulo Fucker-Pulver, *in omnis generis exanthematibus Puerorum expetatur, quanquam & adverſus peſtilentium febrium noxas, ac contagioſorum morborum invaſiones potens ſit, omnia enim etiam maligna exanthemata efficaciter expellit, ac Cor à putridi Vaporis aut humoris contaminatione tutum reddit. Datur à ſcrupulo ſemis ad drachmam ſemis, in aqua Cardui Benedicti, Acetoſæ vel Borraginis.*

PULVIS PANONICUS CORRECTUS DD: Fr:

℞. Boli Armen. ùt ſuprà præpar. uncias tres,
Terræ Lemniæ veræ præparat. uncias duas.
Lapid. Smaragd. præp.
Saphir: præpar.
Hyacinth. præp.
Rubini præp.
Granor: Kermes, ana unciam
Margaritar. orient. præpar: drachm. quinque,
Oſſ: de Corde Cervi, drachm. duas,
Radic. Scorzoneræ,
Contrajervæ, ana drach. tres.
Seminis Cardui Benedicti,
Napi,
Aquilegiæ,
Florum Sulphuris,
Cortic. Citri,
Sandali albi ana drachmam unam ſemis,
rubri, drachmas duas.
Spodii præpar. drachmas quinque.
Raſuræ Eboris, drachm: tres.
Croci orientalis, drachmam unam ſemis.
Folior. Auri num: ſexaginta.
Miſce fiat Pulvis.

Cujus uſus & Doſis eſt út prioris.

PULVIS AD PARTUM Seu ad Dyſtokiam. B.A.R.

℞. Pulveris Cinnamomi unc. unã.
Succini alb. præpar: unciam ſemis
Boracis,
Hyppoſorcheos, ana unciam unam:
Croci ſcrupulos octo.
Omnia in tenuem pollinem redacta miſceantur.

VIRES & USUS.

Pulverem hunc ad Partum facilitandum, & ſecundinàs expellendas experientia & multiplex uſus commendant. Doſis ad ſcrupulum unum.

PULVIS PECTORALIS FLAVUS Comit. Loſchi.

℞. Florum Sulphuris, unciam unam ſemis,
Aloës ſuccotrinæ, Grana quindecim,
Maſtichis electæ, drachmam unam.
Myrrhæ electi,
Cro-

Croci orientalis, ana grana quinque.
Sachari Candi albi, unc. duas,
Miſce fiat Pulvis.

VIRES & USUS.

In affectibus Pectoris cujuſcunque ætatis valdè nobis commendatus habetur. Doſis ad ſcrupulos duos & ultra.

PULVIS PECTORALIS D. D. FUCHS.

℞. Pulveris Liquiritiæ, unc. unam.
Rad. Ireos fl:
Flor: Sulphuris,
Benzöe ana unciam ſemis.
Aſellor: præp.
Ocul. Cancror: præp. ana drachm. duas.
Sachari cand: alb. unciam unam ſemis.
Olei deſtillati Aniſi,
Fœniculi, ana guttas decem.
Miſce fiat Pulvis.

Cujus doſis drachma ſemis in aqua appropriata.

PULVIS PLEVRITICUS P. A. R.

℞. Mandibular. Lucii pis. præp.
Dentis Apri uſti præp. ana drachmas duas.
Lapidum Percarum,
Talorum Leporis,
Ocul. Cancr. præp.
Lucii Piſcis præp.
Semin. Cardui Benedicti,
Artemiſiæ rubræ, ana drachmam unam.
Miſce fiat Pulvis.

VIRES ET USUS.

Contra omnes laterum puncturas in Plevritide tam ſpuris, quàm exquiſita, etiam in epedemica illa, quâ doloris vehementiâ multi jugulantur, ad dolores mitigandos, inflammationes reſolvendas, ſudoréſque eliciendos ſingulare eſt remedium. Doſis ad Scrupulos duos in Aqua Cardui Benedicti vel alia appropriata.

PULVIS PLEVRITICUS MYNSICHTI.

℞. Florum ſulphuris compoſit: unc. ſemis.
Raſur. dentis Verris aprugni.
Mandibul. Luciorum ana drachm. duas.
Flor: Papav: rhead: drachmam unam.

VIRES & USUS.

Tanquam ſecretiſſimum Arcanum in Plevritide, Apoſtemate. ac omnibus putrefactionibus Pulmonum ab Authore perhibetur. Doſis ad drachmam unam ex Aqua Flor. Chamomillæ & Papaveris errat.

PULVIS PRÆCIPITANS OFFICINALIS.

℞. Oculor. Cancror. præp.
Matris Perlar. præp.
Cornu Cervi Philoſ: præp. ana drachm. ſex.
Antimonii Diaphoretici,

Specifici Antifebril: Croll.
Corallior: rubr: præparat. ana unciam ſemis.
Nitri præparati, drach. quinque.

VIRES & USUS.

In acido primarum viarum corrigendo, & Maſſam ſangvineam depurandam, ubi denique præcipitatione, vel Diaphoreſi opus eſt, utiliter ad drachmam unam in Aqua fontana aut alia appropriata exhibetur.

PULVIS SENÆ MONTAGNANÆ P. A. R.

℞. Folior: Senæ, unc. unam ſemis
Zinziberis,
Macis ana drachmas tres,
Cinnamomi,
Tartari, ana drachmam unam ſemis.

Fiat Pulvis.

VIRES & USUS.

Purgantur hoc Pulvere humores aduſti, ſeroſa colluvies, pituita ſalſa, eóque Cutis fœditas ac Scabies tollitur. Doſis ad ſcrupulos duos.

PULVIS SPECIFICI CEPHALICI MICHAELIS.

℞. Cinnabaris Antimonii per ſublimationem ſæpius rectificatæ, vel nativæ ſelectioris ſexies vel ultrà rectific: uncias tres,
Fœculæ Pœoniæ, unciam unam ſemis:
Magiſterii Epileptici, unciam ſemis.
Cordialis unc. duas.
Foliorum Auri numerô quadraginta.

Miſce fiat Pulvis.

ANIMADVERSIO ET USUS.

I. *Totam hanc compoſitionem impugnat* Cl. Ludovici *in ſua Pharmacopæa, ex eo, quod plurima ingredientia exiguæ ſpecificæ, & prolixæ præparationis, præcipuè Magiſteriorum, quibus præparata & levigata ſunt præferenda, Cinnabarim itidem toties ſublimari improbat, cui æquè multi ſubſcribunt, & potiùs ſpecificô Cæphalicô ex præparatis, quod ſub nomine* Pulveris Cephalici Auguſtanor: *deſcribitur, ſuffragari conſulunt.*

II. *Quia tamen vulgo & conſvetudini aliquid relinquendum, etiam deſcriptiones Magiſterii Epileptici & Cordialis aliàs haud uſualem hicce ſubnectimus.*

℞. Ungulæ Alcis,
Cornu Alcis,
Cervi,
Cranii humani violentâ morte perempti, ana unciam unam.
Smaragdor: orient. veror. unciam ſemis.
Unicornu veri, drachmas duas.

Pulveriſata hæc omnia ſolve ſpiritûs, ex ſalis marini & aluminis partibus æqualibus deſtillati, quantitate ſufficiente, ſoluta præcipita ſpiritu Vitrioli, præcipitatum edulcora, & adde Magiſterii ſuccini, drachmam unam. Deſcriptio *Magiſterii Cordialis* ſequens eſt.

℞. Co-

℞. Corallior. rubror. præpar.
Lapid. Percar. præp. ana unciam unam.
Margaritar: or. præp. unciam ſemis,
Raſuræ Eboris,
Cornu Cervi, ana drachmas ſex.
Pulveriſata omnia ſolve menſtruo prædicto, eodémque modo præcipita & edulcora.

III. *Magnam famam in affectibus Capitis, Apoplectis, Epilepticis, & aliis ſpaſmodicis merebatur. Cujus doſis à ſcrupulo ſemis ad drachmam ſemis extendi poteſt.*

PULVIS STEGNOTICUS GUTMANNI.

℞. Lapid: Aetitæ, drachm. unam.
Hæmatitis præp.
Carneoli præp.
Cornu Cervi uſti, præp.
Terræ Sigillat. ver: ana drach: ſemis.
Corallior. rubror: reſolutor. drachmas duas.
Omnia in tenuiſſimum pollinem redacta miſceantur.

VIRES, & USUS.

Ad omnes fluxus ſangvineos narium & hepatis ſiſtendos, menſes ſuperfluos, Dyſſenteriam, Diarrhæam, alvi & uteri profluvia alba, ſingularis eſt efficaciæ. Doſis ad drachmam unam in Aqua plantaginis, aut alia ſimili traumatica.

PULVIS SPERNIOLÆ CROLLII.

℞. Myrrhæ electæ,
Thuris maſc: ana uncias duas.
Croci triti, drachm: ſemis.
Camphoræ, drachmas tres.

Tere omnia & miſce.

Pulverem hunc imbibe Aquâ deſtillata ſperniolæ, id eſt, ſpermatis Ranar: vigeſies vel trigeſies, ità tamen ut ſemper priús ſponte exſiccetur. Hinc ſerva uſui.

ANIMADVERSIO ET USUS.

I. *Aquæ deſtillatæ ſpermatis Randr: quâ hic Pulvis imbibi debet, præfertur ipſum Ranarum ſperma in aqua ſponte ſolutum, pauxillô Aluminis nuptum, quo ipſo ſpecies ſeptiès ſunt irrorandæ. Et Camphora in fine addi poteſt.*

II. *Sperniola colligenda eſt menſe Martio triduum circiter ante novilunium, ſic non fœtet.*

III. *Summum eſſe remedium perhibetur in Hæmorrhagia è Naribus, Gutture, Utero, quia frigiditate ſua coagulat ſangvinem. Confert quoque, ſi ſolvatur cum Aceto, & Eryſipelati, doloribusque Podagricis calidis applicetur. Hæmorrhagiam quoque vulnerum impoſitione ſiſtit, Paronychiam necat, &c. Doſis à granis quatuor ad octo.*

PULVIS STERNUTATORIUS.

℞. Majoranæ, drachmam unam ſemis.
Betonicæ,

Pyrethri, ana drachm: ſemis,
Hellebori utriúſque, ana drach: unam.
Pulegii. ſcrupulum unum.
Fiat Pulvis.

VIRES ET USUS.

Pituitam, ac phlegma craſſum è naribus elicit, cerebrum â tenacibus humoribus purgat, & oſſis ethmoidis obſtructiones reſerat.

PULVIS STOMACHALIS BIRKMANNI.

℞. Pulveris Rad. Ari præp. uncias duas.
Acori vulgaris,
Pimpinellæ, ana unciam unam,
Oculorum Cancror: unciam ſemis,
Cinnamomi, drachm: tres.
Salis Abſynthii,
Juniperi, ana drachm: unam,
Sachari Roſati ad pondus omnium.
Conficiatur Pulvis guſtui gratus.

VIRES & USUS.

Pulvis hic ad varia ſtomachi vitia, dolores, cardialgiam &c. egregiè conducit. Doſis ad drachmam unam.

PULVIS contra STRUMAS P. A. R.

℞. Spongiæ combuſtæ,
Pilæ Marinæ toſtæ,
Oſsis ſæpiæ,
Piperis longi,
nigri,
Zinziberis,
Cinnamomi,
Salis Gemmæ,
Pyrethri,
Gallarum,
Lapidis Spongiæ. ana unc. unã
Pulveriſentur & miſceantur.

VIRES, & USUS.

Ad Strumas abolendas, reiteratâ ſæpius ejus aſſumptione ad drachmam ſemis, feliciter exhibetur.

PULVIS TABACÆ MENDICAMENTOSÆ.

℞. Herbæ Majoranæ drachmas duas,
Betonicæ, unciam ſemis.
Flor. Lavendulæ,
Cubebarum,
Caryophyllorum.
Ireos flor. ana drachm. unam.
Olei Ligni Rhodi, ſcrupul. ſem.
Cinnamomi guttas quindecim,
Moſchi grana octo.

USUS & VIRES.

In obſtructione glandulæ pinealis, Coryza, & gravitate Capitis uſurpatur.

PULVIS ſeu TRAGÆA STOMACHALIS.

℞. Seminis Coriandri præp. unciam ſemis.
Aniſi, præp.
Fœniculi præ
Carvi præp.

Cin-

Cinnamomi acuti, ana drachmas duas,
Nucis Moſchatæ,
Cardamomi minor:
Galangæ minor: ana drachm. unam.
Caryophyllorum,
Zinziberis albi,
Macis ana drachmam ſemis,
Sachari albiſſimi ad Pondus omnium.

VIRES & USUS.

Concoctionem adjuvat, cruditates ventriculi arcet, & flatus inde exortos calefaciendo diſſipat. Datur ad Drachmas duas cum fruſto Panis toſti Vinô emmolliti poſt prandium vel cœnam.

PULVIS contra TUSSIM INFANTUM. D.D.L.

℞. Radic. Pœoniæ maris, unciam ſemis.
Ireos fl. drachmas ſex.
Serpentariæ, drachm. duas.
Croci auſtriaci, drachm. unam.
Sachari candi, unciam unam:
Miſce fiat Pulvis.

VIRES & USUS.

Ex titulo patent. Datur cuſpidatim Minſichtus in ſuo Armament: ſect. V. pag. m. 109. aliam ponit compoſitionem, quæ etiam videri poteſt in Diſp. Vienn. pag. 169.

PULVIS contra VERMES P. A.R.

℞. Seminis ſancti, uncias quatuor.
Folior. Senæ, unciam unam.
Coriandri præparat.
Cornu Cervi, ana drachmam ſemis.
Fiat Pulvis.

Cujus vires in enecandis & expellendis lumbricis longo uſu comprobatæ. Doſis ad ſcrupulum unum & ultra.

PULVIS VIOLARUM ODORATUS P. A.R.

℞. Ireos florentinæ, uncias ſex.
Roſarum rubrar: Uncias quatuor,
Cyperi, drachm. ſemis.
Majoranæ,
Caryophyllorum,
Styracis, ana unciam unam.
Benzöi,
Sandali citr: ana unciam ſemis.
Violarum, drachmas tres,
Moſchi, drachmam unam.
Fiat Pulvis.

VIRES & USUS.

Pulvis hic tametſi ad odoramenta potiſſimum expetatur, Caput tamen extrinſecus adhibitus eximiè roborat, ac cordis palpitationi medetur. Proſtat etiam paratus ſinè moſcho.

PULVIS VISCERALIS INTERNUS D.D.L.

℞. Pulveris Millepedum præp.
Lumbricorũ terreſtr: præparat.
Viperar. ver: ana ſcrupulos quatuor.
Radic. Pœoniæ,

Seminis ejuſdem, ana drachmam unam,
Viſci quercini,
Ungulæ Alcis præp.
Cranii humani præp.
Cinnabar: nativæ præp.
Oculor. Cancror. præp.
Margaritar: orient. præpar.
Succini albi præp. ana ſcrup. duos.
Antimonii Diaphoretici, ſcrupulum unum,
Bezoar occidental. ſcrupulum ſemis.

Miſce fiat Pulvis.

VIRES ET USUS.

In diverſis Viſcerum morbis, Arthritide, Paralyſi, Colica, Convulſionibus, & nervorum ſpaſmodicis affectibus multâ experientiâ comprobatur. Doſis ad drachmam ſemis in convenienti vehiculo.

PULVIS VITÆ AUREUS.

℞. Cinnabaris nativæ præp. unc. duas ſemis,
Antimonii, unciam unam,
Magiſterii Cornu Cervi,
Cranii humani,
Ungulæ Alcis,
Corallior: rubr.
Perlar. orient. ana drachmam unam.
Sachari albiſſi: unciam ſemis.
Folior. Auri num: viginti.

Miſce fiat Pulvis.

ANIMADVERSIO ET USUS.

Dicitur incompletus, completur autem addendo

Ambræ gryſeæ, ſcrupulum unum.
Moſchi grana quindecim.

Notandum etiam hic, quod ratione Magiſteriorum in ſpecifico Cephalico Michaëlis dictum eſt, unde præſtat, ut potius loco horum, præparata ſumantur, cùm exigua virtus in tali capite mortuo, vel calce lateat.

Uſus hujus Pulveris Cephalicus & Cordialis eſt. Cujus doſis ab aliquot granis ad ſcrupulum unum.

PULVIS VITÆ STOMACHALIS CÆSAREUS.

℞. Folior. Senæ ſinè ſtipit. uncias tres,
Cubebarum,
Cardamomi minoris, ana drachmas decem,
Pulmonis Vulpini præparat. Unciam unam.
Cremoris Tarrari,
Baccarum Juniperi, ana drachmas ſex,
Radicis Zedoariæ,
Enulæ,
Liquiritiæ,
Cornu Cervi, Philoſ. præp.
Macis ana unciam ſemis,
Rhabarbari, drachmas tres,
Zinziberis albi,
Cinnamomi optimi,
Caryophyllorum,
Olibani electi,
Herbæ Scolopendriæ,

Her-

Herbæ Veronicæ,
Salviæ,
Cardui benedicti,
Centaurii minoris,
Seminis Anisi,
Fœniculi,
Rutæ,
Carvi,
Petroselini,
Urticæ rubræ, ana drachmas duas,
Sachari candi albi, unc. novem
Mixta redigantur in Pulverem subtilissimum.

ANIMADVERSIO ET USUS.

I. *Diversissimæ hujus Pulveris dantur descriptiones, omnes attamen in plurib us cum hac juxtà Dispensatorium Viennense coincidunt.*

II. *Ob vires Stomachicas, Cephalicas, confortantes, flatus & tormina discutientes hoc nomine gaudet, Dosis à drachma semis ad drachmam unam.*

R.

REGULUS ANTIMONII.

℞. Antimonii electi, libras duas.
Tartari, libram unam.
Nitri, uncias sedecim.
Misceantur, & in crucibulo ignito detonentur, postea igne suppressionis adhibitô in fluorem deducantur, in Conum fusorium calefactum, & sevo illitum effundantur, Conum, ut in fundum abeat Regulus concutiendo, tandem scorias ab eo separando, & Regulum aquâ abluendo, ex scoriis verò aquâ solutis crocum metallorum, atque per præcipitationem Crocum emeticum, vulgò *Sulphuris Aurati Diaphoretici* nomine notum, separando.

Usus hujus Reguli simplicis est ad scyphos vomitorios conficiendos, aliósque labores Chymicos, pariter & medicos.

REGULUS ANTIMONII JOVIALIS.

De hoc vid: pag. 19. ubi de Anti-hectico Poteri egimus.

REGULUS ANTIMONII MARTIALIS STELLATUS ZWELFFERI.

℞. Antimonii Hungarici veri, uncias sedecim,
Liquefiat in crucibulo, igne forti, cui statim immergantur Clavor: ferreor: bene purgat: & candefactorum priùs, unciæ octo.
Quibus probè liquatis ac unitis, super injiciantur
Nitri purissimi &
Salis Tartari, ana uncia una semis vel unciæ duæ,

Fluant ſic probè per horæ quaquadrantem, aut ultra, igne fat forti, ad inſtar aquæ; & tandem in calicem fuſorium, ſevò illitum, fundantur, calicem malleolò in ipſa infuſione continuò percutiendo, ſicque promovendo Reguli ſubſiſtentiam & ſeparationem. Refrigeratis pòſt omnibus, eximatur tota Maſſa; cui in fundo adhærebit Regulus, ſuperiori ſua parte jam dum ſtellam obſcurè repræſentans: qui à ſcoriis ſeparandus, & denuò ſecunda ac tertiâ vice, additâ ſemper de Nitro & ſale Tartari particulâ fundendus, ac calici fuſorio infundendus eſt; ſingulis autem vicibus ſcorias ſeparando. Sic mox in ſecunda vel tertia fuſione ſtella in ſuperna Reguli parte exactè repræſentabitur, ac ſi arte, juxtà dimenſionem figurata fuiſſet.

Plures modos parandi hunc Regulum habet Sennertus in Inſtitutionibus lib. 5. Cap. 19.

REGULUS ANTIMONII MEDICINALIS.

℞. Antimonii pulcherimi, uncias quinque.
Salis communis uncias quatuor.
Tartari probè calcinati, unciam unam.

Trita in pulverem tenuem exactè miſce, ac crucibulo paulatim & ſucceſſivè inſperſum, igne ſufficienti adminiſtrato liqua; ſed nota, nè, antequam quod primùm injeceris, optimè fluat, aliud denuò inſpergas, aliàs tempus & operam perdes, ubi omne fuerit ingeſtum, igne auctiori fluat per horæ quadrantem inſtar aquæ, poſtea igne exemptum crucibulum quieſcat, & refrigeretur, ſic ſcoriæ cum ſalibus inſuperficie, Regulus infundo, picei coloris, ſplendens, fractò crucibulò, reperietur, quem à fragmentis & ſcoriis ſeparatum & ſubtiliſſimè tritum, ſub forma Pulveris punicei, vulgò brunni coloris, vaſe optimè clauſo ſerva.

ANIMADVERSIO ET USUS.

Dicitur aliàs Febrifugum D. Craanii, *nullum enim Vomitum cauſat, verùm per Diaphoreſim operatur, & eſt egregium febrium tertianarum antidotum. Doſis grana 15. ad ſcrupulum unum & ultra cum ſale Cardui benedicti aut alio ſimili additamento.*

Hunc Regulum ſi quis compendioſiùs parare vult, adeat Commerc. Liter: obſervationem D.D. Henr: Schultzii ſpecim. X. pag. 74. & *monita deſuper facta* à D. Pharmacopæo Norimbergenſi Dieterici ſpecim: XVII. pag. 132.

REQUIES NICOLAI.

Vide Electuarium.

ROOB CYNOSBATI.

℞. Fruct: Cynoſbati maturor: ab acinis purgat: libras duas.
Sachari, libram unam.

Coquantur ad debitam conſiſtentiam.

Vi-

VIRES ET USUS.

Usurpatur ad renum calculos & arenulas expurgandas, hæmorhagias etiam Uteri, Renum, & Vesicæ cohibendas: Dyssentericis quoque auxilio est.

ROOB DIAMORON.

℞. Succi mororum domest. depurati libras quinque.
In quibus solvatur Sachari libra una.
Clarificetur cum albumine ovi, & fiat coctio ad justam consistentiam.

VIRES & USUS.

Hoc in oris affectibus, excoriatione nimirúm, & vesiculis, aliis his malis destinatis medicamentis commodè additur.

ROOB EBULI.

℞. Succi Granorum Ebuli, libr. unam,
Inspissetur lento igne, additâ libra semis Sachari.

VIRES & USUS.

Bilem, pituitam, & serum detrahit, sudores movet; unde hydropicos juvat, Levcophlegmatiæ, & Podagræ procurato ab ejus sumptione sudore, medetur.

ROOB JUNIPERI.

Eodem modô, quo prius parari consvevit.

VIRES ET USUS.

In urina movenda & calculis pellendis laudem meretur, hydropicis etiam commendatur. Vulgò adversùs aëris infectionem & contagiosos morbos antidotus familiaris existit.

RQOB MYROBALANORUM.

℞. Quinque generum Myrobalanorum,
Rhabarbari electi, ana uncias duas,
Concisa & contusa infundantur per noctem in
Aquæ fontanæ, libris tribus.
Unâ alterâve ebullitione peractâ fortíque expressione coquantur cum
Sachari albi, unciis octo.
Lege Artis ad consistentiam addendo saporis gratiâ
Eleosachari, Nucis Moschatæ, drachmam unam.

VIRES, & USUS.

In Dyssenteria, aliisque alvi profluviis, præcipuè subjectis tenerioris ætatis utiliter exhibetur.

ROOB NUCUM.

℞. Succi Corticum viridium Juglandium diebus canicularibus extracti libras quatuor,
Mellis libras duas.
Coquantur ùt artis est.

VIRES & USUS.

Dicitur etiam Diacaryon Mesue, est Medicamentum admodùm efficax,

ad deſtillationes tenues in fauces, ad oris phlegmonas, ſynanchas & apthas infantum excellens.

ROOB SAMBUCI, & ROOB DE SPINA CERVINA.

Fit ùt Ebulinum.

VIRES & USUS.

Utrúmque Ebulino viribus affine eſt; etenim ictericos & hydropicos juvat, ſudoréſque potenter prolicit, ac ſerum acre, nec non bilioſi ichoris abundantiam, & eryſipelata ejicit. Alterum tamen in forma ſyrupi uſitatiùs eſt potentiúſque per alvum ſubducit.

NB. Roob Cynoſbati, Ebuli, Juniperi, ſambuci, & ſimilia etiam abſque Sacharo ad juſtam conſiſtentiam parari ſolent.

ROTULÆ BERBERUM.

℞. Sachari albiſſimi pulveriſati, libram unam,
Incaleſcat ad ignem, dein addatur
Succi Berberum depurati, q.ſ.

F.L.A. Rotulæ. *Quarum Uſus.*

Ad ſitim ſedandam, & refrigerationem procurandam recommendatur.

ROTULÆ DIAIREOS SIMPLICES.

℞. Specier. Diaireos ſimplicium, Unciam ſemis.
Extracti Liquiritiæ, drachmas duas
Sachari albiſſimi cum ſ. q. Aquæ Violarum ad conſiſtentiam Tabulati cocti uncias ſedecim, aut q. ſ. eſt.
Miſce fiant L. A. Rotulæ.

In affectibus Pectoris & Tuſſi ſingulares.

ROTULÆ MANUS CHRISTI SIMPLICES.

℞. Sachari albiſſimi, libram unam
Aquæ Roſarum fragrantiſſimæ q. ſ. ad diſtemperandum leniſſimo igne ſacharum, & Tabulati conſiſtentiam breviter coquendum, ut queant formari Rotulæ.

ROTULÆ MANUS CHRISTI PERLATÆ.

Parantur eodem modo, ſub finem coctionis addendo
Margaritar. præpar. drachm: ſemis.
Fiant Rotulæ.

In æſtu febrili, deliriis & cauſo ſalutares.

ROTULÆ PERLATÆ SULPHURATÆ,

℞. Margarit: præpar. drachmam ſemis.
Lactis ſulphuris ſcrupulum unum,
Sachari albiſſimi in aqua Lochſani ſoluti & ad debitam conſiſtentiam cocti unc. tres.
Miſce fiant L. A. Rotulæ.

Quarum vires Cordiales, & in affectibus pectoris præclaræ.

RO-

ROTULÆ DIATRAGACANTHI.

℞. Specier. Diatragacanthi frig. unciam ſemis.
Sachari albi in ſ. q. Aquæ Roſar: ſoluti & ad conſiſtentiam tabulati cocti, uncias quatuor.

Miſce ùt Artis eſt, & fiant Rotulæ.

Quæ in tenuibus & acribus defluxionibus commendantur.

ROTULÆ CONTRA VERMES.

Parantur ex Pulvere contra Vermes & ſacharo in ſ. q. Aquæ flor. Perſicor. ſoluto.

ROTULÆ VIOLARUM.

Parantur ex infuſione Violarum ſuo tempore cum ſacharo ùt Artis eſt.

Uſus præcipuus eſt in Catarrhis & defluxionibus ſalſis.

S.

SACHARUM LACTIS:

Paratur ex ſero lactis optimè cum albumine ovi clarificato & filtrato, inſpiſſando illud uſque ad cuticulam; tum reponatur in Cellam, ùt cryſtalliſetur, tandem modico aquæ frigidæ abluatur, ut flavedo ſecedat, & exſiccetur.

Vires poſſidet analepticas & pectorales.

SACHARUM PENIDIUM.

Sacharum ad conſiſtentiam juſtam ſ. a. coctum, ſuper tabula marmorea oleô Amygdalar. dulc: imbutâ, effuſum, donec eátenus refrigeſcat ut Terebinthinæ denſæ inſtar, manibus terſis & Amylò ſæpius aſperſis ſuper unco ferreo iteratò & operoſè tractari, ac filorum inſtar craſſorum aut funium duci, tandémque poſtquam ſufficienter refrixerit, ac candorem contraxerit, in baccillos oblongos, digitum circiter craſſos contorqueri ac efformari poſſit.

Præfertur Sacharo ſimplici in pulveribus pectoralibus & linctibus incraſſandi ſcopum habentibus, datur pueris & infantibus in manus ad lingendum.

SACHARUM ROSATUM TABULATUM.

℞. Flor: Roſar: rubr: ſollicitè ſiccat: & pulveriſator: drachm: duas:
Irrorentur ſpiritûs Vitrioli guttis duodecim:
Poſtea immiſceantur.
Sachari albi in Aqua Roſar. diſſo-

ſoluti & ad debitam conſiſtentiâ cocti, unciæ quatuor.
Fiat confectio in Tabulis vel Morſellis.

USUS & VIRES.

Cordi & Hepati æſtuanti ſuccurrit, ac ſitim, fauceſque ſiccas ſolatur.

SACHARUM SATURNI.

℞. Minii aut Lithargii, q. v.
Perfundatur Acetô deſtillato ad eminentiam quatuor digitorum, digeratur viginti quatuor horis in loco temperatè calido. ſæpiùs ſpatulâ ligneâ agitando, donec acetum ſaturatè flaveſcat, (cavendo ſemper ab exhalatione Pulmonibus noxia) ſaturatum acetum decantetur, & novum Acetum ùt prius affundatur, idque toties reiterandum, donec non ampliùs coloretur, extractiones omnes conjunge, & abſtrahe acetum ad mellaginem, cui demum affunde Aquam Pluviæ deſtillatam ad hanc mellaginem reſolvendam, quam aliquamdiu digere, donec fœces ad fundum ſecedant, clarum decanta, & denuò Aquam Pluviæ deſtillatam reſiduo affunde, idque toties, donec omnis dulcedo fuerit ſoluta & extracta, fœcibus ſolummodo in fundo reſiduis. Extractiones has omnes per Chartam emporeticam colatas evapora, & obtinebis Sal in Cella humida in liquorem reſolubile; quod denuò acetô deſtillato ſolvendum, ac tres pluréſve dies in cineribus calidis digerendum, ſæpiùs de die movendo, tum demum filtrandum, ac evaporatione ad cuticulam factâ, in loco frigido cryſtalliſandum. Quod ut citiùs ac feliciùs ſuccedat, affuſô Cryſtallis ſpiritu Vini rectificatiſſimo ut modicum digerantur, ſpiritúmque ad medietatem abſtrahendo, in nitidiores abeunt Cryſtallos.

ANIMADVERSIO ET USUS.

I. Ettmüllerus in Collegio Chymico Lect. XXXVI. *animadvertit in hujus ſachari præparatione, ut non omne Acetum à ſoluto abſtrahatur, ob periculum, nè fulminet Saturnus, quod non rarò ſibi contigiſſe propriâ teſtatur experientia. Breviori viâ paratum ex cineribus aut calce Plumbi videri poteſt in P. A. R. pag. 327.*

II. *Quid ratione uſûs interni* Boerhaavius *ſentiat, legi poteſt* Chym: P. II. pag. m. 456. ubi dicit nullos felices ſucceſſus vidiſſe, cùm vix doloſius haberi, tetrúmque magís venenum, quam ab hoc plumbo, ſtatim in ceruſſam redituro, ac acidum ab occurente quacunque re inde abſorbetur. Hinc lethale, nec facilè poſtea ſanandum Venenum corpori inducitur. *Plura ſimilia videri poſſunt in Tract.* Vernaculo Stahlii de Sulphure pag. 25

III. *Externè in affectibus quibuſdam oculorum, ſub collyriis, nec non in ambuſtione ulceribus &c. Paulò ſecurioris quidem uſus eſt, nihil ominùs tamen*

men pariter cautum requirit Artificem, nè in tempestivè & incongruè (quod quàm optimè Berolinenses admonent) ordinetur.

SALIA FIXA VEGETABILIUM.

EX: Gr: SAL ABSYNTHII.

℞. Absynthii sicci, quantum vis. Comburatur in Cineres albos, Sal extrahatur cum aqua communi calida, aliquamdiu digerendo, postea Aqua per inclinationem & filtrationem separetur, idque, novam affundendo aquam, eo usque repetatur, donec aqua lixivioso sapore amplius non imbuatur; tandem exhalando coaguletur, & denuò solutum, filtratum, atque donec pellicula in sumitate concrescere incipiat, evaporationi commissum, reponatur, ut in crystallos concrescat, qui exsiccentur, & remanens liquor ulteriori crystallisationi, evaporando, & reponendo accomodetur.

Eodem modò parantur & reliqua salia vegetabilium, quæ ordine Alphabetico in Taxa continentur, exceptis paucis, quorum peculiaris parandi modus subsequetur.

ANIMADVERSIO ET USUS.

I. Tacklenius *svadet, ut locò siccarum recentes herbæ assumantur, ex quibus combustis plus salis fixi obtineri posse contendit.*

II. *Multi sunt, qui Cineres cum Sulphure pulverisato ad deflagrationem calcinant, talia salia sunt, quæ ex Hungaria ad nos deportantur, ubi omnis generis herbæ cum fœno in magna copia comburi solent, ex quibus ità dictum* Sal Vegetabilium Hungaricum *elicitur, idque ob levissimum pretium à nonullis Pharmacopæis emptum, sæpius non sinè parvo Conscientiæ gravamine pro genuino dispensatur, unde non solùm Patiens, verùm etiam Medicus fine & effectu frustrantur; similia salia enim per acidum sulphuris suo alcali orbata potius enixa & & livivosa sunt;* Hinc Zwelfferus *expressè Pharmacopæis injungit*, nè Cineres sulphure admixto deflagrent & calcinent, neque hæc salia cum aqua forti commisceant, & crystallisent, cùm eo modo à naturali sua indole & alkali destruantur. *Etenim fumus sulphuris ardentis verus & legitimus spiritus sulphuris est, qui rosione omnia salsa, & alkalia salia destruit, aut in aliud quid convertit. Id ipsum de inconsiderata admixtione vel affusione aquæ fortis sentiendum est.*

III. *Mirabile est, quod quodvis sal genuinum vegetabile sinè ulla additione paratum cum dupla portione salis* Carolo - Thermensis *in mortario tritum liquescat & lactescat, quod cum alio haud genuino, & cum sulphure parato suóque alkali destructo non succedit, verùm Pulvis tritus utriúsque succissimus manet.*

IV. *Vires ſalium fixorum in genere ad aperiendas obſtructiones, humores craſſos attenuandos, viſcidos incidendos, ac putredinem expugnandam multùm commendantur: hinc medicamentis digeſtivis, antifebrilibus, etiam diureticis & diaphoreticis magna cum utilitate admiſcentur.*

SAL CINNAMOMI.

Ex reliquiis deſtillationum aut extractionum ùt Sal Abſynthii paratur.

Sal Coralliorum.

℞. Corallia rubra ſoluta, id eſt Acetum deſtillatum Coralliis affuſum, & ſufficienter iiſdem imprægnatum, filtretur atque ad ſiccitatem uſque coaguletur

ANIMADVERSIO ET USUS.

Varios modos ponit Schröederus Sal Coralliorum parandi, lib. III. pag. m 326. *aſt poſt omnia non nisi magma ſalinum eſt, quod nativas Coralliorum vires non præſtat: unde nec hodie multum à Medicis æſtimatur.*

Sal Cornu-Cervi volatile.

Vide ſpiritus, ubi Sal volatile ſimul paratur.

Sal Cranii humani volatile.

Pariter ſub ſpiritûs præparatione acquiritur.

Sal Herbarum ſeu Plantarum officinale.

Paratur ex Herbis omnibus, quæ diuturnitate temporis ad alium uſum medicum minùs aptæ ſunt, ad normam ſalis abſynthii.

Sal Jovis Anglicum.

Paratur ex Cineribus Jovis ùt Sacharum Sarurni. Begvinus verò id in ſuo Tyroc. Chym. ſequenti modô parare docet: Diſſolve ſtannum Anglicanum in Aqua fortifacta ex Alumine & Nitro. Quieſcat ità diſſolutio, & videbis calcem ſtanni, albam inſtar nivis, ad fundum vaſis, præcipitatum iri, quam ſublimari oportet, ſicuti cùm flores alibi Antimonii parantur, & invenies pulverem albiſſimum inſtar pollinis, in capitello ſublimatorii, qui in aceto Vini ter deſtillato diſſolvendus, & integrum biduum digerendus, vas ſæpe agitando. Dein eo, quod diſſolutum eſt, per inclinationem effusô, aliud acetum Vini reaffundendum ſuper id, quod adhuc diſſolvendum reſtat, & omnia menſtrua uſque ad ſiccitatem, per B. M. exſtillanda, bonúſque ſpiritus Vini ſuper id, quod in fundo vaſis remanebit fundendus, digerendus, decantandus, & alius ſpiritus ſubſtituendus, donec totum reſolvatur. Tunc oportet duas tertias ſpiritûs, per Balneum exſtillari, & reliquum in frigidum collocari, ut Cryſtalli formentur, qui ſeparati in liquorem reſolvuntur, ſi in locum humidum, ſuper marmor, ponantur.

Vi-

VIRES & USUS.

Bergvinius *id in ſuo Tyroc: Chym:* lib. II. Cap. XVII. pag. m. 333. *etiam Vitriolum Jovis apellat, quod in morbis venereis commendat; ſi quidem omnis generis ulcera fœtida, fiſtulas, lupos, cancros, noli me tangere, & alia carcinomata maligna curat. Tres vel quatuor guttæ ejus umbilico fœminæ hyſtericæ calidè infricatæ, uteri ſuffocationem ſtatim tollunt. Duæ verò vel tres guttæ intra corpus exhibitæ potenter alvum movent.*

Sal Lumbricorum volatile.

Vide ſub præparatione Spiritûs.

Sal Martis dulce Schröederi.

℞. Limaturæ Martis quantum vis,
Irroretur optimè Acetô deſtillatô, ut paſta inde fiat, quæ ſiccetcat: ſiccatum tere ac irrora iterum &c. Idque repete multoties, tandem effunde phlegma Aceti, coque bulliendo, & filtra; humiditate in M. B. abſtractâ, digere cum ſpiritu Vini, & ad cryſtalliſandum repone.

ANIMADVERSIO ET USUS.

I. *De hoc Sale ſcribit* Io: Wallæus, *quod ſit corrigens omnium purgantium, & vim purgantem adjuvet. Ex hoc ſale Martis conficiuntur etiam Pilulæ ſpadanæ, ſic dictæ, quòd locò Acidularum ſpadanarum eſſe queant, vel quod ſpadæ frequenter uſurpentur.*

II. *Vires ejus ſunt incidentes & aperitivæ; viſcerum enim & uteri obſtructiones etiam contumaciores reſerat. Doſis à granis tribus ad quinque & ultrà.*

SAL POLYCHRESTUM RUBRUM.

℞. Arcani duplicati, unciam ſemis.
Nitri antimoniati, unc. unam,
Tartari vitriolati, drachm: ſex.
Cinnabaris Antimonii,
Nativæ præpar.
Salis Prunellæ,
Abſynthii, ana drachm. duas.
Miſce fiat Pulvis ſubtilis.

VIRES, & USUS.

Alii Sal Prunellæ & Abſynthii *omittunt, & Pulverem* Bezoarticum, *ſeu* Spaſticum Halenſem *vocant. Singularis hic Pulvis efficaciæ eſt in omnibus affectibus ſangvinis, & motibus ejusdem inordinatis, ubi congeſtiones, confluxiones, ſtagnationes, & ſpaſmi varii oriuntur. Unde in Eryſipelate, & Cholera tanquam ſpecificum medicamentum commendatur. Doſis eſt ſcrupulus unus ad drachmam ſemis in qualicunque vehiculo.*

Sal Prunellæ, vide Nitrum præpar.

Sal Sangvinis humani volatile *vide* Spiritus ubi & Sal volate paratur.

Sal Saturni vide Sacharum.

Sal Succini volatile, vide Oleum, ubi & ſal volatile paratur.

Sal Tartari ad albedinem Calcinatum.

℞. Tartari crudi & nitri ana partes æquales, ſubtiliſſimè pulveriſata & mixtra in crucibulo detonentur, habebitur Sal Tartari albiſſimum abſque prævia ſolutione in uſum trahendum.

Sal Tartari depuratum.

Sternitur Tartarus in vaſe terreo non vitreato plani fundi ad craſſitiem digiti, ; reverberentur poſtea, ad albedinem uſque ſpatiô quinque vel ſex horarum igne moderato propter fuſionem, tum perfunditur aquâ communi, filtratur, & cagulatur.

Dicitur aliàs: Sal Tartari Fixum, Ex quo per diliquium ſoluto, fit Oleum Tartari per diliquium vocatum. Digerit, & aperit, unde hypochondriaeis & nephriticis auxiliatur, multíſque aliis uſibus medicis deſtinatur.

Sal Tartari Volatile.

Fœces Vini, poſt factam ex eis Spiritûs abſtractionem, ſuper aſſeres effundantur, & in loco umbroſo ſenſim exſiccentur, tum in retora arenæ impoſita igne gradatim adhibito deſtillentur. Sal volatile prolectum cum Aquæ particula ſolutum & per filtrum priùs aquâ madefactum ab oleo ſeparatum, additis cineribus, ſublimando ex phiola, depuretur, *Vires ſunt diureticæ & diaphoreticæ, hinc in febribus intermittentibus ac hydrope magnoperè deprædicantur.*

Sal Vegetabilium Ungaricum.

Eſt illud, quod ex omnis generis Herbis & gramine in magna copia combuſtis, ex cineribus cum ſulphure calcinatis ibidem loci elici ſolet, quod dum minori labore & pretio apud nos haberi poteſt, locò aliorum genuinorum ſalium à quibuſdam minùs cordatis Pharmacopæis quandóque diſpenſatur; hinc in diſtinctionem veri & genuini ſalis cujuscunque vegetabilis hoc nomine inſignitur.

Sal Viperarum Volatile.

Eadem Encheireſi, qua Sal volatile Cornu Cervi, aut Cranii humani ex Viperis exenteratiſ & ſiccatis paratur, de quibus in præparandis ſpiritibus agemus.

Sal Viperarum. Ex præſtantiſſimis remediis utiliſſimum eſt, in febribus malignis, & intermittentibus, Variolis, Apoplexia, Epilepſia, Paralyſi, affectibus hyſtericis, omniúmque venenatorum animalium ictibus. Exhibetur à granis 6. ad ſcrupulum ſemis in liquore appropriato. plura legi poſſunt de hoc ſale volatili in Corpore Pharm. Jo. Helffr. Junker. Edit. 2da. pag. m. 876.

Sal Vitrioli.

Vide Gilla Theophraſti.

SAL

SAL VOLATILE OLEOSUM NOBILE.

℞. Cinnamomi acuti uncias quatuor.
Caryophyllorum,
Macis,
Cardamomi,
Cubebarum, ana drachmas duas,
Corticum Citri libram semis,
Benzoë,
Storacis,
Ligni Rhodii ana drachmas sex,
Radic. Cyperi,
Ireos flor. ana unciam semis,
Spiritûs Vini libras quinque.
Digerantur octo diebus, & tandem destillentur ad medietatem Spiritûs, destillato adde.
Spiritûs Nitri dulcis uncias duas,
Et denuò fœcibus superaffunde, & adde.
Rasuræ Ligni sassafars,
Sem. Coriandri ana drachmas sex
Digerantur insimul duabus diebus, dein lento igne destillentur ad tertiæ partis abstractionem; Spiritui prolecto add.
Olei Cinnamomi guttas duas,
Caryophyllorum,
Cortic. Aurantior: ana guttas quatuor,
Spiritûs Salis Ammoniaci tertiam partem.
Digerantur insimul viginti quatuor horis, servetur usui.

Vires sunt Cephalicæ, Cordiales, & stomachicæ, unde in omnibus Affectibus Capitis, Cordis, & stomachi nobile ob effectum experitur esse medicamentum. Quò vetustiùs est, eò gratiorem odorem & saporem nanciscitur, pro ratione Medici Ambra addi solet. Datur ab aliquot guttis ad scrupulum unum.

Salvolatile Oleosum Sylvii.

Cùm hoc Arcanum sibi Author & suis hæredibus hæreditarium, & celatum esse voluerit, sequens nobis usuale est:

℞. Cinnamomi acuti unci. quatu.
Macis unciam unam semis,
Caryophyllorum unci. unam.
Cardamomi drachmas sex,
Corticum Aurantiorum,
Citri ana uncias duas,
Seminis Anisi,
Fœniculi, ana unciam semis,
Salis Tartari uncias decem,
Spiritûs Vini libras quatuor,
Digerantur insimul tribus diebus, demum L. A. per Alembicum destillentur; destillato spiritui add.
Spiritûs Salis Ammoniaci volatilis drach. duas.
Olei Cinnamomi guttas duodecim.
Caryophyllorum
Macis ana guttas decem,
Mixta serventur usui.

Vires & Dosis priori correspondent.

Sal Urinæ Volatile.

℞. Urinæ Hominis Juvenis sani quantùm placet.
Evaporetur in olla ferrea vel terrea

rea ad consistentiam syrupi crassioris, & dum sufficientem talis modi Urinæ inspissatæ habueris quantitatem, immitte eam retortæ vel cucurbitæ terreæ vitreatæ, ferreæ, vel vitreæ, ac appositô alembico cum receptaculo destilla ex arena primò leni, pòst fortiori igne, sic sublimabitur Sal volatile Urinæ in magna copia, cùm verò oleô fœtidô sit inquinatum, hinc filtra, cum cineribus cribratis misce, & denuò sublima, obtinebísque Sal Urinæ volatile, sali Cornu Cervi vix absimile.

ANIMADVERSIO ET USUS.

I. *Varii passim modi sunt Sal Urinæ volatile conficiendi, quidam enim id ex Urina per mensem putrefacta elicere docent, Alii sæpe admiscent cineres cribratos, ac tunc sublimant ex retorta recipiente capaci appositô, tunc sali volatili cum oleo in recipiente mixto affundunt Aquam tepidam, ut omne sal in ea solvatur, quam tunc filtrant, ut oleum fœtidum relinquatur, & ex ea demum phiolæ commissa sal volatile sublimari queat, nos methodum* Helffrici Juncken sequimur.

II. *Vires cùm aliis salibus volatilibus sunt communes, fermenta nimirùm acida enervat, sanguinis motum languescentem restituit, ac obstructiones abditas potenter reserat; hinc in Epilepsia, Apoplexia, Vertigine, obstructione mensium &c. maximarum cum aliis similibus est virium. Dosis grana sex ad scrupulum semis.*

Sanguis Cichorii Rhabarbarinus.

℞. Herbæ Cichorii manipulos sex,
Salis Tartari unciam semis,
Infundantur per noctem in
Aquæ Cichorii Bullientis libris tribus, dein forti expressione coletur; & super novam Herbam sinè Sale Tartari fiat terna infusio. dein hujus Infusi colati libris duabus adde.
Rhabarbari electi grossô modô pulverisati unc. unam.
Stent per noctem in infusione, dein factâ forti expressione coletur.

VIRES ET USUS.

Alias etiam nomine Animæ Rhabarbari intitulatur, ac In affectibus Ventriculi, Hepatis, & venarum meseraicarum obstructionibus efficacissimum est remedium, præterea Massam sanguineam salsis & acribus particulis obrutam attemperat, Phlogoses inde emanantes sopit, & viscera confortat, Massæque sanguineæ balsamicam Diathesim conciliatur.

Dosis à drachmis sex ad unciam unam, sivè Cochlear unum in vehiculo Theé vel alio appropriato.

SIEFF ALBUM cum OPIO.

℞. Gummi Arabici,
Tragacanthi,
Amyli ana unciam semis.
Cerussæ Aquâ Rosar: lotæ drachmas sex,
Sarcocollæ nutritæ drachmas tres,

Opii drachmam unam,
Cum albumine Ovi fiat Sieff.

ANIMADVERSIO ET USUS.

Sieff græcis, Collyrium, seu Trochisci ad oculos dicuntur, quorum usus tantùm externus est in Revmatismo oculorum, lippitudine, & ophtalmia lenienda, dum nimirùm cum lacte muliebri aut aqua appropriata diluitur & tepidè oculis instillatur. Ast jam Veteribus Opium in oculos immittendum exolevit teste Dioscoride Lib. IV. cap. 45. *qua de causa etiam* Sieff album sinè Opio dispensatur, *ùt utrúmque tempore necessitatis in promptu sit. Idem ferè est cum Collyrio albo Rhasis 3. ad Almansonem, quod Cerussæ pondus auctius habet, cui & Ihus addit Mesue, unde in statu magis prodest*, sicut hoc initiò *vehementis doloris à causa calida.*

Sotirella parva vide Pillulæ.

SPECIES AROMATICÆ.

Species contra Apoplexiam
P. A. R.

℞. Succini albi drachmam unam semis,
Margaritarum,
Smaragdi ana drachmam unam,
Ligni Aloës,
Cornu Cervi ppti.
Radic. Pœoniæ ana drachmam unam,
Cortic. Citri drachmam semis,
Semin. ejusdem scrupulum unum,
Tabulati de extracto ligni Aloës,
Sachari perlati cum oleo Cinnamomi ana unc. unam semis.
Redigantur in Pollinem; qui completus efficitur.
Ambræ veræ scrupulò semis,
Moschi Alexandrini granis quinque

VIRES & USUS.

Diuturnis Capitis affectibus frigidis, Vertigini, Apoplexiæ & Epilepticis insultibus præcavendis, senibúsque ac infirmam ætatem degentibus familiare & consvetum medicamentum à scrupulo uno ad duos cum vehiculo appropriato exhibitum.

Species, seu Aromaticum Caryophyllatum Mesue.

℞. Caryophyllorum drachmas septem,
Macis,
Zedoariæ,
Sandali Citrini,
Trochiscor: Diarrhodon,
Cinnamomi,
Ligni Aloës,
Spicæ nardi indicæ,
Piperis longi,
Cardamomi ana drachmam unam,
Rosar: rubrar: drachmas quatuor,
Glycyrrhizæ drachmas duas,
Folii indi,
Cubebar. ana scrupulos duos:
Fiat Pulvis subtilissimus, cui, si completum quis desideret, addantur.
Galliæ moschatæ drach. duæ,
Ambræ gryseæ drachma una,
Moschi scrupulus semis.

VIRES, & USUS.

Omnia nutritioni dicata membra roborat, nauſeam & vomitum reprimit, flatus diſſipat, ac infirmæ digeſtioni ſtomachi opitulatur. Doſis ad ſcrupulos duos.

Species ſeu Aromaticum Roſatum Gabrielis.

℞. Roſar: rubrar. drachmas quindecim,
Glycyrrhizæ raſæ drachmas ſeptem,
Ligni Aloës,
Sandali citrini ana drachmas tres,
Cinnam. elect. drachm. quinque,
Caryophyllorum,
Macis ana drachm. duas, ſcrupulos duos,
Nucis moſchatæ,
Cardamomi minoris,
Galangæ ana drachm. unam,
Spicæ indicæ ſcrupulos duos,
Fiat Pulvis.

Cui pro completo addantur:
Ambræ gryſeæ ſcrupuli duo,
Moſchi ſcrupulus unus,

VIRES & USUS.

Imbecillitatem Venticuli, & coctionem juvant, flatus diſſipat, nauſeam ſedat, & à morbis convaleſcentes recreat. Doſis ad ſcrupulos duos.

Species Benedictæ Laxativæ.

De his vide pag. 116. ex quibus E-

lectuarium benedictum Laxativum addito melle paratum eſt.

Species Cordiales temperatæ P. A. R.

℞. Ligni Aloës,
Spodii ex Ebore ana drachm. unam,
Cinnamomi,
Caryophyllorum,
Offis de Corde Cervi,
Doronici,
Been utriúſque ana drachm. unam ſemis,
Margaritarum drachmas ſex,
Serici crudi toſti,
Coralliorum rubrorum,
Albor. ana drachm. duas,
Hyacinthi,
Smaragdi,
Sapphiri ana drachm. ſemis,
Croci ſcrupulum unum,
Folior. Auri.
Argenti ana numerô decem.
Miſce fiat Pulvis.

VIRES & USUS.

Cor roborant, animi deliquio medicantur, nec non in peſtilente Lue commendantur. ad ſcrupul. duos.

Species pro Cucupha F.F.

℞. Radic. Ireos flor. unc. ſemis,
Cyperi rotund. drach. tres,
Flor. Lavendulæ,
Anthos ana uncias tres,
Folior. Menthæ,
Majoranæ,
Ocymi ana drach. duas,
Storacis calamitæ,

Benzoë ana drachmas duas
semis,
Seminis Nigellæ,
Coriandri ppti.
Sumit: Thymi,
Stœchad. Arab. ana drachm.
unam,
Fiat Pulvis grossus, qui in Gossypio susceptus insuatur pileolo Serico interpassando; cui si lubet pro iis, qui magis odora ferre queunt, addi possunt.
Moschi grana tria,
Ambræ gryseæ grana duo,

VIRES & USUS.

In doloribus Capitis, memoriæ debilitate, & vertigine tollenda adhibetur.

Species Diambræ Mesue.

℞. Cinnamomi,
Doronici,
Caryophyllorum,
Macis,
Nucis moschatæ.
Folii indi,
Galangæ ana drachmas tres.
Spicæ indicæ,
Cardamomi majoris,
minoris, ana drachm.
unam,
Zinziberis drach. unam semis,
Ligni Aloës,
Sandali citrini,
Piperis longi ana drach. duas,
Fiat Pulvis, qui completus efficitur, addendo:
Ambræ drachmam unam,
Moschi drachmam semis,

VIRES & USUS.

Ad omnem Corporis imbecillitatem, & noxam à causa frigida efficax est, roborat, vertiginem abolet, cerebri humiditates absumit, affectibus uteri frigidis medetur. Dosis ad drachmam semis aut scrupulos duos.

Species Dianisu Mesue.

℞. Seminis Anisi uncias duas semis,
Glycyrrhizæ rasæ,
Mastiches ana unciam unam,
Seminis Carvi,
Fœniculi,
Galangæ,
Macis,
Zinziberis,
Cinnamomi ana drach. quinque,
Trium Piperum,
Cassiæ ligneæ veræ,
Pyrethri,
Calaminthæ ana drachm. duas
Cardamomi,
Caryophyllorum,
Cubebarum,
Spicæ indicæ,
Croci ana drach. unam semis.
Misce fiat Pulvis.

VIRES ET USUS.

Ventriculo frigido & humido succurrit, ac cruditates à lenta pituita natas absumit, flatus quoque dissipat, pectúsque à tenacibus humoribus repurgat, ac ob id diuturnæ tussi medetur. Datur ad drachmam semis.

Species Dianthos Nicolai.

℞. Florum Roris marini unciam
unam,
Rosarum,
Violarum,
Glycyrrhizæ ana drachm. sex

Caryophyllorum,
Spicæ indicæ,
Nucis moſchatæ,
Galangæ,
Cinnamomi,
Zinziberis,
Zedoariæ,
Macis,
Ligni Aloës,
Cardamomi,
Semin. Anethi,
Aniſi ana ſcrupulos quatuor,
Miſce fiat Pulvis.

VIRES & USUS.

Animi defectionibus, & Cordis ſyncopi auxiliatur; ac præter rationem triſtibus conducit, Catarrhoque affectis opitulatur. Datur ad ſcrupulum unum aut drachmam ſemis.

Species Diacalaminthes Galeni.

℞. Piperis uncias ſex,
Cardamomi uncias duas,
Comarum Thymi,
Sem. Apii ana unciam ſemis,
Seſeleos Maſilienſis,
Pulegii montani,
Sem. Petroſelini Macedonici,
Calaminthæ montanæ ana drachmas duas,
Miſce fiat Pulvis.

VIRES & USUS.

Famoſum hoc Galeni Medicamentum, utile eſt ad Thoracis & ſtomachi vitia, Iuſſim à frigido excitatam, ſenibus quoque & quartanariis confert, craſſos & lentos humores attenuat, coctionem adjuvat, flatúſque craſſos diſcutit, urinam ac menſes movet. Doſis ad drachmam ſemis.

Species Diacalaminthes Meſue.

℞. Calaminthæ campeſtris vulgò wilde Feld-oder Korn-Münz.
Seſeleos maſſilienſis,
Petroſelini macedonici,
Liguſtici ana drachmas ſex,
Zinziberis drachmas tres,
ſeminis Apii,
Comarum Thymi ana drachmas duas,
Piperis nigri unciam unam ſemis,
Miſce fiat Pulvis, cujus *Vires & Uſus priori correſpondent.*

Species Diacarthami.

Sunt illæ ſpecies, quæ pro Electuario Diacarthami pag. 117. abſque Sacharo ſoluto aſſumuntur.

Species Dia Cinnamomi Meſue.

℞. Cinnamomi tenuis drachmas quindecim,
Caſſiæ ligneæ,
Radicis Enulæ ana unciam ſemis,
Galangæ drachmas ſeptem,
Caryophyllorum,
Piperis longi,
Zinziberis,
Cardamomi utriuſque,
Macis,
Nucis moſchatæ,
Ligni Aloës ana drachm. tres,
Croci drachmam unam,
Sachari albi drachm. quinque,
Miſce fiat Pulvis.

Vi-

VIRES, & USUS.

Coctionem juvat, Pituitæ putredinem prohibet, ac alimenti in corpus distributionem promovet. Dosis ad scrupulos duos.

SPECIES DIACRETÆ MYNSICHTI.

℞. Cretæ albæ cum Aqua Rosarum pptæ drachmas tres,
Nucis moschatæ drachmam unam semis,
Rad. Glycyrrhizæ,
Sem. Cydonior. ana drachm. unam,
Boli rubri orient. ppti.
Coralliorum rubr. ppt. ana drachmam semis,
Lapid. Carpionis cum Aqua plantag. ppti.
Macis parùm tosti,
Mastichis elect.
Croci orientalis ana scrupulum unum,
Sachari albissimi uncias tres,
Misce fiat Pulvis subtilissimus,

VIRES & USUS.

Tanquam Catholicon in Orexi, soda, seu Ardore Ventriculi has species Author commendat. Dosis à drachma semis ad drachmam unam.

Species Diacubebarum Schröderi.

℞. Sandalorum trium ana unciam semis,
Spodii præparati.
Rasuræ Eboris ana drach. tres,
Seminis Amomi,
Cubebarum ana unciam unam
Misce fiat Pulvis.

VIRES & USUS.

In Obstructionibus Hepatis reserandis, & Hepate confortando laudatur. Dosis ad drachmam semis

Species Diacurcumæ Mesue.

℞. Croci,
Asari,
Semin: Petroselini Macedon.
Dauci,
Anisi,
Apii ana unciam semis,
Rhabarbari,
Mei,
Valerianæ majoris,
Spicæ indicæ ana drachm. sex,
Scolopendrii drachmas duas semis,
Costi,
Myrrhæ,
Cassiæ ligneæ,
Schoenanthi,
Carpobalsami,
Rubiæ,
Succi Absynthii,
Agerati,
Olei Caryophyllor. ana drach. duas,
Calami aromatici,
Cinnamomi ana drach. semis,
Scordii veri,
Succi Glycyrrhizæ ana drach. duas semis,
Tragacanthi drachm. unam.
Misce fiat Pulvis.

VIRES & USUS.

Nonnullis hic Pulvis Species Diacrocu audit, qui Ventriculi, Hepatis & Lienis morbis frigidis succurrit; usurpatur ad cachexiam & hydropem ob-

obſtructiones enim internas reſerat, flatus diſſipat, renum quoque vitiis opem fert, urinam prolicit; ac frigidis veſicæ affectibus medetur. Doſis ad ſcrupulos duos.

SPECIES DIACYMINI NICOLAI.

℞. Cumini unciam unam, ſcrupulum unum.
Cinnamomi,
Caryophyllorum ana drachm. tres, ſcrupulos duos,
Galangæ,
Saturejæ,
Calaminthæ,
Zinziberis,
Piperis nigri ana drachmam unam, ſcrupulos duos,
Sem. Ammeos,
Liguſtici ana drachmam unam, ſcrupulum unum,
grana ſex.
Piperis longi drachm. unam,
Spicæ,
Nucis Moſchatæ,
Cardamomi ana ſcrup. duos ſemis,
Miſce fiat Pulvis.

VIRES & USUS.

Ventriculi, & præcordiorum debilitati opitulatur, flatus & tenſiones hypochondriorum reſolvit, colicis doloribus à cauſa frigida medetur, & quartanariis prodeſt. Doſis ad ſcrupulos duos.

Species Diagalangæ Meſue.

℞. Galangæ,
Ligni Aloës ana drachm. ſex,
Caryophyllorum,
Macis,
Semin. Liguſtici ana drach. duas,
Zinziberis,
Piperis longi,
albi,
Cinnamomi,
Calami aromatici ana drachmam unam ſemis,
Calaminthæ Siccæ,
Cardamomi majoris,
Spicæ indicæ,
Semin. Apii,
Aniſi,
Foeniculi,
Carvi ana drach. unam.
Miſce fiat Pulvis.

VIRES ET USUS.

Ventriculi & Jecoris intemperiem frigidam ſanat concoctionem adjuvat, ructus acidos compeſcit, flatus diſſipat, oriſque halitum emendat. Doſis ad ſcrupulos duos. Pro Liguſtico Cardamomum minus odoris gratiâ hic ſubſtitui poteſt.

SPECIES DIAHYSSOPI NICOLAI.

℞. Hyſſopi,
Ireos,
Thymi.
Piperis ana drach. quindecim,
Pulegii,
Saturejæ,
Rutæ,
Cumini ana drachmas decem!
Dactylorum enucleatorum,
Tragacanthi,
Glycyrrhizæ,
Caricarum,
Paſſularum major. enucleat.
Fœniculi ana drachm. quinque
Zinziberis,

Sem.

Seminis Aniſi,
Carvi,
Liguſtici, ana drachmas duas ſemis.

Miſce.

VIRES & USUS.

Capitis vitiis frigidis conducunt, columellam à frigido humore prolapſam vel tumefactam exſiccant, omnia thoracis & ſtomachi vitia emendant, & coctionem promovent.

SPECIES DIAJALAPPÆ MYNSICHTI.

℞. Radic: Jalappæ opt: & reſinoſæ, uncias duas ſemis.
Acidi Tartari, ſcrupulos undecim,
Olei Cinnamomi ſcrupulum unum.

Miſce fiat pulvis ſubtiliſſimus.

VIRES, & USUS.

Per inferiora ſinè moleſtia purgant, & ſanguinem mundificant; flatus cæteraſque impuritates omnes è toto corpore educunt, & obſtructiones tollunt. Ob id doloribus articulorum & hypochondriorum proſunt. Doſis à drachma ſemis ad ſcrupulos duos & drachmam unam præſertim in robuſtioribus.

SPECIES DIAJOVIS MYNSICHTI.

℞. Fœculæ Radic: Bryoniæ, unc. ſemis.
Salis Jovis Anglici,
Matris Perlarum,
Corallior: rubror: ana drachm. tres.
Radic: dictamni albi,
Poconiæ, ana drachm. duas.
Succini albi, præp.
Croci orientalis,
Viſci quercini,
Antophyllorum, ana drachm. unam.
Caſtorei veri, ſcrupulum unum.

Miſce & fiat omnium Pulvis ſubtiliſſimus.

VIRES & USUS.

In vehementiſſima & deſperatiſſima ſuffocatione & ſtrangulatione Uteri, medicamentum eſt benedictum, & tanquam donum mulieribus à Deo cœlitus demiſſum: Non enim ſinè admiratione hunc atrociſſimum affectum tollit. Pro quo divino auxilio nomen Domini ſit benedictum. Doſis à ſcrupulo uno ad drachmam ſemis tribus aut quatuor Auroris continuis, vel tempore neceſſitatis, in Aqua Hyſterica vel aliis vehiculis appropriatis.

SPECIES DIAIREOS SALOMONIS.

℞. Ireos, unciam unam.
Pulegii,
Hyſſopi,
Glycyrrhizæ ana drachm. ſex.
Tragacanthi,
Amyli,
Cinnamomi,
Zinziberis,
Piperis,
Amygdalor: amar
Nucum Pinear. ana drachm. tres,
Caricarum,
Paſſularum majorum enucleat:

Dactylor: enucl: ana drachm; tres ſemis.
Styracis calamitæ, drachmas duas, ſcrupulum unum.
Miſce.

VIRES, & USUS.

Faucibus exaſperatis, & columellæ fluxione tentatæ proſunt, diſpnoicis, item arteriacis, & tuſſiculoſis auxilio ſunt, nec non frigidæ capitis intemperiei & deſtillationi in fauces irruenti conducunt, ac vocis jacturam frigore contractam reſarciunt.

SPECIES DIAIREOS SIMPLICES P.A.R.

℞. Ireos flor: unciam ſemis.
Specier. diatragacanthi frigid:
Sachari candi albi, ana drachmas duas.
Miſce.

VIRES & USUS.

Ad Catarrhos delabentes in fauces, nec adeò impetuoſos feliciter adhibentur. Doſis ad drachmam unam.

SPECIES DIALACCÆ MESUE.

℞. Laccæ lotæ,
Rhabarbari, ana drachm: tres.
Spicæ indicæ,
Flor: & ſtipitum Schœnanthi,
Maſtiches,
Coſti,
Cinnamomi,
Croci,
Caſſiæ ligneæ veræ,
Bdellii,
Hyſſopi,
Sabinæ,
Amygdal: amar: excorticat.
Succi Abſynthii,
Agerati,
Radic. Rubiæ tinctor.
Ariſtolochiæ rot. veræ,
Gentianæ,
Aſari,
Seminis Ammeos,
Apii,
Fœniculi,
Aniſi, ana drachmam unam ſemis.
Piperis nigri,
Zinziberis, ana drachmam unam,
Miſce fiat Pulvis.

VIRES & USUS.

Uſurpatur ad Ventriculi & Jecoris frigidam intemperiem, Hepatis obſtructiones, Inflationes, & durities, Scyrrhúmque reſolvit, Aquæ intercuti medetur, Menſes ciet, cachexiam depellit, urinas promovet, & calculos atterit. Doſis ad drachmam unam.

SPECIES DIAMARGARITON CALIDÆ AVICENNÆ.

℞. Margaritar: Oriental.
Pyrethri ana drachmam unam
Zinziberis,
Maſtiches ana drachmas quatuor.
Doronici,
Zedoariæ,
Sem. Apii,
Cardamomi utriúſque,
Nucis moſchatæ,
Macis,
Been utriuſque,
Piperis nigri,

pi-

Piperis longi, ana drachmas tres,
Cinnamomi, drachmas quinque.

Miſce fiat Pulvis.

VIRES & USUS.

Ad frigidos univerſi Corporis affectus, Cordis ſyncopen, præfocationes uteri & Ventriculi imbecillitates commendantur. Doſis ſcrupulus unus.

SPECIES DIAMARGARITON FRIGIDÆ.

℞. Semin. Quatuor frigidor. majorum excorticator.
Portulacæ,
Papaveris albi,
Roſar. rubrarum,
Flor. Nymphææ albæ,
Borraginis,
Baccarum Myrti,
Sandali albi,
Citrini,
Ligni Alöes, ana Drachmam unam,
Corallii albi,
Rubri, ana Drachmã ſemis,
Margaritar. Orient. Drachmas tres.

Miſce Fiat Pulvis.

ANIMADVERSIO ET USUS.

Uſitàtiores ſunt calidis, attendendum autem, nè ob ſemina adjecta diuturnitate temporis rancescant; Refrigerant, & ſubabſtringunt, Præterea longo morbô dejectis & imbecillitate languentibus ad priſtinum robur recuperandum commendantur. Dari poſſunt ad Drachmam ſemis, plerúmque tamen aliis Pulveribus addi ſolent.

SPECIES DIAMOSCHU AMARÆ LONDINENSES.

℞. Croci,
Radic. Galangæ,
Zedoariæ,
Ligni Aloës,
Macis, ana Drachmas duas.
Margaritar. albar.
Serici crudi ſicci & conciſi,
Succini albi,
Corallior. rubr. ppt.
Ocymi citrati, ana drachmas duas ſemis,
Zinziberis,
Cubebarum,
Piperis longi, ana drachmam unam ſemis,
Nucis moſchatæ,
Cinnamomi,
Caryophyllorum, ana drachmam unam,
Abſynthii,
Roſar: Siccatar. ana Drachm. tres,
Aloës optimè lotæ Unciam ſemis,
Caſtorei,
Liguſtici, ana Drachmam unam.

Miſce Fiat Pulvis, cui dum adduntur,
Moſchi ſcrupuli duo,
Galliæ moſchatæ Drachmæ duæ ſemis, fit Completus.

VIRES ET USUS.

Rariùs hæ ſpecies in uſum veniunt ob minùs gratum ſaporem; Quas, utì & dulces Meſue in Antidotario *quadruplo mellis exceptas, permodùm Electuarii in frigidis Cerebri affectibus, Vertigini, Paralyſi, ſpaſmis, cordis palpitationi & hyſtericis affectibus commendabat.*

SPECIES DIAMOSCHU DULCES.

℞. Croci,
Radic. Doronici,
Zedoariæ,
Ligni Aloës,
Macis, ana drachmas duas,
Margaritar. albar.
Serici crudi toſti,
Carabe,
Corallior. rubr. ana drachmas duas ſemis,
Sem. Ocymi,
Caryophyllorum,
Zinziberis,
Cubebarum,
Piperis longi, ana Drachmam unam ſemis,
Been albi,
rubri,
Folii indi,
Spicæ indicæ, ana drachmam unam.

Miſce. Completæ fiunt immiſcendo:
Galliæ moſchatæ drachmam unam ſemis,
Moſchi ſcrupulos duos.

Vires cum Prioribus amaris correſpondent.

SPECIES DIAOLIBANI MYNSICHTI.

℞. Radicis Pœoniæ
Ireos flor. ana drachmas tres,
Olibani optimi drachmam unam ſemis,
Cornu Alcis phil. ppti.
Magiſterii Cranii human.
Croci orientalis,
Viſci querni, ana drachmam unam,
Sachari Penidii uncias duas.

Miſce, & Fiat Pulvis ſubtiliſſimus.

VIRES & USUS.

In metu Epilepſiæ, Apoplexiæ, Catarrhi ſuffocativi; in Tuſſi, Cardiaca, & in omni ſubito morbo, & periculoſo aliquo accidente in fantibus & Pueris offeruntur. Cerebrum enim & cor confortant, ab iisque omnem irruentem, & peccantem materiam longè propellunt. Doſis à ſcrupulo ſemis ad ſcrupulum unum, per ſe, vel in lacte materno, aut alio conveniente liquore.

SPECIES DIAPENIDION NICOLAI.

℞. Sachari Penidii Uncias duas,
Nucum Pinearum,
Amygdalorum dulcium,
Sem. Papaver. alb. ana drachmas tres, ſcrupulum unum,
Cinnamomi,
Caryophyllorum,
Succi Glycyrrhizæ,
Tragacanthi,
Zinziberis,

Gummi

Gummi Arabici,
Amyli candidiſſimi,
Semin. excorticat. quatuor frigid. major. ana drachmam unam ſemis.

Miſce.

VIRES & USUS.

Tuſſiculoſis, Plevriticis, Peripneumoniacis conferunt, omnem Thoracis noxam, faucium aſperitatem, vocis raucedinem, & jacturam ex frigido & ſicco contractam emendant, tabidis & purulenta rejicientibus opem ferunt, craſſos humores attenuant, eoſdemque expulſioni aptos reddunt. Doſis ad ſcrupulos duos.

Alias his ſpeciebus grana ſeptem Camphoræ adduntur, quia verò multi odorem facilè haud ferunt, abſque Camphora diſpenſantur.

SPECIES DIAPHOENICONIS.

Vide Electuarium Diaphoeniconis.

SPECIES DIAPLERES ARCHONTICON NICOLAI.

℞. Cinnamomi,
Caryophyllorum,
Ligni Aloës,
Galangæ,
Spicæ indicæ,
Nucis moſchatæ.
Zinziberis,
Spodii,
Schœnanthi,
Cyperii,
Roſarum,
Violarum, ana drachm. unam grana quindecim.
Folii indi,
Glycyrrhizæ,
Maſtiches,
Styracis calamitæ,
Majoranæ,
Menthæ aquaticæ,
Ocymi,
Cardamomi,
Piperis longi,
Baccarum Myrti,
Corticum, Citri, ana ſcrupulos duos, grana quinque,
Margaritarum oriental.
Been utriúſque,
Corallii rubri,
Serici toſti, ana ſcrup. unum, grana duo ſemis,

Miſce fiat Pulvis.

VIRES & USUS.

Melancholicis, ac Epilepticis ſuccurrit, Cerebri, Ventriculi debilitatem, & ex morbo diuturno extenuatos reſtaurat, ac aſthmaticis prodeſt. Doſis ad drachmam ſemis.

SPECIES DIARRHODON ABBATIS.

℞. Sandali albi,
rubri, ana drachmas duas ſemis,
Tragacanthi,
Gummi Arabici,
Spodii, ana ſcrupulos duos,
Succi Glycyrrhizæ,
Aſari,
Maſtiches,
Spicæ indicæ,

Cardamomi,
Croci,
Ligni Aloës,
Caryophyllorum,
Cinnamomi,
Rhabarbari electi,
Sem. Berberum,
Quatuor frigid. majorũ.
Anisi,
Fœniculi,
Basilici,
Portulacæ,
Lactucæ ana scrupulum unum,
Margaritarum,
Ossis de Corde Cervi, ana scrupulum semis,
Rosarum,
Sachari candi, ana unciam unam, drachmas tres,
Misce.

VIRES & USUS.

Hepaticis, Jctericis, Cardiacis, Phtysicis, & cæliacis prosunt, defectionibus item animi è Corde natis succurrunt, Ventriculum humidum desiccant, ac cerebro robur addunt. Dantur salubriter iis, qui è morbis diuturnis, cum febribus emergunt. Dosis ad scrupulos duos & ultrà.

Species Dia Senæ montagnanæ vide Pulvis.

SPECIES DIASPOLITICÆ GALENI.

℞. Cumini acetô macerati & tosti,
Piperis longi, vel nigri,
Folior. Rutæ Siccator.
Nitri. ana unciam unam.
Misce.

VIRES & USUS.

Medicamentum hoc à Diospoli Ægypti oppido denominationem sortitur. Flatus potenter dissipat, & Ventriculo infarctam pituitam efficaciter detergit. Dosis ad drachmam semis.

SPECIES DIASULPHURIS MYNSICHTI.

℞. Lactis & Flor. Sulphuris comp. ana unc. unam semis,
Succi Glycyrrhizæ purgati,
Cardamomi minoris,
Terræ sigillatæ, ana draç. sex,
Sem: Urticæ romanæ,
Cydoniorum,
Cinnamomi acuti,
Zinziberis albi,
Nucis Moschatæ,
Croci orientalis,
Piperis longi,
Macis ana drachmas sex,
Tragacanthi albi,
Rad. Ireos florent.
Flor. Papaveris rhead.
Mastichis elect.
Cremoris Tartari, ana drach. unam semis,
Misce, & fiat Pulvis, cui adde:
Olei Hyssopi,
Fœniculi,
Salviæ,
Anisi,
Chamomillæ rom. ana scrupulum unum.
Et ad Usum repone.

VIRES & USUS.

In omnibus affectibus pectoris & Arti-

Articulorum, in Epilepsia, Apoplexia, Lepra, Lue Venerea, Convulsione nervorum, Colica, Hydrope &c. prolixius ab Authore in Armament: pag. m. 107. commendantur. Dosis à scrupulo uno ad drachmam unam.

SPECIES DIATHAMARON NICOLAI.

℞. Antophyllorum,
Zinziberis, ana drachm. quinque, grana triginta sex,
Cinnamomi,
Caryophyllorum,
Carnium dactylorum, ana drach. quatuor, grana triginta sex,
Galangæ,
Spicæ indicæ,
Zedoariæ,
Costi albi aromatici,
Pyrethri,
Corallii rubri,
Tragacanthi,
Rhapontici,
Spicæ celticæ,
Anacardii,
Ossium dactylorum,
Carpobalsami,
Anisi,
Baccarum Juniperi,
Trium Piperum, ana drachm. unam, grana quadrag. oct.
Margaritarum, scrup. quatuor
Blatæ byzantinæ, id est unguis odorat. scrupulos duos.
Folior. Auri centum viginti quinque,
Argenti septuaginta quinque,
Ossis de Corde Cervi legitimi scrupulos duos semis,
Rasuræ Eboris gran. vigin. sept.
Misce.

VIRES ET USUS.

Tabidis, tussientibus, stomachicis, difficulter spirantibus, & asthmaticis prosunt, ac ad omnem Corporis imbecillitatem levandam commendantur; renum præterea impotentiæ & debilitati succurrere creduntur. Dosis ad drachmam unam.

SPECIES DIATRION PIPEREON MESUE.

℞. Trium Piperum, ana drach.
Zinziberis,
Thymi,
Anisi, ana drachmas duas,
Spicæ indicæ,
Amomi, ana drachm. unam.
Cassiæ ligneæ,
Radic. Asari,
Enulæ,
Sem. Apii,
Seseleos, ana drachmam semis,
Misce fiat Pulvis.

VIRES, & USUS.

Ventriculo frigido, acido ructui, quartanariis, jecinorosis, & inflationibus auxiliantur, ac fluxionibus, quæ à capite ad thoracem descendunt, conducunt. Dosis ad scrupulum unum.

SPECIES DIATRION SANTALON NICOLAI.

℞. Trium Sandalorum, ana drachm. duas, scrup. duos,
Rhabarbari,
Spodii ex Ebore,

Succi Glycyrrhizæ,
Sem. Portulacæ, ana drachm. duas,
Amyli,
Gummi arabici,
Tragacanthi,
Semin: quatuor frigid. major.
Intybi ana ſcrupulos quatuor.
Violarum, unciam ſemis,
Roſarum uncias tres, drachm. tres,
Miſce.

VIRES & USUS.

Præcipuus harum ſpecierum uſus eſt in febrium declinationibus, materiâ jam evacuatâ, ad reſiduum calorem extinguendum, & viſcerum tonum conſervandum. Doſis ad drachmam ſemis.

Species Diatragacanthi calidæ Nicolai.

℞. Tragacanthi uncias duas,
Hyſſopi unciam ſemis,
Pinearum,
Amygdalorum utrorúmque,
Semenis Lini, ana drachm. tres,
Fœnugræci,
Cinnamomi, ana drach. tres,
Glycyrrhizæ raſæ,
Succi Glycyrrhizæ,
Zinziberis, ana drach. unam.
Miſce.

VIRES, & USUS.

Hæ ſpecies hodie minùs ſunt uſuales, Veteres illas ad pectoris affectus frigidos recommendant, tuſſientes enim, aſthmaticos, & ſuſpiriosos relevant. Doſis ad ſcrup. duos.

Species Diatragacanthi frigidæ Nicolai.

℞. Tragacanthi candidi, uncias duas,
Gummi Arabici, unciam unam drachm. duas,
Amyli, unciam ſemis,
Glycyrrhizæ,
Sem: quatuor frigid. major. ana drachmas duas,
Papaveris albi, drachm. tres,
Sachari penidii, uncias tres,
Miſce.

VIRES & USUS.

In Variis pectoris & Pulmonum morbis à cauſa calida ortis uſurpantur, hinc tabidis, & tuſſiculoſis ab intemperiè calida conducunt, & faucium aſperitatem leniunt. Rotulæ etiam ex his Speciebus formari ſolent. Dari poſſunt ad drachmam unam, quæ quantitas partitis vicibus ori ingeritur, ut ab affluente ſaliva dilutalentè deglutiri queat.

Species Diaturbith cum Rhabarbaro P. A. R.

℞. Rhabarbari, drachm. decem,
Turbith albi & gummoſi,
Hermodactylor. ana unc. un.
Diagrydii unciam ſemis,
Zinziberis,
Sandali albi,
rubri,
Violarum, ana drachmam unam ſemis,
Maſtiches,
Aniſi,
Cinnamomi,

Cro-

Croci, ana drachm. ſemis,
Sachari albi libram unam, uncias duas, drachm. duas.
Miſce fiat Pulvis.

VIRES & USUS.

Flavam bilem, & pituitam educit, atque aquâ inter cutem laborantibus mirificè confert, ad vermes etiam efficaciſſimum eſt medicamentum, & valde idoneum: nam Rheum vermes maximè enecat, & Turbith pituitam ipſam, vermium verum fomitem ejicit. Antiqui has Species in morſulos vel Tabellas redigere ſolebant. Doſis ad drachmam unam.

Species Diaxyloaloes Meſue.

℞. Ligni Aloës electi,
Roſarum, ana unciam unam,
Caryophyllorum,
Spicæ indicæ,
Macis,
Nucis moſchatæ,
Cubebarum,
Cardamomi utriúſque,
Cinnamomi,
Maſtiches,
Cyperi rotundi,
Schœnanthi,
Zedoariæ,
Been utriúſque,
Folii indi,
Serici crudi toſti,
Margaritarum,
Corallii rubri,
Carabe,
Foliorum Citri,
Corticum Citri,
Ocymi caryophyllati,
Balſamitæ,
Menthæ ſiccæ,
Majoranæ,
Piperis longi,
Zinziberis, ana unciam ſemis,
Miſce.

VIRES & USUS.

Ventriculi, Cordis, & Jecinoris malis frigidis, animi defectioni, concoctionique auxiliantur, Oris fœtorem abigunt (quo ſcopo completæ ſumi debent) fiunt autem completæ per Galliæ moſchatæ unciam ſemis, Ambræ drachmam unam ſemis, & Moſchi ſcrupulum unum, ſoléntque cum Sacharo redigi in Tabellas. Per ſe dantur ad drachmam ſemis uſque.

Species Diazinziberis Nicolai.

℞. Zinziberis,
Galangæ,
Caryophyllorum,
Cinnamomi,
Nucis moſchatæ,
Cardamomi utriuſque,
Piperis longi,
Macis,
Spicæ indicæ,
Rhabarbari,
Roſarum rubrar. ana grana quindecim,
Seminis Anifi,
Fœniculi,
Glycyrrhizæ,
Croci ana drachmam ſemis,
Piſtaciorum drachmas duas,
Pinearum mundatar, unciam ſemis,
Miſce.

VIRES & USUS.

Ad Ventriculum roborandum, nec non craſſos flatus diſſolvendos recommendantur. Doſis ad ſcrupulos duos & ultrà.

Species Electuarii Ducis ex Nicolao.

℞. Seminis Aniſi, drachm. duas, grana ſedecim,
Glycyrrhizæ,
Maſtiches, ana ſcrupulos duos, grana quinque,
Chamædryos,
Cinnamomi,
Zinziberis albi,
Galangæ,
Sem. Fœniculi,
Carvi ana ſcrupulum unum, grana quindecim.
Caſſiæ ligneæ,
Calaminthæ,
Pyrethri,
Piperis albi,
longi,
Cyperi rotundi,
Schœnanthi,
Radic. Ireos,
Folii,
Aſari,
Sem. Dauci,
Amomi, ana ſcrupulum unum,
Spicæ indicæ,
Croci,
Gummi Arabici,
Tragacanthi,
Calami aromatici,
Cubebarum,
Caryophyllorum,
Carpobalſami,
Cardamomi,
Baccarum Juniperi,
Radic: Pentaphylli,
Acori,
Rhabarbari,
Nucis moſchatæ,
Xyloaloës,
Baſilici caryophyllati,
Seminis Anethi,
Liguſtici,
Petroſelini macedonici & noſtratis,
Seſeleos,
Aſparagi,
Citri,
Ammeos,
Milii ſolis,
Saxifragiæ ſeu Pimpinellæ
Scariolæ,
Quatuor frigidor. majorum.
Been utriuſque,
Styracis calamitæ ana ſcrupulum ſemis, grana quinque,
Sachari Penidii drachm. quatuor ſcrupulos duos ſemis,
Miſce,

VIRES ET USUS.

Cruditatem, inflationémque Ventriculi & inteſtinorum corrigunt, Colicos etiam, ac iliacos curant; præterea calculos expellunt, & urinam remorantem potenter promovent. Doſis ad ſcrupulos duos.

Species pro Epithemate Cordis P. A. R.

℞. Florum Bugloſſi,
Borraginis,
Meliſſæ ana munipulum ſemis,
Sandalorum omnium,
Roſar.

Rosar. rubrar. ana drach. duas,
Corticum Citri,
Sem. Acetosæ,
Ligni Aloës,
Caryophyllor: ana drachmam unam semis,
Doronici,
Been utriusque,
Succini ana scrupulos quatuor,
Trita omnia probè usui serventur,

VIRES & USUS.

Mira est hujus Pulveris efficacia in affectibus Cordis, ejusque Palpitatione, Syncope, & dejectis propemodùm vitalibus facultatibus. Nobilissimum enim viscus sopitum excitat, melancholicis, splenicis tristibus & desperantibus succurrit, in pestilentia spiritus refocillat. Solent hæ Species, Vinô generoso, aut Aquâ Carbunculi, aut aliâ Spirituosâ irrorari, ac linteo involutæ regioni Cordis applicari.

Species pro Epithemate Hepatis P. A. R.

℞. Trium Sandalorum, ana unciam semis,
Rosarum drachmam unam,
Camphoræ scrupulum unum,
Pulverisata misce.

VIRES ET USUS.

Hepatis inflammationi confert, ejusque exæstuationem temperat. Adhibetur cum Aqua Endiviæ, Rosarum, Acetosæ, & Aceti parte aliqua.

Species de Gemmis Calidæ Mesue.

℞. Trochiscorum Diarrhodon,
Ligni Aloës, ana drach. quinq;
Zedoariæ, drachm. tres semis,
Margaritarum albarum,
Doronici,
Corticum Citri,
Macis,
Sem. Ocymi caryophyllati,
Ambræ veræ, ana drach. duas,
Corallii rubri,
Succini albi,
Rasuræ Eboris, ana scrupulos quinque,
Sapphyri,
Hyacinthi,
Sardæ,
Granatorum,
Smaragdi,
Cinnamomi,
Galangæ, ana drachmam unam semis,
Been utriúsque,
Caryophyllorum,
Zinziberis,
Piperis longi,
Spicæ indicæ,
Folii,
Croci,
Cardamomi majoris, ana drachmam unam,
Folior. Auri numerô viginti,
Argenti numerô decē,
Moschi drachmam semis,
Misce.

VIRES & USUS.

Ad frigidos Affectus Cerebri, Cordis, Ventriculi, Hepatis, & Uteri (ommissâ Ambrâ & Moscho) ùt efficacissimum medicamentum commendantur. Dosis ad scrupulos duos.

Species de Gemmis frigidæ P. A. R.

℞. Margaritarum præp. drachmas tres,
Spodii de Ebore,
Raſuræ Eboris,
Corallii utriúſque ana drachmas duas,
Flor. Roſarum rubrar. drachmam unam ſemis,
Hyacinthi,
Smaragdi,
Sapphyri,
Sardæ,
Granati,
Sandalorum trium,
Flor. Borraginis,
Bugloſſi,
Seminis Acetoſæ,
Baſilici,
Been utriúſque ana drachm. unam.
Offis de Corde Cervi drachmam ſemis,
Folior. Auri,
Argenti, ana numerô quindecim,
Miſce fiat Pulvis.

VIRES & USUS.

In magno Febrium æſtu, ut & Jecinoroſis proſunt; inſuper appetentiæ dejectæ, Syncopi, Cordis palpitationi, tuſſiculoſis, & aſthmaticis auxiliantur. Doſis ad drachmam ſemis.

Species de Gemmis Zwelfferi.

℞. Pulveris è Typhis Cervi ritè parati unciam unam,
Bezoär occidentalis,
Unicornu veri marini,
Unicornu Foſſilis albiſſimi ana unciam ſemis,
Cortic. Citri exter. & recenter Siccator. unciam unam,
Radicis contrajervæ drachmas ſex,
Sem. Citri excorticat.
Aquilegiæ,
Rapar. albar. ana drachmas duas,
Croci drachmam unam ſemis,
Macis drachmas duas,
Margaritar. præparat. orientalis drachmam unam ſemis,
Nitri cryſtallini puriſſimi unciam unam,
Cuncta in Pulverem redacta miſceantur exactè, fiántque ſpecies pretioſæ.

VIRES, & USUS.

Febribus malignis, Variolis, morbillis, & Exanthematibus aliis expellendis efficaciſſimæ ſunt. Doſis ſcrupulus unus ad ſcrupulos duos.

Species Hieræ cum Agarico.

Vide ſub Electuario pag. 122.

Species Hieræ compoſitæ Nicolai.

℞. Cinnamomi,
Spicæ indicæ,
Croci,
Schœnanti,
Aſari,
Xylocaſſiæ, aut Cinnamomi exquiſitiſſimi,
Xylobalſami,
Carpobalſami,

Viola-

Violarum,
Abſynthii,
Epithymi,
Agarici,
Roſarum,
Turbith,
Colocynthidos,
Maſtiches ana drachm. unam,
ſcrupulum unum,
Aloës non lotæ, uncias duas,
drachm. quinq; ſcrup. unum,
Miſce.

VIRES & USUS.

Hiera hæc, quæ & magna, & Hiera ex ſedecim rebus dicitur, in formam Electuarii cum mellis libra una ſemis redacta Enematum uſui inſervit.

Species Hieræ Logadii.

℞. Pulpæ Colocynthidos,
Polypodii ana drachmas duas,
Euphorbii,
Pollii montani minoris,
Sem. Thymelææ, vel Coccognidii ana drach. unam
ſemis grana ſex,
Abſynthij,
Myrrhæ ana drachmam unam
grana duodecim,
Centaurii minoris,
Agarici,
Ammoniaci,
Folii, vel ejus locò macis,
Spicæ indicæ,
Scillæ præparat.
Diagrydii, ana drachm. unam,
Aloës,
Comarum Thymi,
Chamædryos,
Caſſiæ ligneæ,
Bdellii,
Marrubii ana ſcrupul. unum,
grana quatuordecim,
Cinnamomi,
Opopanacis,
Caſtorei,
Ariſtolochiæ longæ,
Trium Piperum,
Croci,
Sagapeni,
Petroſelini macedonici, ana
drachmam ſemis,
Hellebori nigri,
albi, ana grana ſex,
Miſce fiat Pulvis.

VIRES ET USUS.

Expetitur potiſſimum in forma Electuarii cum Mellis deſpumati unciis ſedecim redactus ad Enemata, ubi viſcoſos, craſſos, lentos & tenaces humores evocare neceſſe eſt. Supernè enim rariùs exhibetur. Auguſtani pro Pulpa Colocynthidis non in hac ſolummodò compoſitione, ſed in omnibus aliis Trochiſcos Alhandali ſubſtituunt.

Species Hieræ Pachii.

℞. Stœchadis,
Marrubii,
Chamædryos,
Agarici,
Colocynthidos ana drachmas
decem,
Opopanacis,
Sagapeni,
Petroſelini,
Radic. Ariſtolochiæ rotundæ,
Piperis albi ana drach. quinque,
Cinnamomi,
Spicæ Nardi,
Myrrhæ,
Polii,
Croci, ana drachm. quatuor;
Miſce fiat Pulvis, qui cum Mellis

despumati libris duabus, unciis novem, & drachmis quinque in formam Electuarii redigitur.

ANIMADVERSIO ET USUS.

Scribonius Largus *de Composit. Medicamentor: Cap. 97. usque ad 107. Hieram hanc ad Pachium Authorem refert, & miris elogiis in Affectibus Capitis, Pectoris, Stomachi, & Articulorum extollit. Communiter in forma Electuarii ad drachmas duas & ultrà exhibebatur. Nostro ævo rarior est ejus Usus internus, quandoque tamen pro Clysteribus etiam ad unciam unam dari solet.*

Species Hieræ simplices.

Vide sub Electuario pag. 122.

SPECIES DE HYACINTHO.

℞. Hyacinthi præparat.
Corallii rubri,
Boli Armen. orient.
Terræ sigill. sileſiacæ ana drachmam unam semis,
Granorum Chermes,
Radic. Tormentillæ,
Dictamni albi,
Semin. Citri mundati,
Acetosæ,
Portulacæ,
Croci,
Myrrhæ,
Rosarum rubrar.
Sandalorum omnium,
Ossis de Corde Cervi,
Cornu Cervi usti,
Rasuræ Eboris, ana scrupulos quatuor,
Sapphyri,
Smaragdi,
Topazii,
Margaritarum,
Serici crudi tosti, ana scrupulos duos,
Foliorum Auri numero 20.
Argenti num. 10.
Fiat Pulvis, qui completus redditur per
Ambræ veræ,
Moschi ana scrupulum unum,
Camphoræ grana quinque.

VIRES, & USUS.

Conveniunt cum Confectione de Hyacintho.

Species Lætificantes Galeni.

℞. Semin. Ocymi Caryophyllati, aut Florum ejusdem,
Croci,
Zedoariæ,
Xylobalsami,
Caryophyllorum,
Corticum Citri,
Galangæ,
Macis,
Nucis moschatæ,
Styracis calamitæ, ana drachmas duas semis,
Rasuræ Eboris,
Seminis Anisi,
Thymi cretici,
Epithymi ana drachm. unam,
Cornu cervini,
Margaritarum, ana drachm. semis,
Foliorum Auri, numerô quinquaginta,

Folio-

Foliorum Argenti numero viginti quinque.
Miſce.

VIRES & USUS.

Ad animum exhilarandum, vires reſtaurandas, & halitum oris emendandum ad ſcrupulum unum exhiberi ſolent per ſe, aut cum aliis pulveribus. Completæ rariùs expetuntur, quæ fieri poſſunt addendo Camphoræ & Moſchi ana drachmam ſemis,

Species Lætificantes Rhaſis.

℞. Meliſſæ,
Corticum Citri,
Caryophyllorum,
Maſtiches,
Croci,
Cinnamomi,
Nucis moſchatæ,
Cardamomi majoris,
Sem. Pœoniæ,
Been utriùſque,
Zedoariæ,
Doronici,
Sem. Ocymi Caryophyllati, ana unc. ſemis,
Foliorum Auri, numerô quinquaginta,
Argenti numerô viginti quinque.
Miſce.

Vires & Uſus cum prioribus correſpondent.

Species Liberantes P. A. R.

℞. Radic. Tormentillæ,
Sem. Acetoſæ,
Endiviæ,
Coriandri,
Citri, ana drachmam unam ſemis,
Sandalorum omnium,
Dictamni albi, ana drachmam unam,
Boli Armenæ ppt.
Terræ Lemniæ, ana drachm. duas,
Margaritarum,
Corallii utriúſque,
Succini albi,
Raſuræ Eboris,
Spodii ex Ebore,
Oſſis de Corde Cervi,
Been utriúſque,
Doronici,
Cardamomi,
Cinnamomi,
Macis,
Ligni Aloës,
Caſſiæ Ligneæ,
Croci,
Zedoariæ ana drachm. ſemis,
Sachari Candi,
Penidii,
Serici crudi toſti pulveriſati,
Smaragdi,
Hyacinthi,
Granati ana ſcrupulos duos,
Florum Nymphææ,
Bugloſſi,
Roſarum ana ſcrupulum unum,
Miſce. Completæ fiunt, additis:
Camphoræ granis ſeptem,
Moſchi,
Ambræ ana granis tribus.

VIRES & USUS.

In Febribus malignis ac ipſa peſte adhibentur, Cor namque à veneni labe tuentur, præterea ſudores movent, & à contagio Luis præſervant. Cor-

diale planè Medicamentum, omni ferè naturæ, ætati, ac ſexui accommodatum. Doſis ad drachmam ſemis aut ſcrupulos duos.

Species pro Liquore pectorali Mynſichti.

Cum - & ſinè Sulphuratis videantur ſub Titulo Liquoris pectoralis.

Species Lithontripticæ Nicolai.

℞. Spicæ indicæ,
Zinziberis,
Xylobalſami,
Acori,
Cinnamomi,
Radic. Pevcedani,
Mei,
Trium Piperum,
Saxifragiæ ana drachmas duas ſemis,
Opobalſami, aut Olei Juniperini ex granis parati,
Caryophyllorum,
Coſti,
Rhapontici,
Glycyrrhizæ,
Cyperi rotundi,
Tragacanthi,
Chamædryos,
Sem. Oluſatri ſeu Petroſelini Alexandrini,
Apii,
Ammeos,
Aſparagi,
Ocymi,
Urticæ,
Citri, ana drachmam unam, grana quindecim,
Amomi,
Liguſtici,
Milii ſolis,
Petroſelini macedonici,
Seſeleos,
Dauci cretici,
Anethi,
Cardamomi,
Folii,
Croci,
Schœnanthi,
Caſſiæ ligneæ,
Bdellii,
Maſtiches,
Ireos,
Ephorbii ppt.
Lapidis Lyncis,
Olei Nardini compoſiti, Meſue,
Moſchelini ana ſcrupulum unum, grana quatuor.

Miſce.

VIRES, & USUS.

Nephriticis, nec non ſtranguriæ, & dyſuriæ ſuccurrunt, Veſicæ, & Renum calculos potentiſſimè expellunt, miram calculoſis utilitatem exhibentes. Doſis ad ſcrupulos duos.

Species pro Morſulis Imperatoris.

℞. Cinnamomi optimi, drachmas decem,
Zinziberis unciam unam,
Caryophyllorum unc. ſemis,
Galangæ,
Macis,
Nucis moſchatæ, ana drachmas duas,

Miſce.

Vi-

VIRES & USUS.

Species hæ induntur potissimùm Tragematibus, Cor & Ventriculum frigidum ac flatulentum confortantibus.

SPECIES ROSATÆNO VELLÆ NICOLAI.

℞. Sachari Rosati tabulati,
Rosarum,
Glycyrrhizæ ana Unciam unã,
Scrupulos duos semis.
Cinnamomi drachmas duas,
grana viginti duo,
Caryophyllorum,
Spicæ indicæ,
Zinziberis,
Galangæ,
Nucis moschatæ,
Zedoariæ,
Styracis Calamitæ,
Cardamomi,
Sem. Apij ana Grana viginti octo.

Misce.

VIRES & USUS.

Ad Ventriculi & Cordis imbecillitatem concurrunt, vomitum & nauseam compescunt, ac morbó longô exhaustos reficiunt. Dosis ad Scrupulos duos.

SPECIES PRO SUPPOSITORIJS.

℞. Specierum Hieræ Picræ Unciam unam semis,
Pulveris Colocynthidos Drachmas sex,
Hellebor: alb: Unc. unam.
Salis communis Uncias tres.
Farinæ Frumenti Uncias decem & octo.

Misce.

ANIMADVERSIO & USUS.

Ex his Speciebus cum Vitellis ovorum, & Melle despumato quantum sufficit fiunt suppositoria, Mulieribus autem gravidis & hæmorrhoidarijs minùs tuta, pro quibus levissima ex solo melle, vitello ovi, ac modico sale confecta sufficiunt.

SPECIES DECOCTIONUM & INFUSIONUM.

Species Elexicacæ D. D. Fr.

℞. Radic: Bugloss:æ,
Acetosæ,
Tormentillæ,
Scorzoneræ ana Uncias tres,
Folior. Endiviæ,
Cichorij,
Acetosæ,
Pimpinellæ ana manipulos tres,
Tamarindorum Uncias quatuor,
Rasuræ Cornu Cervi Unciam unam semis,
Florum Borraginis Manipulos duos,
Seminis Napi Drachm. decem.

Incisa misce.

VIRES & USUS.

In Febribus epidemijs malignis, & catarrhalibus, item Variolis ac morbillis expellendis in forma infusi per-

ſi permodùm Thee, vel Decocti pro Potu ordinario commendantur.

SPECIES DE ALTHÆA FERNELIJ.

Has vide ſub titulo Syrupi de Althæa.

Species Alterantes D. D. L.

℞. Raſuræ Cornu Cervi Unciam unam,
Radic: Bugloſſæ,
Acetoſæ,
Scorzoneræ, ana uncias duas,
Folior. Endiviæ,
Cichorij,
Acetoſæ,
Pimpinellæ ana Manipulos duos,
Tamarindorum Uncias duas,
Seminis Melonum Unciam unam,
Inciſa Miſce.

Vires & Uſus cum Alexicacis correſpondent.

Species Antiphtyſicæ Zwelfferi.

℞. Radic: Acetoſæ,
Bardanæ major:
Papaver: errat:
Pentaphylli,
Plantagin: minor:
Tormentillæ ana Unciam unam.
Cichorij Sylveſtr: Unciam unam ſemis,
Herb: Hederæ terreſtr:
Equiſeti,
Plantag: minor:
Portulacæ,
Sangviſorbæ,
Virgæ aureæ ana Manipul: Unum ſemis,
Flor: Roſar: rubr:
Verbaſci ana Manipulum unum,
Papaver: errat: manipul: unum ſemis,
Baccar: Myrtillorum Unciam Semis,
Capit: Papaver: alb: cum ſemin. Nô quinque,
Ligni ſandali rubri Drachmas ſex.
Maſtiches electæ,
Olibani ana Drachmas duas.

Inciſa & contuſa craſſiuſculè ſerventur uſui.

VIRES & USUS.

Phtyſicis, ſangvinem ſpuentibus & Dyſſenteriâ laborantibus in forma Decocti deſtinantur; dum videlicet in ſ. q. Aquæ ſimplicis decoquuntur ad remanentiam Librarum ſex, demùm Colaturæ clarificatæ ferventi injiciuntur.

Conſervæ Roſar: rubrar: Unciæ tres,
Papav: errat: Unciæ duæ,
Flor: Cichorij Uncia una,
Spiritûs Vitrioli guttæ 15. vel 20.

Factâ digeſtione horis aliquot, denuò coletur, colaturæ addantur Syrupi Corallini Unciæ duæ vel tres.

Species aperitivæ majores P. A. R.

℞. Endiviæ,

Ci-

Cichorij,
Fumi terræ ana Manipulum unum,
Evpatorij,
Borraginis,
Bugloſſi,
Scolopendrij veri ana Manipulum ſemis,
Glycyrrhiſæ raſæ,
Radic: Fœniculi,
Apij,
Petroſelini,
Paſſularum ana Unciam ſemis,
Sem: Fœniculi,
Aniſi ana Drachmas duas
Comarum Thymi,
Epithymi ana Drachmam unam ſemis,
Cortic: Tamariſci,
Capparum ana Drachmas duas,
Folior: Senæ ſ.ſ. Uncias duas,
Polypodij querni Unciam unam,
Agarici electi trochiſcati Unciam ſemis,

Incidenda inciduntur, & quæ contundi debent, craſſiuſculè terantur, & miſceantur omnia, ac uſui ſerventur.

VIRES & USUS.

Ad diuturnos Jecoris, Lienis, & Venarum Meſeraicarum obſtructiones reſerandas, Ictero, & Febribus antiquis, nec non hydropi in forma decocti deſtinantur.

SPECIES APERITIVÆ MINORES.

℞. Herbæ Agrimoniæ,
Lupuli,
Cichorij,
Cuſcutæ,
Betonicæ,
Ceterarch,
Endiviæ,
Fumariæ ana Uncias duas,
Radic: Apij.
Fœniculi,
Petroſelini,
Acori,
Glycyrrhizæ ana Uncias quatuor,
Aſari, Unciam ſemis,
Sem: Aniſi,
Fœniculi ana Unciam unam,
Polypodij querni uncias duodecim,
Prunorum Damaſcenorum,
Ficuum pingvium ana Nô triginta duas,
Paſſularum Uncias quatuor,
Senæ Alexandrinæ Unciam unam,
Flor: Borraginis,
Bugloſſi,
Violarum,
Roſar: rubr: ana Unciam unam,

Incidantur, contundantur, & miſceantur.

VIRES & USUS.

Decoctum ex his ſpeciebus paratum omnes in univerſum humores ad expulſionem præparat; incidit enim, tenuat, concoquit, aperit & abſtergit, pectori, capiti, ventriculo, jecori, nec non lieni familiare.

SPECIES APERITIVÆ MAJORES CUM RHABARBARO.

℞. Specier: Decoct: Aperit: majoris
minoris ana Uncias tres,
Rhabarbari electi Unciã ſemis,
Cinnamomi Drachmas duas,
Salis Gemmæ Scrupulum unum,
Spicæ Indicæ Scrupulos duos,
Specier: Diarrhodon Abbatis Scrupulos quatuor,
Miſceantur pro uſu.

VIRES & USUS.

Ad contumaces, & inveteratas oppilationes Decoctum inde paratum adhibetur, Hydropi, morbíſque frigidis, præſertim pituitoſis, aut ex bile mixta natis confert.

SPECIES CRIMINATIVÆ P. A. R.

℞. Sem: Aniſi,
Dauci,
Cumini,
Carvi,
Fœniculi ana Drach. tres,
Glycyrrhizæ Unciam ſemis,
Florum Chamæmeli Manipulum ſemis,
Paſſularum Unc. unam ſemis,
Inciſa miſceantur.

VIRES & USUS.

Ad flatus diſcutiendos, & colicos dolores mitigandos pro Enematibus decoquuntur, imò etiam in forma Epithematis ſæpiùs externè applicantur.

SPECIES C. F. ſeu CARMINATIVÆ FRANCHMANI.

℞. Radic: Polypodij.
Fœniculi,
Graminis ana Unc: duas,
Folior: Agrimoniæ,
Fragariæ, (tres,
Mercurialis ana Manip:
Flor: Acaciæ Manipulos duos,
Incis: miſce.

Vires ex Titulo patent.

SPECIES EMMOLLIANTES.

℞. Herb: Malvæ,
Althææ,
Violarum,
Mercurialis,
Parietariæ,
Meliloti,
Flor: Chamomillæ ana Manipulos tres.
Radic: Althææ, (pulos tres.
Semin: Lini,
Fœnugræci ana Uncias tres,
Furfurum tritici Manipulos tres.
Inciſa & contuſa miſce.

VIRES & USUS.

Clyſteribus Scopo Emmolliendi, ſunt dicatæ, externè etiam pro Cataplaſmatibus exiguntur.

SPECIES FLORUM & FRUCTUUM P. A. R.

℞. Caricarum Nô quinque,
Prunorum Damaſcenor: Nô quindecim,
Jujubarum,
Sebeſten, ana Nô viginti,
Tamarindorum Unciam unã,
Flor: Roſarum,
Violarum,
Borraginis,
Bugloſſi ana Drachmam unam,

Ca-

Capillorum Veneris,
Lupuli,
Endiviæ ana Manipulum ſemis,
Glycyrrhizæ Drachmas duas,
Incidantur & contundantur pro uſu.

VIRES & USUS.

Decoctum hoc moderatè refrigerat, lenit, & humectat: Cor, Jecur, & pectus recreat, humores quoque ad commodam evacuationem præparat.

SPECIES PRO GARGARISMATE VIENNENS:

℞. Herb. Plantaginis,
Prunellæ ana uncias quatuor,
Uvulariæ Uncias tres,
Salviæ Uncias duas,
Flor. Roſar: rubr:
Malvæ arboreæ,
Balauſtior: ana Unciam unam.
Inciſa miſceantur & pro uſu ſerventur.

SPECIES DECOCTI LIGNORUM MYNSICHTI.

℞. Raſuræ Ligni Quajaci Librã unam,
Corticum ejuſdem Ligni Uncias quatuor,
Radic: Chinæ Uncias duas,
Sarſæparillæ,
Saſſafras ana Unciam unam.

Inciſa infunduntur pro uſu in aquæ fontanæ optimæ & claræ Libris ſedecim per 24. horas, & coquuntur in olla nova vitreata bene cooperta ad conſumptionem medietatis, pro ſudoriſero. Poſtea iterum hæ Species coquuntur in Aquæ Hordei Libris duodecim ad tertias pro Potu quotidiano, & huic ultimæ decoctioni pro libitu adduntur Uvæ paſſæ, & cum pauco Cinnamomo aromatiſatur.

VIRES & USUS.

In Uſu hujus decocti mirabilem ineſſe proprietatem Author ſcribit contra Morbum Gallicum, maximè in illis, qui nimis ulceribus implentur: Horrendam enim hanc Luem fundamentaliter curare aſſerit. Primæ Decoctionis Doſis eſt manè bonus hauſtus (intellige ad medium Sextarium) *calidè aſſumendus; Item poſt meridiem duabus vel tribus horis ante cœnam. De ſecunda autem Decoctione Patiens ad libitum bibat.*

SPECIES DECOCTI MUSITANI.

℞. Radic: Sarſæparillæ Uncias duas,
Viſci quercini,
Raſuræ Cornu Cervi,
Eboris ana Unciam unam ſemis,
Antimonij crudi in pet: ligati,
Lapid: Pumicis ana Uncias tres,
Inciſa & contuſa miſce.

Pro Uſu decoquuntur hæ Species in Aquæ fontanæ Libris decem ad conſumptionem medietatis, demum aromatiſatur Cinnamomo q. ſ.

In

In Viribus & modo utendi priori correſpondet in depuranda videlicet, & edulcoranda Maſſa ſangvinea.

SPECIES DECOCTI NEPHRITICÆ FORESTI.

℞. Radic: Liquiritiæ,
Ireos Florentinæ ana Unciam unam ſemis,
Petroſelini,
Fœniculi ana Uncias duas,
Flor. Malvæ,
Biſmalvæ ana Drachmas ſex,
Sem: Quatuor frigid: major: excorticator: ana Drach: duas,
Fœniculi,
Saxifragiæ ana Drachmas ſex,
Cicerum rubror: confractor: Uncias ſex,
Jujubarum,
Ficuum ana Nô triginta,
Hordei mundati & loti Uncias tres,

Inciſa & contuſa craſſiuſculè ſerventur pro uſu.

VIRES & USUS.

Ad dolores ex Calculo leniendos decocta ex ijs paranda, quæ abſtergunt, leniunt, calculúmque pellunt, ac urinam promovent. Pro Libra una Aquæ, Uncia una ſemis Specierum requiritur.

Species Decocti Pectorales P. A. R.

℞. Paſſularum minor: mundatar. Unciam unam,
Sebeſten,
Jujubarum ana Nô quindecim.
Dactylorum Nô ſex,
Caricarum pinguium Nô quatuor,
Hordei mundi Unciam unam,
Glycyrrhizæ Unciam ſemis,
Capillorum Veneris Manipulum ſemis,
Hyſſopi Drachmas duas,
Incidantur, & miſceantur.

VIRES & VSUS.

Pectoris Vitijs, Catarrho, Tuſſi, Aſthmati, Plevritidi, & id genus alijs noxis pectus afficientibus utile exiſtit. Diſpenſari etiam ſolet ſinè Hyſſopo.

SPECIES PECTORALES MAGISTRALES D. D. L.

℞. Radic. Chinæ electæ,
Sarſæparillæ,
Ireos florent.
Enulæ campanæ,
Polypodij quercini ana Unciam ſemis,
Flor: Salviæ,
Borraginis,
Bugloſſæ ana Manipulum ſemis,
Herbæ Veronicæ,
Hederæ terreſtris,
Scabioſæ,
Folior: Farfaræ ana Manipulum unum,
Caricarum pinguium Nô novem,
Paſſularum minor: Unciam unam ſemis,
Ra-

Raſuræ Cornu Cervi,
Eboris ana Drachmam unam ſemis,
Seminis Aniſi Drachmas duas,
Inciſa & contuſa miſce, ſerventur pro uſu.

VIRES & USUS.

Prodeſt hoc Decoctum ex his ſpeciebus paratum in quocunque etiam pertinaci catarrho (ubi tamen Febris abeſt) ab acrimonia lymphæ procedente, ſimiliter in Phtyſi præcipuè incipiente, ac ubicunqne ſangvinis depuratio neceſſaria videtur.

Species Decocti Polychreſtæ D. D. L.

℞. Herb: Hyſſopi,
Fragariæ cum toto,
Veronicæ,
Capillor: Veneris,
Scolopendriæ,
Agrimoniæ cum toto,
Pulmonariæ maculoſ:
Scabioſæ cum florib,
Polytrichon aurei,
Epaticæ nobilis,
Hederæ terreſtris,
Auriculæ ~~muris~~, ana Manipulum unum,
Flor: Borraginis,
Bugloſſi,
Violarum,
Salviæ ana Manipulum unum ſemis,
Sachari canarienſis,
Folior: Senæ ſelect:
Prunor: Damaſcen: ana Uncias duas,
Paſular: minor: Uncias quatuor,
Caricarum Uncias tres,
Radic: Liquiritiæ Drachm: ſex,
Polypodij Unciam unam.
Inciſa miſce.

ANIMADVERSIO ET USUS.

Diſpenſantur etiam hæ ſpecies ſinè Folijs Senæ, *ubi minùs Alvum ſollicitari opus eſt, parùm differunt à Speciebus Decocti Sternbergici. Aliàs Vires Decocti utriuſque pro ratione circumſtantiarum ſunt pectorales.*

Species Decocti contra ſputum ſangvinis D. D. Sorbeit.

℞. Herbæ Rutæ,
Alchimillæ,
Hyſſopi,
Capillor: Veneris,
Auriculæ muris,
Salviæ,
Polytrichi,
Pulmonariæ,
Farfaræ,
Scolopendriæ ana Manipulum ſemis,
Corticum ſambuci,
Rhapontici,
Hepatis Lupi,
Rhabarbari ana Drachmam unam,
Inciſa ſerventur uſui.

ANIMADVERSIO ET USUS.

Decoquuntur hæ Species additis Axungiæ Porci Drachmis duabus cum cereviſiæ Libris ſex ad conſumptionem Libræ unius. Cujus Doſis eſt Libra ſemis calidè id continu-

tinuando, donec & vomitus ſangvinis, & omnis futuræ Phtyſeos periculum evanuerit. Auth. pag. 758.

Species Decocti Sternbergici.

℞. Herbæ Hyſſopi,
Veronicæ,
Polytrichon aurei,
Scolopendriæ,
Pulmonariæ,
Pulegij,
Salviæ,
Epaticæ nobilis,
Flor: Borraginis,
Bugloſſi,
Violarum ana Manipulum ſemis,
Polypodij,
Liquiritiæ ana Unciam unam,
Nucleor: Perſicorum, vel Prunor: Unciam ſemis,
Paſſular. minorum
Caric: pingv: una Uncias duas,
Sachari canarienſis albi,
Penidij
Folior. Senæ ſelect. ana Unciam unam,
Inciſa miſce pro uſu.

ANIMADVERSIO ET USUS.

Ex multiplici Experientia in Affectibus Pectoris commendatiſſimæ exiſtunt, & partim cum, partim ſinè Folijs Senæ in decem Sextarijs Aquæ duabus horis leniter decoquuntur, colaturæ quadrans Sextarij manè permodùm Thee ſumitur, poſt meridiem verò cum vitello ovi permodùm juſculi exhibetur, continuando id per quatuordecim dies; curâ durante à Vino, cibis diſpeptis & diſchymis abſtinendum, in cœna pruna cocta recommendantur.

Species pro Delicatis D.D.L.

℞. Folior. Senæ ſelectæ Unc: unã,
Mannæ electæ Drachmas decem,
Mechoacannæ albiſſimæ,
Agarici trochiſcati,
Cremoris Tartari ana Drachmas duas,
Macis Scrupulum unum,
Inciſa & contuſa miſce.

Pro uſu indantur nodulo, cui affunditur Aquæ ferventis ſemialter ſextarius, relinquitur in infuſione per noctem, poſtmodum filtratur infuſum, de quo pro Doſi Unciæ tres vel quatuor aſſumuntur, ad humores pravos leniter expurgandos.

Species pro Thee Magiſtrali.

℞. Herbæ Agrimoniæ,
Betonicæ,
Bellidis minoris,
Salviæ,
Pulmonariæ,
Veronicæ,
Epaticæ nobilis,
Hederæ terreſtris,
Scolopendriæ,
Pimpinellæ,
Tuſſilaginis,
Flor. Papaveris rhead. ana Manipulum unum.
Inciſa ſerventur pro uſu.

VIRES & USUS.

In Catarrhis & alijs Pectoris affecti-

fectibus etiam à Vulgo expeti solent, non solùm enim Acrimoniam Lymphæ (Infusione permodū Thee factâ) demulcent, verùm etiam pro sanguine purificando adhibentur.

Species pro Thee Zinneburgicæ.

℞. Herbæ Agrimoniæ,
Chamædryos nobilis,
Scolopendriæ ana partes æquales,
Incisa misce.

VIRES & USUS.

In Massa sanguinea depuranda infusæ permodùm Thee sunt multis usuales.

Species pro Vino amaro. D. D. G.

℞. Herbæ Marrubij albi Manipulum unum,
Centaurij minoris,
Cardui Benedicti ana Manipulum unum,
Radic: Gentianæ,
Enulæ camp. ana Unciam semis,
Calami aromatici Drachmas tres,
Corticum Aurantiorum Drachmas duas,
Costi dulcis,
Seminis Anisi ana Unciã semis,
Incisa & contusa serventur pro usu.

VIRES & USUS.

In Affectibus Ventriculi, & febribus intermittentibus cum s. q. Vini albi infusæ per noctem, adhibentur.

Specificum Cephalicum,
Febrile,
Virgineum album,
Sperniola Crollij,
Vide Pulveres.

SPIRITUS.

SPIRITUS ABSINTHII.

℞. Absynthij vulgaris quantum placet, superinfundatur Spiritûs Vini tantundem, ut digiti unius latitudiue supernatet: macerentur per octiduum, deinde in B. M. Spiritus L. A evocetur; remanentia verò filtrata pro Extracto parando servire potest.

ANIMADVERSIO & USUS.

1. Dum Infusio super recentem herbam & destillatio reiteretur, tunc Spiritus longè efficacior evadit.

2dò. Alij addunt simul aliquidaquæ, nè in destillatione ad siccitatem abstrahi necesse sit, ac Empyreuma evitetur.

3tiò, Usus ejus Stomachicus est, cavendum tamen ob qualitatem suam expansivã nè calidioribus subjectis & morbis exhibeatur. Dosis ad guttas 15. aut 20.

Spiritus Acovisticus Mynsichti.

℞. Ovorum Formicarum,
Millepedum vivorum ana Nô. triginta unum,
Amygdalar: amar: Unc. semis,
Baccar: Lauri excoticat:

Juniperi,
Sabinæ ana Drachmas duas,
Semin: Cymini,
Radic: Cyperi rotund: ana Drachmam unam,
Lumbricor: terreſtr: exſiccat.
Nicotianæ,
Abſinthij ana Drachm. ſemis.
Succini albi præp.
Caſtorei veri ana Scrup. unum,
Croci orientalis Scrupulum ſemis,

Craſſiuſculè contuſa infundantur in Spiritûs Vini aniſati Uncijs ſedecim, digerantur per octiduum, ſæpe in die movendo; poſtea filtrentur, & ſpiritus tinctus uſui ſervetur.

VIRES & USUS.

Hic Spiritus in gravi auditu & ſurditate; nec non in tinnitu aurium etiam inveterato ſecretus eſt. Uſus ejus, ut guttæ aliquot auri inſtillentur manè ſtomachô jejunô, & veſperi ante cœnam, & deinde bombace moſchato auris obturetur.

Spiritus Aniſi.

℞. Sem: Aniſi contuſi Libram ſemis,
Spiritûs Vini Menſuram unã,

Macerentur per octiduum, & per B. M. Spiritus eliciatur. De quo, dum pro ſcopo carminativo exhibetur, etiam notandum eſt, quod de Spiritu Abſynthij innuimus.

Spiritus Anthos.

℞. Florum Anthos quantumlib.
Affusâ ſ. q. Aquæ fontanæ, & additô fermentô poſt debitam digeſtionem fiat deſtillatio per veſicam, deſtillatum Spiritum novis floribus fermentatis toties affundendo, & deſtillando, donec ſatis fortem Spiritum habueris.

ANIMADVERSIO ET USUS.

1ò. *Zvvelfferus monet; Cùm Herbæ & Flores longè minorem præbeant Spiritûs quantitatem, quàm fructus, utpotè Ceraſa, Juniperi baccæ &c. Ideóque qui ex ipſis Spiritus ardentes elicere ſatagit, largam ſibi Herbarum & Florum procuret copiam; nî invanum laborare velit.*

2dò. *Omnes & ſinguli Spiritus ſimplicium ſive vegetabilium, virtutes & qualitates in ſe continent, ex quibus deſtillati fuêre.*

Spiritus Aperitivus Penoti.

℞. Vitrioli ungarici ad rubed: calcinati Libras quatuor.
Silicum è fluvijs collect: & opt: calcinat: Libr: un: ſemis,
Tartari ad albed: calcinat: Libram unam,

Mixta, ínque tenuiſſimum pulverem tuſa, reponantur in Cellã, ut aliquantum liqueſcant, tum ex arena per alembicum deſtillentur, deſtillatus liquor ter cohobetur, ſingulis vicibus capiti mortuo pulveriſato reaffuſus. Ultimò per retortam igne gradatim adhibitô pellatur, ſic initiò lento igne primum phlegma extillat, poſtea verò Spiritus acidus auctiori igne elicitur. Ex capite mortuo

tuo calcinato ſal eliquetur, cui Spiritum (ablatô priùs phlegmate per B.) junge, & quatuordecim diebus digere. Tandem cum Argilla in paſtillos redige, atque ex retorta igne nudo, gradibus tamen obſervatis, ſpiritum alcaliſatum provoca.

ANIMADVERSIO & USUS.

1ò. *Sunt qui hunc Spiritum compendioſiùs parare docent: ſi ingredientia ſtatim ex retorta igne apertô ſervatis ejus gradibus deſtillentur, & binis vel tribus vicibus ſuper Cap: mort: deſtillando cohobentur, & locò Uitrioli ungarici, Vitriolum Martis ſubſtituatur.*

2dò. *Dicitur etiam Antihydropicum Muffetti, ſummè enim laudatur in Hydrope curando, cujus fomitem per alvum ac urinam educit, obſtructionem Hepatis, Lienis & Meſenterij reſerando.* Uid: Hartman: in pract: Loc: de Obſtruct: Hepat. Item Horning in Ciſta med: Epiſt. 122.

3tiò. *Doſis à Scrupulo uno ad Drachmas duas vel tres in Vino vel alio liquore convenienti exhibetur.*

Spiritus Balſamicus D. D. Fuchs.

℞. Terebinthinæ Venetæ Uncias duas,
Balſami de Copaibe Unciam ſemis,
Peruviani Drachmas tres,
Benzoë elect: Unciam ſemis,
Croci auſtriaci Drachmas duas,
Macis Drachmas tres.

Cum ſ. q. Spiritûs Vini ex: gr: Uncijs decem deſtilletur L. A. per B. M. Completus fit addendo Moſchi Scrupulum unum.

VIRES & USUS.

In vulneribus internis, calculo renum, Colica, Gonorrhæa, &c. ſingulares exerit vires Doſis à Scrupulo ſemis ad guttas quindecim & ultrà in vehiculo appropriato.

Spiritus Bezoarticus Buſſij.

℞. Spiritûs Ungulæ Alcis,
Cornu Cervi ana Libram unam,
Baccar: Juniperi Libras duas,
Olei deſtillati Succini albi Unciam unam,
Salis volatilis, Cornu Cervi, Succini albi Unc: ſemis,
Miſce ſimul, deſtillentur ex Alembico L. A.

VIRES & USUS.

Multùm commendatur in Febribus à D. D. Hoffmanno in Obſerv: Phyſico-chem: Lib: II. cap. XXVIII. *præterea etiam in affectibus apoplecticis, epilepticis, ac alijs convulſionibus utiliter adhibetur. Doſis eſt ad guttas triginta.*

Spiritus Calcis vivæ Schrœderi.

℞. Calcis vivæ quantum vis.

Leviga minutiſſimè, imbibéque cum Spiritu Vini alcaliſato (qui ab omni phlegmate purus ſit, aliàs in caſſum laboratur) quantum ſcilicet imbibere illa poteſt (non ad eminentiam) abſtrahe Spiritum Vini leniſſimo M. B. calore, cum cohobijs octies vel decies repetitis, ſic fortificatur vis ignea calcis vivæ.

℞. Hujus Calcis levigatæ Uncias decem,
Salis Tartari puriſſimi Unciam unam,
Cap. mort. Tartari probè priùs igniti Uncias undecim,

Miſce, ac deſtilla ex retorta lutata, infrà medietatem repleta, in excipula duo, quorum unum (in quo ſit parùm Spiritûs Vini rectificatiſſimi) deſtinatum ſit ſuſcipiendo Spiritui, adeoque capaciùs alterum (quod vacuum) extillanti phlegmati.

Excipulum priùs connexum ſit cum canali ex alterius illius excipuli collo deducto, poſteriùs ſit collocatum, ut phlegma, rectà delabi poſſit. Accenſo igne ſtillat primum phlegma, quod delabitur in excipulum vacuum; dein auctiori igne prodit Spiritus albicans, qui per canalem in alterum illud excipulum ad Spiritum Vini rectá tendit, eíque ſe ſe cõmiſcet, ut ſeparari abinvicem difficulter poſſint.

Rectifica aliquoties, & ſepara leniſſimo calore Spiritum Vini in phiala, vel accende Spiritum Vini, qui efflagrabit remanente Spiritu Calcis vivæ in fundo.

ANIMADVERSIO & USUS.

1ò. Niſi calx viva initio cum Spiritu vini ùt dictum, fuerit impr ægnata, adeóque exaltata, in caſſum laborabitur, quippe defluit in excipulum minus, víque phlegmatis commixti nullius evadit valoris.

2dò Spiritus primò flavus eſt, verùm leniter in ciner: rectificatus clareſcit.

3tiò. Summum eſt Arcanum in atterendo, radicitúſque pellendo calculo cujuſcunque ſpeciei aut loci. Confert & Podagricis. Pulmonihus nocet.

In Uſu pharmacevtico ſolvit Cryſtallos, oculos Cancror: lapidéſque duriſſimos. *Kesl. Libr. I. cap. 80.* Spiritus minerales volatiles figit.

Spiritus Ceraſorum nigrorum.

℞. Ceraſor: nigror: quantum vis,

Contundantur unà cum nucleis, & in vaſe querno reponantur, uſque dum fermentando odorem vinoſum, & nonnihil acidiuſculum acquiſiverint, deinde per veſicam leni igne deſtillentur in ſpiritum, qui, ſi opus fuerit, è cucurbita vitrea B. M. rectificari poteſt.

Vires huic Spiritui tribuuntur Cordiales & Cephalicæ. Doſis ad guttas triginta.

Spiritus Cochleariæ.

Fit ex Cochlearia hortenſi floreſcen-

reſcente fermentata deſtillando per Alembicum cum ſuo refrigeratorio, dum videlicet ſufficiens quantitas Herbæ recentis in mortario marmoreo contunditur ac modicô aquæ tepidæ vel quod melius propriô ſucco crudo irroratur, dein pauxillo ſale conſperſa cum particula fermenti panis aut cereviſiæ reponitur in dolio querno ad fermentationem loco tepido, uſque dum acidiuſculum ſpiret odorem, tandem deſtilletur Spiritus, qui, ùt de ſpiritu Anthos dictumeſt, ſuper novam Herbam affuſus bis aut ter rectificari poteſt. Aliàs etiam ſinè fermentatione parari ſolet, ùt Spiritus Abſinthij.

Antiſcorbuticum, ſtomachicum, & diureticum eſt medicamentum. Dari poteſt dilutus cum Aquis antiſcorbuticis ad Drachmam ſemis; Pro oris collutione ſolet cum melle roſarum attemperari.

Spiritus è Corde Cervi.

Cor Cervinum unà cum ſanguine grumoſo ad ſiccitatem uſque leni igne evoparatur, ex quo exſiccato ſpiritus, ſal, & oleum elicitur ad normam Spiritûs Cornu Cervi.

Spiritus Cornu Cervi P. A. R.

Ut &

Ejuſdem ſal volatile.

Cornua Cervi ponderoſa conſcindantur infruſta, quæ retortæ loricatæ indita igne aperto per gradus accenſo, in recipiens vas amplum deſtillentur, uſque dum nebulæ in eo comparere deſinant. Sal Collo retortæ adhærens, & liquor in vaſe recipiente unâ cum ſale volatili collectus, cum parte aliqua Spiritûs Vini, quo priùs recipiens eluatur, miſceantur, & per filtrum antea humectatum ab oleo ſeparentur; poſtea in præalta phiola additis cineribus, lento igne in ſal depuratum ſublimando reducantur; quod vel ſeorſim, vel cum ſubſequente tandem ſpiritu ſive phlegmate ſalino conjunctim aſſervandum, Oleum itidem in uſus externos, cum cineribus mixtum (pari modo & ſpiritûs) rectificari per retortam poterit. Caput mortuum etiam ulteriori calcinatione ad albedinem deductum, Cornu cervi uſtum ſuppeditat.

Spiritus Cornu Cervi ſuccinatus.

Deſtillatur cum dimidia quantitate ſuccini: Quamvis paſſim idē eſt, ac liquor C. C. ſuccinnatus.

Spiritus Cranij humani.

Paratur ùt Spiritus C. C.

Vires tam ſpiritûs quàm ſalium ſunt aperientes, alexipharmacæ, & in Epilepſia imprimis, Apoplexia, Paſſionibus hyſtericis, aliiſque affectibus ſoporoſis, præſtans medicamentum ſuppeditant.

Dari ſolent hi Spiritus à Guttis quinque, decem, etiam ad triginta.

Spiritus Croci compoſitus.

℞. Salis Ammoniaci Uncias duas,
Tartari Unc: quatuor,
Croci

Croci Unciam unam,
Spiritûs Vini Libram
unam ſemis,
Deſtillentur ùt Artis eſt.

Vires hujus Spiritûs Cephalicæ, nervinæ & anodynæ ſunt, Doſis ad guttas 30.

Spiritus Croci ſimplex.

℞. Croci Unciam unam,
Spiritûs Vini Libram unam
ſemis,

Fiat L. A. Deſtillatio in Spiritum, cujus vires priorem æmulantur.

Spiritus Cydoniorum.

Paratur ùt Spiritus Ceraſor: nigrorum.

Spiritus Diatrion.

℞. Spiritûs Theriacalis camphorati Uncias quinque,
Tartari rectificati
Uncias tres,
Vitrioli boni Unciam unam.

Miſceantur, & digerantur aliquamdiu in Vitro bene clauſo.

ANIMADVERSIO ET USUS.

1ò. *Communiter etiam nomine* Mixturæ ſimplicis *intitulari ſolet; nobiliſſimum eſt medicamentum ad plurimos Morbos, quamvis id nonnulli ob camphoram (cujus ſolummodò tria grana tota Uncia continet) fruſtraneo metu præſertim ſexui ſæpiùs exhibere vereantur; cujus tamen ſingularem effectum millena experientia citrà omnem noxam hucuſque comprobavit.*

2dò. *Adhibetur in obſtructionibus viſcerum reſerandis, Plevritide, Utero calefaciendo, Venenis, Febribus ardentibus & malignis, in quibus orgaſmum ſangvinis mitigat, ac quælibet miaſmata peregrina corrigit, quæ demùm per corporis peripheriam expellit; propterea etiam ſcopo præſervationis expetitur. Tingi ſolet Syrupo Papaver: erratici, vel Florum tunicæ.* Doſis ejus eſt à guttis 30. ad integram Drachmam.

Spiritus Ebuli ex Baccis.

Fit ùt Spiritus Ceraſor: nigror:

Spiritus Evphraſiæ.

Paratur ùt Spiritus Cochleariæ per fermentationem.

Spiritus Fœniculi.

Fit ùt Spiritus Aniſi.

Spiritus Formicarum.

Colliguntur ſcilicet Formicæ circà ſolſtitium æſtiuum die ſereno decreſcente Luna unà cum ovulis in ſufficienti quantitate, quibus ſuperfunditur Spiritus Vini ad eminentiam trium digitorum, dein vaſe optimè clauſo, facta per biduum digeſtione L. A. Spiritus elicitur.

VIRES & USUS.

Impropriè etiam Aqua magnanimitatis *nuncupatur (cujus etiam*

pag 49. dedimus descriptionem) valet ad Cerebrum & Memoriam confortandam; præterea commendatur in Apoplexia, Vertigine, affectibus soporosis, ac omnis generis nervosi morbis, unde & in languida venere exhibetur.

Internè ad cochlear unum aut alterum in appropriato vehiculo propinatur.

Externè additur aquis articularibus & antiparalyticis. Convenit etiam in tinnitu Aurium & Auditûs difficultate.

Spiritus Fragorum.

Ad normam Spiritus Ceraſorum paratur.

Spiritus Fuliginis ex Schrödero.

℞. Fuliginis electæ ſplendidæ q.v.

Imple ad collum uſque retortam vitream lutatam, & deſtilla, ignis aperti gradibus ſucceſſive adhibitis in receptaculum capaciſſimum, ut prodeant Spiritus albicantes, ac oleum flavum, ultimò rubeum. Spiritum cum oleo aliquamdiu digere, poſtea effunde medietatem Spiritûs Vini & deſtilla ſæpiùs: prodit cum Spiritu Vini, Spiritus Fuliginis & ſimul Oleum rectificatiſſimum. Caput mortuum incinera, & extrahe Sal more ſolito cum Aceto.

VIRES & USUS.

Spiritus ac Oleum confortativa ſunt inſignia, mirabiliter agonizantes exhibita, refocillant. Doſis Spiritûs à guttis aliquot ad Scrupulum ſemis. Olei Grana duo vel tria in Vino vel alio vehiculo convenienti.

Sal præſtantiſſimum curativum eſt in cancro exulcerato, ſi in cella ſolutum cancroſis ulceribus ſemel ac iterum inungatur, venenoſitas inſtar vaporis viſibiliter extrahitur.

Tandem oleum (craſſius) leni aſpergine ſæpiùs illitum, cruſtam inſtar cuticulæ ſuperinducit, quæ ſponte ſpatio 5. vel 6. dierum decedens, ulcus conſolidatum eſſe indicat. Hartman. in Pract.

Spiritus Fumariæ.

Paratur ùt Spiritus Cochleariæ per fermentationem.

Spiritus Fumoſus *D. D.* Fuchs.

℞. Olei Vitrioli Libram unam.
Nitri crudi Libram ſemis.

Miſce cautè, quia potenter efferveſcunt, propterea fruſtulatim Nitrum in Oleum injice, aliàs vel vitri orificium inter efferveſcendum ſuper aſcendit, aut latera vitri diſrumpit.

Deſtillentur L. A. ex retorta vitrea in Arena ad ſiccitatem uſque, prodibit Liquor fumans circiter ad Uncias ſeptem, ad hujus Liquoris Unciam unam, adde Spiritûs Vini rectificatiſſimi Uncias octo. Neceſſe autem eſt ut Oleum Spiritui non affatim, ſed guttatim inſtilletur; ſtent inſimul aliquot horis, dein ex alembico alto, lento igne deſtillentur in ſpiritum, quæ deſtillatio tribus

aut

aut quatuor vicibus repetenda; ultimatim verò non ad ſiccitatem uſque, nè acidum Olei Vitrioli (quod infundo manet) ſimul utpotè corroſivum, elevetur.

VIRES & USUS.

Pro attemperando æſtu febrili, & ſiti extingvenda locò Spiritûs Nitri dulcis ehiberi ſolet; præterea obſtructiones reſerat, flatus diſcutit, & dolores colicos ſedat Doſis ad guttas triginta.

Spiritus Juniperi ex Baccis.

Baccæ Juniperi probè contundantur, & cum aqua tepida, in qua portio aliqua fermenti, vel ſachari ſoluta fuerit, diluantur, hinc ad fermentandum reponantur, quâ peractâ, deſtillatio ùt Artis eſt inſtituatur.

VIRES & USUS.

Eſt diureticus, alexipharmacus, & ſtomachicus, cum Roob Juniperi utiliter exhiberi ſolet in catarrhis diſſipandis, ventriculo, & inteſtinis roborandis, urina, ac inſenſibili tranſpiratione promovenda. Datur àDrachma ſemis ad integram.

Spiritus Lavendulæ.

Paratur ùt Spiritus Anthos.

Spiritus Ligni Gvajaci.

Raſura recente Ligni Gvajaci imple retortam terream loricatam ad medietatem, dein recipiente amplo accommodatô, juncturíſque optimè lutatis deſtilletur igne aperto per gradus aucto, prodibit cum Oleo liquor acidus, qui per chartam emporeticam duplicatam madidam, ùt Artis eſt ſeparatus ſervetur.

VIRES & USUS.

Spiritus Diaphoreſi dicatus darì poteſt ad guttas 40. Oleum verò adhiberi ſolet externè ad ulcerum venereorum mundificationem.

Spiritus Liliorum Convallium.

Paratur ùt Spiritus Abſinthij.

Spiritus Lumbricorum:

Et ſal Volatile.

℞. Lumbricorum terreſtrium exſiccatorum ſufficientem quantitatem.

Ex retorta lutô incruſtata, igne aperto per gradus adhibito, deſtillentur; Liquor prolectus cum ſale in eo ſoluto, additâ Spiritûs Vini particulâ, ab Oleo per chartam emporeticam priùs aquâ humefactam ſeparatur, & ceu in præcedenti proceſſu de Cornu Cervi dictum fuit, ex arena in phiola rectificetur.

Uſus hujus Spiritûs & Salis eſt Diaphoreticus & Diureticus, arthriticis imprimìs, tam internè, quàm externè adhibendo, commendatus.

Spi-

Spiritus Lumbricorum simplex.

℞. Lumbricorum terreſtrium ſtupâ depuratorum, aut lotorū quantùm placet,
Superaffundatur Spiritus Vini rectificatus ad eminentiam trium vel quatuor digitorum, digerantur quadriduò in vaſe bene obturato; dein ex arena L. A. Spiritus deſtilletur, qui alijs Lumbricis reaffundatur, & facta iterata digeſtione denuò ex arena igne moderato deſtilletur.

ANIMADVERSIO.

1ò. Vix majores, quàm ipſe Spiritus Vini rectificatus, hicce ſpiritus vires poſſidere creditur, cui prior in uſu Medico tam in-quàm extra præfertur.

2dò. Parari etiam ſolet Spiritus Lumbricorum cæruleus (attamen minùs uſualis) ex Lumbricis conquaſſatis & cum aliquali quantitate Aquæ pluviæ tepidæ fermentatis, qui ùt Artis eſt per retortam vitream ex arena in excipulum ſatìs amplum deſtillando prolectus tantillò æruginis & ſale ammoniaco agitando cæruleo tingitur colore.

Spiritus Macis.

Vide pag: 169. ſub præparatione Eſſentiæ.

Spiritus Matricalis.

℞. Maſtiches,
Myhrræ,
Thuris,
Succini ana part: æqual:
Spiritûs Vini q. ſ.
Poſt ſufficientem digeſtionem deſtillentur ùt Artis eſt.

VIRES & USUS.

Commendatur in morbis ab utero natis nec non ad ſangvinem grumoſum reſolvendum, & Diaphoreſim procurandam Doſis eſt ad unam aut alteram Drachmam.

Externè etiam expetitur in œdematibus, atonia, & flacciditate partium emendanda.

Spiritus Meliſſæ.

Fit ùt Spiritus Abſinthij.

Spiritus Mellis.

℞. Mellis puri Libras duas.
Arenæ mundæ Libram unam.
Miſceantur, & ex retorta, calore arenæ, igne per gradus adminiſtrato, fiat deſtillatio; liquor prolectus per chartam emporeticam aquâ madefactam, ab oleo ſeparetur, atque in arena rectificetur, phlegmate primò prodeunte, & dein Spiritu ſubſequente.

VIRES & USUS.

Internè exhibitus eſt aperitivus & diureticus, dari ſolet etiam in Julapijs ad gratam aciditatem. Externè in capillis producendis & flavedine tingendis adhibetur; præſertim autem ad Tincturam Corallio-rum conficiendam inſervit.

Spiritus Menthæ.

Paratur ùt Spiritus Abſinthij.

Spiritus Mineralis Anodynus.

℞. Spiritûs Vini rectificatiſſimi Libras ſex,

Huic guttatim ferè inſtillentur Olei Vitrioli optimi Unciæ octo, digerantur inſimul horis 24. dein leniſſimo igne ex retorta deſtillentur, donec Libræ quatuor prodierint, reſiduò abſque additione novi Olei affundantur.

Spiritûs Vini rectificati Libræ tres,

Et denuò deſtillentur, donec duæ Libræ prodierint, quæ cum ſuperioribus quatuor Libris commixtæ uſui ſerventur.

ANIMADVERSIO ET USUS.

1ò. *Hoffmannus in Diſſert: Inaugurali Chymico-Medica* de ACIDO VITRIOLI VINOSO Hallæ Magd. Ann: 1732. typis edit: *præſertim autem in ſuis Obſervat: Chymicis* Lib. II. Obſerv: XIII. pag: 173. *fuſiùs proceſſum hunc ob oculos ponit, de quo etiam Commerc: Liter: Phyſico-Technico-Medicum* Part: II. pag: 277. *Item D. D. Geelhauſen in Diſſert: de Affect: articularibus Arthritico-podagricis Pragæ* Ann. 1727. *edit:* Part. II. Theſ: II. §. 5. & 6. pag. 179. *uſque ad* pag. 185. *plura legere curioſiores minimè pœnitebit.*

2dò. *Dicitur etiam* Liquor mineralis anodynus, *prout hìc juxta Diſpenſatorium Viennenſe eſt deſcriptus. Cujus Virtutes inſignes in ſputo ſangvinis, phtyſi, vigilijs aliiſque contumacioribus doloribus commendantur. Doſis ab aliquot guttis ad Scrupulum ſemis & ultrà.*

Spiritus Naſturij Aquatici.

Fit ùt Spiritus Abſynthij.

Spiritus Nitri Acidus.

℞. Nitri depurati Libram unam, Boli communis Libras tres.

Exactè invicem permiſceantur, vel in globulos cum aqua redigantur, qui ſiccati ex retorta loricata, tertia ejus parte vacuâ relictâ in vas amplum recipiens, igne per gradus aucto deſtillentur, uſque dum inſignis rubedo in recipiente diminuatur, & nulli ampliùs Spiritus prodeant.

ANIMADVERSIO & USUS.

Spiritus hic inter potentiſſima corroſiva computatur, unde rariùs ad uſum internum expetitur, quamvis nonnunquam ad aliquot guttas ſatis dilutus ad contemperandum æſtum febrilem, & ſitim reſtinguendam commendetur. Potiſſimùm adhiberi ſolet ad uſus chymicos, & mechanicos.

Spiritus Nitri dulcis.

℞. Spiritûs Vini rectificati Libras duas,

Huic ſucceſſivè inſtilletur Spiritûs Nitri Libra una,

Digerantur inſimul per triduum, poſtea deſtillentur per alembicum, ſit autem alembicus major, ut meliùs circulari valeat, toties

ties cohobando, donec omnis acredo corrigatur; & Spiritus Nitri miteſcat.

ANIMADVERSIO ET USUS.

1mò. Haud unanimes hodiedum exiſtunt Chymici in Spiritu Nitri edulcorando, ſeu acrimona ejus & corroſivitate corrigenda, dum ſunt, qui dubitant, an non adhucdum ſuſpectam quandam acrimoniam latitantem hac methodo paratus ſpiritus in ſe retineat. Unde multis Methodus D. D. Siegesbeck in Annal. Phyſ: Med: Wratislav: Ann: 1721. Menſ: April: Claſſ: IV. Artic: 12. *præplacet: Ubi recipit Spiritûs Nitri crudi legitimè deſtillati Libram unam, & Spiritûs Vini aut frumenti rectificatiſſimi Libras duas. Hos Spiritus ſucceſſivè in cucurbita vitrea proportionata commiſcet, ac impoſitô alembicô, cujus roſtrum ſubere probè obturatum, & junctura undique exquiſitè clauſæ ſunt, eandem in loco frigido arenæ imponit, ibíque per quatuor vel ſex hebdomadum ſpatium relinquit, poſtmodùm verò convenienti ignis gradu Libras duas cum ſemiſſe ex arena deſtillat; hácque ratione egregium Spiritum Nitri dulcem, gratiſſimo odore & ſapore præditum, nec cum ullo unquam Spiritu alkalino effervescentem, obtinet.*

2dò. Uſus hujus Spiritûs paſſim ità notus, quòd ſæpiùs citrà Medici præſcriptionem à vulgo ad attemperandos æſtus, & potus corrigendos expeti ſoleat; Aliàs in Plevritide, Peripneumonia, Nephritide, Colica flatulenta, ut & in Aſthmate recommendatur. Doſis eſt ad Drachmam ſemis & ultra.

Spiritus Nitri dulcis aromatizatus.

℞. Radic. Angelicæ Unciã ſemis,
Zedoariæ Drach: duas,
Folior: Menthæ criſpæ,
Majoranæ,
Meliſſæ,
Origani cretici ana Pugillum unum,
Semin: Fœniculi,
Aniſi ſtellati,
Carvi ana Drach. duas,
Baccarum Juniperi Unciam ſemis,
Cortic: Aurantiorum,
Citri ana Drach: tres,
Macis Drachmam unam ſemis,
Caryophyllorum Drachmam ſemis,

Inciſis & contuſis groſſo modô ſuperaffundantur Spiritûs Vini rectif: Libræ tres, digerantur per aliquot dies, dein deſtillentur per alembicum in Spiritum aromaticum.

℞. Hujus Spiritûs aromatici Libram unam,
Spiritûs Nitri dulcis Uncias quatuor,

Miſce, ſervetur pro uſu.

VIRES & USUS.

In frigida Ventriculi & Viſcerum intemperie, Paſſionibus hyſtericis, Doloribus colicis, Flatulentijs, & alijs affectibus à cauſa frigida natis efficax eſt. Doſis eſt ad Drachmam ſemis.

Spiritus Panis.

℞. Panis Siliginei recenter pisti & infrusta incisi q. v.

Irroretur Vino generoso q. s. inde retortæ vitreæ colli anguſti, collô bene obturatô, digeratur in Balneo Roris ad putrefactionem uſque, dein deſtilletur ex arena Spiritus ùt Artis eſt. *Hùic adde:*

Spiritús Vini rectificati mediam partem,
Olei Cinnamomi Drachmam unam,
Caryophylorum,
Nucis Moſchatæ ana Scrupulum unum,
Salis ex Cap: mort: Panis L. A. elixiviati, quantum elici poteſt.

VIRES & USUS.

Singulare cordiale exiſtit hic ſpiritus, languidos enim; & à morbi diuturnitate exhauſtos recreat & confortat. Datur ab aliquot guttis ad Scrupulum ſemis.

Spiritus Roſarum P. A. R.

℞. Flor: Roſar: fragrantium q. l.

Affuſa s. q. Aquæ fontanæ, & additô fermentô fiat deſtillatio per veſicam, deſtillatum Spiritum novis Roſis fermentatis toties affundendo, & deſtillando, donec ſatis fortem Spiritum habueris.

VIRES & USUS.

Pro ijs, qui odorem hunc ferre poſſunt pro Epithematibus adhiberi ſolet. Aliàs virtutem & qualitatem diſcutientem probè exſerit, dum tumentibus locis applicatur

Spiritus Rubi Idæi.

℞. Baccis conquaſſatis & fermentatis ad normam ſpiritûs Ceraſorum paratur.

Spiritus Salis Acidus P. A. R.

℞. Salis communis depurati & in tenuiſſimum pulverem redacti Libras duas,
Terræ figulinæ Libras ſex,

Miſceantur exactè, & cum aqua globuli exin formentur (quamvis etiam ſola mixtura ſufficere poſſit) qui exſiccati retortæ luto obductæ indantur, tertiam ejus partem vacuam relinquendo; poſtea igne gradatim adhibitô, in vas recipiens amplum deſtillatio inſtituatur, quouſque nulli ampliùs Spiritus ſub nebularum forma comparentes egrediantur. Liquor deſtillatus per retortam in arena à ſuperfluo phlegmate rectificetur.

ANIMADVERSIO & USUS.

1ò. *Qualiter* Zwelfferus *in ſua Mantiſſa Hermetica ad Pharmac: Auguſt. impugnet additionem terræ vel boli, ex eo quòd rariùs purus, ac alijs adulteratus divendatur, legi poteſt loc. citat. Quod* & Barnerus *rejicit ex eo, quòd Aqua, quacum*

terra

terra hæc in bolos formatur, ſub deſtillatione deinde ſal decrepitatum nova humiditate imbuat.

2dò. *Hinc multi hunc Spiritum ex ſale Marino (quod majus ſulphureum eſt) cum anatica parte Vitrioli albi miſcent, & deſtillant per retortam igne vehementiſſimo in Spiritum, Caput verò mortuum in crucibulo calcinatum; elixiviatum, ac evaporatum ſuppeditat* Sal mirabile Glauberi; *neque metuendum eſſe aſſerunt, ut vitriolum quendam Spiritum fundat, cùm longè fixioris naturæ ſit.*

3tiò. *Alij ad Salis calcinati Libras duas, addunt Aluminis Unciam unam, mixta per retortam loricatam deſtillant; aſtum non vim potius Aluminis hic Spiritus aſſumat, neminem latet.*

4tò. *Spiritus hic non tantùm in Chymicis, ſed & in foro medico magni æſtimatur; Diuretius enim & Lithontripticus eſt, hinc obſtructionibus Hepatis, Lienis, Ictero & hydropi conducit. Helmontius eum ad dyſſuriam & iſchuriam ſenum commendat, ſi aliquot guttæ in juſculo exhibeantur.*

Spiritus Salis coagulatus.

℞. Salis Abſynthij genuini cryſtalliſati q. v. Huic affundatur Spiritûs Salis quantum ſufficit, donec omnis efferveſcentia ceſſet, dein coaguletur, & ſervetur uſui.

Vires ejus ſunt ſtomachales & diureticæ, unde in Ictero, Hydrope, Calculo, & alijs obſtructionibus commendatur, à Granis 6. uſque ad 15. *Vid: Mynſicht: p. 26.*

Spiritus Salis dulcis.

℞. Spiritûs Salis acidi rectificati Libram unam,
Vini rectific: Libras tres,

Digerantur per octiduum in vaſe ampliori, ut debitè circulari queant, poſtea retortâ vitreâ igne gradatim aucto deſtillentur, aliquoties cohobando, ut ſibi arctiùs uniantur.

VIRES & USUS.

In confortando tono Ventriculi, & appetitum conciliandum nihil eſt præſtantius, præterea cruditatem nidoroſam corrigit, nauſeam & vomitum compeſcit. Datur à guttis 10. ad 15. & ultra in vehiculo convenienti.

Spiritus Salis Amoniaci Aniſatus. P. A. R.

℞. Seminis Aniſi Uncias tres,
Ciner: Clavellator: in Aqua fontana ſolutor: Libram unam,

Miſce, & poſt aliquam digeſtionem, additis ſalis Amoniaci itidem in Aqua fontana ſoluti Uncias ſex, lento igne in arena Spiritum deſtillando prolice.

Uſus ejus in pectoris affectibus demulcendis, & flatibus diſcutiendis celebratur. Datur ad Drachmam ſemis & ultra.

Spiritus Salis Ammoniaci aromatiſatus Deckeri.

℞. Salis Amoniaci triti & cribrati, Tar-

Tartari pulverisati ana Libram semis,

Solvatur Sal Ammoniacum in Spiritûs Vini Uncijs octo, Sal Tartari verò in Vini generosi Uncijs duodecim,

Quæ soluta misceantur, immittantúrque cucurbitæ, quibus sequens Pulvis crassus addendus:

℞. Radic: Angelicæ Unc: semis,
Folior: Menthæ Crispæ,
Majoranæ ana Drachmas tres,
Sem: Fœniculi,
Baccar: Juniperi ana Unciam unam,
Cinnamomi acuti Unc: semis.
Nucis Moschatæ,
Croci orientalis,
Origani cretici ana Drachmas duas,
Spicæ Nardi,
Cardamomi majoris ana Drachmam unam,

Omnibus mixtis capitellum citò imponatur, appositóque recipiente junctûris probè clausis fiat destillatio ex arena leni calore, donec omne Sal coagulatum fuerit solutum, & Spiritus volatilis Aromaticus prolectus servetur probè clausus.

VIRES & USUS.

Multùm commendatur in morbis chronicis à causa frigida enatis, unde hypochondriacis, flatulentis & colicis affectibus opitulatur. Dosis ad Drachmam semis & ultrà.

Spiritus Salis Ammoniaci Martialis.

Fit ex Capite mortuo Florum Salis Ammoniaci martiatorum Aëri exposito, destillando per retortam secundùm Artem. Cujus vires instar panaceæ in omnibus morbis ab acido oriundis singulariter commendantur, omnes enim obstructiones tollere, menses & urinam promovere perhibetur, præterea febribus medetur. *Dosis à guttis 5. ad 15. & ultrà.*

Spiritus Salis Ammoniaci volatilis urinosus.

℞. Salis Ammoniaci,
Tartari ana Libram unam,

Seorsim pulverisata misce in cucurbita vitrea affundendo Urinæ Pueri q. s. pro humectatione saltèm, tunc capitellô subitò adlutatô cum recipiente, fiat destillatio ex arena, igne per gradus aucto, & prodit Spiritus penetrantissimus, ac tandem in capitellum sublimantur salis Ammoniaci partes magìs subtiliores, quæ seorsim colliguntur & servantur Florum salis Ammoniaci tartarisatorum nomine.

ANIMADVERSIO ET USUS.

1ò. *Hac methodo etiam parari potest Spiritus Salis Ammoniaci Martialis, si locò Salis Tartari Sali Ammoniaco æquale pondus Croci Martis per Aquam saltèm facti admiscueris, & ex alembico terreo vel ferreo destillaveris igne nudo, ubi etiam in capitellum elevantur Flores de quibus* vid. pag. 188.

2dò. *Vires hujus Spiritûs sunt insignes,*

ſignes, & infinitis morbis conducibiles, ubi acidum temperandum, & invertendum, ùt in affectibus hypochondriacis, hyſtericis, epilepticis, febribus, ſcorbuto &c. Item naribus admotus excitat apoplecticos & ſoporoſos, reſolvit & attentat. Doſis ad guttas 20. in convenienti vehiculo.

Spiritus Salviæ:

Paratur ùt Spiritus Abſinthij.

Spiritus Sambuci:

Ex Baccis paratur ùt Spiritus Ceraſorum,
Ex Floribus verò adinſtar Roſarum deſtillatur.

Spiritus ſangvinis humani:

Præparationem hujus Spiritûs vide *pag:* 91. quamvis alij ex putrefacto ſangvine eundem deſtillando in arena & rectificando parare doceant.

Spiritus Serpilli.

Fit ùt Spiritus Anthos per fermentationem.

Spiritus Sulphuris per Campanam. P. A: R.

Ponatur tempore pluvioſo exſiſtente, ſub campana vitrea (cujus etiam interior pars aquâ humectari poteſt, pro faciliori Spirituum in liquorem reſolutione) vas aliquod terreum cum Sulphure, quod accendatur: ità verò vas illud ſubjectum ad campanam applicetur, ùt fumi egredientes flammam non ſuffocent, ſed liberè aſcendentes in liquorem coagulentur, qui in vitro vel patina ſuppoſita colligatur.

VIRES & USUS.

Eaſdem ferè qualitates cum Spiritu Vitrioli obtinet, proinde iiſdem etiam affectibus curandis conducit; ſuavior tamen eſt & ſubtilior, ſicque etiam effectu præſtantior, quandoquidem in peſte, aſthmate & conſimilibus morbis adhibetur. Doſis eſt refractior ad aliquot guttas.

Spiritus Tartari.

℞. Tartari albi puri & craſsè confracti q. l.

Immitte in retortam vitream, tertiam ejus partem vacuam relinquendo, eique in arenam collocatæ, recipientem ſatis capacem adapta, & bene luta, dato primùm igne per gradus, dein paulatim auctô, donec Spiritus nebularum forma cum oleo egreſſi fuerint, tandem Spiritus ab Oleo per chartam emporeticam duplicem aquâ humectatam ſeparetur, diciturque hic *Spiritus Tartari ſimplex.*

ANIMADVERSIO & USUS.

ìò, Purificatio Tartari in eo conſiſtit, ut ſæpiſſimè aquâ communi lavetur & exſiccetur. Alij Cryſtallos Tartari aſſumunt, & credunt, ſi hic Spiritus debitè deſtilletur, quòd nulla egeat rectificatione, per quam ma-

magnam volatilitatem perdere ſolet; Alij rursùm rectificationem ſuper cineres neceſſariam fore judicant, ut fœtorem cum phlegmate deponat, ſicque penetrantior evadat, qui ingrediens Mixturæ ſimplicis *conſtituit.*

2dò. Cl. Zwelfferus *annotat, ut pro hujus Spiritûs deſtillatione Tartarus unicâ ſolutione & cryſtalliſatione purificetur, quod commodè ſpatiô unius diei in veſica cuprea exiguo cum labore & diſpendio fieri poteſt; Ità enim defœcatus & ab inhærentibus ſtipitibus liberatus Tartarus non graveolentem, ſed fragrantem & inſigniter penetrantem præbet ſpiritum.*

3tiò. Si Tartarus pulveriſatus cum Spiritu vini humectetur. & ſic deſtilletur, magis volatilem ſuppeditat ſpiritum. Alij Tartarum pulveriſatum cum Oleo vel lixivio ſalis Tartari humectant, ut magis volatilem acquirant ſpiritum, quem prolectum ſuper caput mortuum aliquoties cohobant, ſícque ſimul Sal Tartari volatile elevari dicunt.

4tò. Signum boni Spiritûs eſt, ſi cum acido efferveſcat, ſecus fit, ſi acido vitrioli eſt adulteratus & nullius valoris.

5tò. Ratione virium eſt medicamentum deoppilativum, diaphoreticum & diureticum, unde aperit, Urinam, Calculum, menſes, ac ſudores provocat, & acidum corrigit, ſícque paralyſi, ictero, plevritidi, hydropi, auxiliatur. Dari poteſt ad Drachmam integram.

Spiritus Tartari compoſitus.

℞. Salis Tartari Uncias ſedecim,
Ammoniaci Uncias octo,
Sprit: Tartari ſimplicis Libras duas,
Miſceantur & deſtillentur lento igne in arena.

ANIMADVERSIO ET USUS.

1ò. Solet nonnunqnam hic Spiritus per ſolam commixtionem cum ſpiritu Tartari, & ſpiritu Salis Ammoniaci proportione debitè facta parari.

2dò. Ejuſdem eſt cum antecedenti virtutis, potentiùs tamen operatur.

Spiritus Terebinthinæ.

Habetur ſub deſcriptione Olei Terebinthinæ. Aliàs etiam cum aqua fontana addito ſale Tartari ex B. M. per alembicum deſtillari poteſt.

VIRES & USUS.

In affectibus Renum & veſicæ non tantùm, ſed & pulmonum læſionibus internè eſt laudatiſſimus. Externè vi balſamicâ in vulneribus præcipuè nervorum adhibetur. Doſis ad guttas 10. in vitello ovi.

Spiritus Theriacalis camphoratus.

℞. Spiritûs Vini opt: rectif: Uncias decem,
Theriacæ Andromachi veteris Uncias quinque.
Myhrræ rubræ Uncias duas ſemis,
Croci auſtriaci Unc. ſemis,

Poſt

Poſt peractam octiduanam digeſtionem, fiat in B. M. Spiritûs deſtillatio, imponendo alembici roſtro Camphoræ Drach: duas.

VIRES & USUS.

Egregiè ad ſudores eliciendos, ictero, quartanæ & ſimilibus confert, præterea morbis malignis opitulatur, & veneno reſiſtit. Doſis ad Drachmam ſemis & ultrà.

Spiritus Vini camphoratus.

℞. Spiritûs Vini optimè rectificati Libram unam,
In qua ſolvatur.
Camphoræ Uncia una ſemis,
Stent in digeſtione leniſſima, donec Camphora omnis fuerit ſoluta.

VIRES ET USUS.

Externè adhibetur, poros cutis facilè penetrat, lympham coagulat, in contuſionibus & luxationibus conducit.

Spiritus Vini rectificatus.

Eſt Spiritus Vini ab omni phlegmate liberatus per repetitam deſtillationem per cucurbitam excelſam longioris colli adaptato alembico cum recipiente, juncturíſque ſolidiſſimè lutatis; qui dum ab omni phlegmate liberatus eſt, & accenſus totus deflagrat, aut pulveri pyrio affuſus atque accenſus deflagrando ipſum quoque accendit, rectificatiſſimus audit, ſicut enim communis in Oleo amygdalarum ſubſidet, ità hic rectificatus ſupernatat.

Uſus ejus potiſſimùm eſt ad Eſſentias, Tincturas, & Elyxiria paranda.

Spiritus Vini Tartariſatus.

℞. Spiritûs Vini opt: rectif: Libras duas,
Salis Tartari probè depurati & ſiccati Uncias quatuor,
Miſce, & è cucurbita vitrea junctûris probè munitis igne arenæ moderatô L. A. Spiritus deſtilletur.

ANIMADVERSIO & USUS.

1ò. Locò Salis Tartari etiam Cineres clavellati accipi ſolent.

2dò. Deſtillatio non ad ſiccitatem uſque inſtituenda, ut in fundo phlegma remaneat, ex quo poſt præparationem Sal Alcali impetrari poteſt.

3tiò. Uſibus Chymico-Pharmaceuticis potiſſimùm expetitur in reſinoſis extrahendis.

Spiritus Viſci quercini.

Paratur ùt Spiritus Ligni Quajaci. *Cujus Virtutes ſunt epilepticæ & hyſtericæ.*

Spiritus Vitrioli acidus.

Et volatilis Sulphureus.
Vide ſub præparatione Roris Vitrioli.

Spiritus Vitrioli dulcis.

Paratur eodem modô, quô Spiritus Nitri dulcis.

Spiritus Urinæ.

Fit ex urina hominis Masculi juvenis & sani, dum in vase terreo reponitur per tres vel quatuor septimanas, donec fœtere incipiat, dein urina à fœcibus decantata per cucurbitam magnam cum alembico in vas recipiens destillatur ex arena lento igne ad medietatem. Cavendum ab igne fortiori, nè in spumas agitata massa alembicum transcendat, quod si casu contingeret, ignis amovetur & alembicus, mox sedatur tumultus. Destillatum rectificatur per cohobia à capite mortuo eo gradu ignis, nè alembicus incalescat. Transit Spiritus, & Sal in recipiente adhærebit. Si calor intendatur, liquescit Sal & reliquum cum Spiritu miscetur.

VIRES & USUS.

Aperit, & obstructiones reserat, calculum pellit, unde in ictero, hydrope, & affectu hypochondriaco commendatur. Dosis ad guttas 10. & ultrà.

Sulphur Antimonij auratum

Fit ex Scorijs à Regulo Antimonij, vel Croci Metallorum, proùt ibidem loci mentio facta est, aut Antimonij Diaphoretici, pulverisatis & in aqua communi solutis, quibus filtratis affunditur Acetum destillatum, ubi pulvis ruber ad fundum præcipitatur, qui reiteratis ablutionibus dulcoratus, & siccatus Sulphur Antimonij auratum audit.

Scoriæ enim nîl aliud sunt, quàm Salia alcalia Sulphure Antimonij, quod absorpserant, imprægnata, unde ad hujus separationem & præcipitationem solutioni illarum contrarium scilicet Acetum instillatur.

ANIMADVERSIO & USUS.

1ò. Multiplices à varijs dantur modi parandi hoc & alia Sulphura regulina, de quibus Angelus Sala, Glauberus, Rothius & Hoffmannus consuli possunt, quæ tamen ex vi sua drastica non adeò multum à qualitatibus Croci Metallorum recedunt.

2dò. Vires hujus Sulphuris aurati sunt diversæ, siquidem in alijs Vomitum ante sudorem, in alijs sedem post sudorem movere solet. Cæteroquin in febribus intermittentibus, & lue venerea ad aliquot grana exhibitum cõmendatur.

Sulphur Vitrioli anodynum Zwelfferi.

℞. Vitrioli Martialis seu Hungarici opt: Libr: unam.

Solvatur in s. q. Aquæ simplicis, solutio filtretur & asservetur, postea cum hac Aqua vitriolata sæpiùs laminæ ferreæ, vel etiam limatura Martis pura, humectentur, & toties leni calore iterum exsiccentur; usque dum in massam rubicundam conversa sint. Nunc huic in pulverem tritæ massæ superaffundatur aceti destillati q. s. ad quinque digitorum eminentiam in Vitro satis largo & magno, digerantur calore satis intenso, quousque acetum tingatur; quod,

dum

dum adhuc calet, effundendum, & aliud ſuperaffundendum; ídque ſæpiùs repetendum, donec acetum affuſum nullâ ampliùs rubedine tingatur. Porro ſolutionibus, ſeu aceto tincto inſtilletur Oleum Tartari guttatim, & præcipitabitur Sulphur Vitrioli inſtar Pulveris flavi, quod per reſidentiam & decantationem, ſeu inclinationem liquoris ſupernatantis, vel etiam per filtrum, & chartam emporeticam ſeparatum, aquâ tepidâ ſæpiùs affusâ probè edulcoretur, quouſque nullus ſapor aut acrimonia à Sale, ſivè Aceto vel à Vitriolo ampliùs percipiatur. Exſiccetur hinc & phialæ incluſum, in arena nonnihil ad rubedinem calcinetur: quod brevì fiet, & efficietur. Et hoc eſt Sulphur Vitrioli anodynum dictum, alijs anodynis meritò anteferendum; *Doſis ad aliquot grana exhiberi ſolet.*

SUPPOSITORIUM cum SPECIEBUS.

Vide Species.

SUPPOSITORIUM SIMPLEX.

℞. Aloës Drachmas duas.
Cumini,
Rutæ,
Salis Gemmæ ana Drachmam unam,

Fiat Pulvis, qui ſubigatur cum ſ. q. Mellis, & redigatur in glandes.

SYRUPI.

Syrupus de Abſynthio. P. A. R.

℞. Abſynthij Pontici, ſeu Romani Libram ſemis,
Roſarum rubrarum Uncias duas,
Spicæ indicæ Drachmas tres,
Succi Cydoniorum Libras tres & uncias quatuor,

Macerentur in vaſe fictili horis viginti quatuor: deinde decoquantur, exprimantur, & colaturæ addantur ſachari Libræ duæ. Fiat ùt artis eſt Syrupus.

VIRES & USUS.

Commendatur ad appetitum excitandum, & ventriculum cum inteſtinis roborandum, laudatur etiam in cachexia, & menſium fluore albo. Datur per ſe ad aliquot Drachmas. Barbette hunc Syrupum in vulneribus & ulceribus digerendis & mundificandis, imò ad injectiones ſinuoſis ulceribus repurgandis adhibuit.

Syrupus Acetoſellæ.

℞. Succi Acetoſellæ depurati Libras duas,
Sachari clarificati Libr. unam.

Coquantur in Syrupum.

VIRES & USUS.

Refrigerans & bilem temperans eſt, unde tum potionibus febrifugis, tum alijs Syrupis, qui pro potu edulcorando præſcribuntur commodè addi ſolet. Sy-

Syrupus Acetoſitatis Citri.

℞. Succi Citri recentis ſinè expreſſione per pannum rarum colati Libram unam ſemis,
Sachari albiſſimi clarificati, & ultrà tabulati conſiſtentiâ cocti Libras tres,
Unicâ ſuper igne moderato ebullitione fiat juſtæ conſiſtentiæ Syrupus.

VIRES & USUS.

Ob gratam ejus aciditatem in febribus inflammatorijs attemperandis, & ſiti reſtingvenda, tum potui ordinario, tum & alijs mixturis adhiberi conſvevit.

Syrupus Adianthi Fernelij.

℞. Adianthi albi. id eſt, Rutæ murariæ manipulos tres,
nigri, ſeu Capil: Ven. vulgaris, id eſt, Polytrichi aurei,
Saxifragiæ,
Betonicæ,
Pimpinellæ,
Aſplenij ana Manipul: duos,
Coquantur ex Aquæ Libris octo, uſquedum ad quinque redeant. In expreſſo ſolvantur
Sachari albi Libræ quatuor,
Mellis optimi deſpumati Libra ſemis,
Fiat ex arte ſyrupus.

VIRES & USUS.

Omnes in quacunque corporis parte humores incidit, atque detergit, cuivis morbo incipienti, omni itidem naturæ, ætati; regioni conducens.

Syrupus de Althæa Fernelij.

℞. Radic. Althææ Unc: duæ,
Graminis,
Aſparagi,
Glycyrrhizæ,
Uvar: paſſar: mundatar: ana Unciam ſemis,
Cicerum rubror: Unc: unam,
Cymarum Althææ,
Malvæ,
Helxines,
Pimpinellæ,
Plantaginis,
Adianthi albi, & nigri ana Manipul: unum,
Sem: quatuor frig. major. & minor: ana Drachmas tres,
Inciſa coquantur ex aquæ Libris novem, uſque dum quatuor ſuperſint: deinde cum ſachari albi Libris quatuor, fiat ex arte Syrupus.

VIRES & USUS.

Ardorem Urinæ demulcet, ac citrà manifeſtum calorem, craſſam, obſtruentémque pituitam, nec non viſcidam, purulentámque renum ſaniem, & arenulas blandè expurgat. Datur commodè cum decocto nephritico, aut in affectibus pectoris catarrhalibus cum decocto pectorali, aliàs etiam ad unum Cochlear ſucceſſivè aſſumi poteſt.

Syrupus Aperitivus Magiſtralis Mindereri.

℞. Suc-

℞. Succor: depurator:
Radic: Cichorij
Pimpinellæ ana Libram unam,
Fumariæ,
Lupuli ana Uncias ſex,
Petroſelini,
Fœniculi ana Uncias tres,
Radic: Apij,
Enulæ,
Aſparagi,
Eryngij,
Vincentoxici ana Unciam unam,
Herb: Agrimoniæ,
Evpatorij Avicennæ.
Agerati ana Manipulum unum,
Folior: Cuſcutæ,
Ceterach,
Adianthi utriuſque,
Cardui Benedicti,
Comar: Abſinthij pontici,
Flor: Centaurij min: ana Manipul. ſemis,
Granor: Alkekengi Unc: unam,
Aquæ fontanæ Libr: tres,
Aceti Scillitici Libr. duas,
Sachari albi Libras tres ſemis,
Fiat S. A. Syrupus juſtæ conſiſtentiæ.

ANIMADVERSIO & USUS.

1ò. *Syrupus hic in P. A. R. inter minùs uſualia collocatur, quem Zvvelfferus modo ſequenti correctum recommendat; ſi inciſis & craſſiuſculè contuſis, ac curcubitæ vitreæ immiſſis ſpeciebus ſucci ſuperiùs enumerati cum Aceto ſcillitico ſuperaffundantur, & in vaſe vitreo per arenam fortiter deſtillentur, uſque dum ſuperſint circiter Libræ duæ Liquoris in fundo Cucurbitæ cum ſpeciebus; ſeparatim tamen prioris Aquæ Librâ unâ aſſervatâ: Reſiduum fortiter expreſſum albumine ovi clarificetur, cujus ſi plùs quàm Libra una fuerit, eoúſque evaporet, additóque ſacharô, & priùs egreſſæ Aquæ ſpirituoſæ ſeorſim ſuperiùs aſſervatæ Libra unâ, fiat una vel altera ebullitione Syrupus.*

2dò. *Omnibus Jecoris, Meſenterij, Hepatis, ac venarum meſeraicarum obſtructionibus; nec non diuturnis febribus, & ex ijs natis cachexijs ac hydropi prodeſſe perhibetur.*

Syrupus Aurantiorum.

℞. Cortic: Aurantior. recent: extimor: Uncias ſex,
Vini albi generoſi Libr. unam.

Macerentur per viginti quatuor horas in loco calido, bene obturato vaſe, poſtea Vinum decantetur, filtretur, & cum ſachari clarificati ultrà conſiſtentiam tabellarum cocti ſufficiente quantitate permiſcendo fiat Syrupus.

VIRES & USUS.

Ventriculum frigidum roborat, coctionem adjuvat, flatus diſpellit, ac cordis vires adauget.

Syrupus Berberum.

℞. Succi Berberum depurati Libras duas,

Sachari Libram unam ſemis,
Fiat ex Arte Syrupus.

VIRES & USUS.

Æſtum nimium compeſcit, & ſitim levat, potui aut mixturis admixtus, unde febribus malignis ac bilioſis Alvi profluvijs ſalutaris.

Syrupus Capillorum Veneris.

℞. Capillorum Veneris Uncias ſex,

Macerentur in Libris ſex Aquæ, horis viginti quatuor: deinde coquantur ad medietatis conſumptionem; colaturæ addendo ſachari Libram unam ſemis.

Fiat ùt Artis eſt Syrupus.

VIRES & USUS.

Petrus Formius Medicus Monſpelienſis *ſingulari libro vires hujus Syrupi deprædicat, ad Hypochondriorum & pectoris vitia ab atonia exorta, hinc in Gallia Narbonenſi & vicinis Provincijs adeò familiari uſu habetur, ut in infuſo Thee locò ſachari ſumatur; blandas enim & temperatiſſimas vires tonicas & aperitivas poſſidet.*

Syrupus Cardui Benedicti.

℞. Succi Cardui Benedicti depurati Libras tres,
Sachari clarificati Libr: duas,
Fiat coctione Syrupus.

VIRES & USUS.

Febribus malignis, ac peſtilentialibus confert, humorum putredinem arcet; ſudores prolicit, vermes enecat, & plevritidi auxiliatur.

Syrupus Chalybeatus: D. D. Franchm.

℞. Aquæ Lupuli Libras quatuor,
In qua extingvatur ſexies Chalybis igniti cum Sulphure ppti Libra ſemis,
In hac aqua macerentur Paſſulæ minor. Unciæ quatuor,
Poſtea ebulliant ad tertiæ partis conſumptionem colaturæ *adde:*
Radic: Scorzoneræ,
Fœniculi,
Cichorij ana Uncias duas,
Herb: Agrimoniæ,
Capillor: Veneris ana Manipul: unum ſemis,
Iterum ebulliant, quibus ab igne remotis *adde:*
Folior: Senæ ſelectæ Unc: duas,
Semin: Carthami Unc: unam.
His refrigeratis *adde:*
Sachari albi Libram ſemis,
Syrupi de Cichorio cum Rhabarbaro Uncias quatuor,
Fiat ùt Artis Syrupus clarus juſtæ Conſiſtentiæ.

VIRES & USUS.

Eſt reſolvens, aperiens, & antiſcorbuticus, unde in affectu hypochondriaco, & Cachectico, ac fluore albo Mulierum multùm expertus.

Syrupus Ceraſorum acidorum.

℞. Succi Ceraſor: acidor: per reſidentiam defœcati Libr: ſex,

Sa-

Sachari clarificati Libras tres,
Fiat Syrupus.

VIRES & USUS.

Eſt gratiſſimum æſtûs ac ſitis remediùm, in febribus malignis & alijs à bile exortis incendijs, Decoctis aut Julapijs admixtus.

Syrupus de Cichorio cum Rhabarbaro Nicolai.

℞. Endiviæ domeſticæ,
ſylveſtris ana Manip: duos ſemis,
Sonchi lævis,
Hepaticæ,
Lactucæ domeſticæ,
Fumi terræ,
Lupulorum ana Manipulum unum,
Hordei integri Uncias duas,
Capillor: Veneris Uncias duas & Drachmas duas,
Veſicariæ, ſeu Halicacabi,
Ceterach,
Cuſcutæ ana Drachmas ſex,
Adianthi vulgaris ſeu Rutæ murariæ,
Radic: Fœniculi,
Apij,
Aſparagi ana Uncias duas,
Glycyrrhizæ Drachm: ſex,
Decoquantur in Aquæ ſ. q. ad medietatis conſumptionem: poſtea colentur, exprimantur, & cum albumine ovor: clarificentur: in cujus Decocti Libris tribus infundantur horis viginti quatuor.
Rhabarbari opt: Unciæ ſeptem ſemis,
Spicæ Drachmæ duæ, Scrupuli duo,
& poſt lenem ebullitionem atque expreſſionem clarificentur: reſiduum verò decoctum cum ſachari albi clarificati Libris decem ad juſtam conſiſtentiam coquatur, ut cum dicta infuſione in Syrupum abeat.

VIRES & USUS.

Conducit ad obſtructiones Hepatis, Icterum, Cachexiam, affectionem Hypochondriacam, & præſertim Epilepſiæ Puerorum opitulatur, datur infantibus per cochlearia, adultis verò ad Uncias duas.

Syrupus Cinnamomi.

℞. Cinnamomi opt: craſſiuſculè pulveriſati Unc: quinque,
Ponantur in cucurbitam vitream addantúrque
Aquæ Cinnamomi opt: cum Vin: deſtill: Libræ duæ,
Roſar: odoratiſſimæ Unc: duæ,
Stent in loco calido, bene obturato vaſe, nè quid exſpiret, horis viginti quatuor; deinde filtrentur, atque cum ſachari albiſſimi clarificati, & ultra conſiſtentiam tabellarum cocti ſufficiente quantitate
Fiat Syrupus.

VIRES & USUS.

Plurimùm recreat Spiritus, confortat ſtomachum, coctionem juvat, & oris halitum emendat.

Syrupus Citri Corticum.

℞. Cortic: Citri recentium & extimorum Uncias ſex,

Granor: Chermes Drachmas duas,
Vini albi generosi Libr: unam,
Macerentur locô calidô, vase bene tecto per 24. horas; postea Vinum decantetur, & filtretur, atque cum sachari ultrà consistentiam tabellarum cocti Libra una, fiat leniſſimo calore sinè peculiari ebullitione Syrupus justæ consistentiæ.

Vires sunt Cordiales, & stomachicæ, simúlque febribus malignis, ac cordis palpitationi conducit.

Syrupus Cochleariæ.

℞. Succi Cochleariæ,
Sachari albi puriſſimi ana Libras duas,
Coquantur insimul in cucurbita impositô alembicô, & adaptato recipiente, juncturis probè clausis, igne moderato ad consistentiam Syrupi spissioris, cui dum refrixerit, adde Spiritûs Cochleariæ Unc: tres, vel q. s. ut fiat Syrupus justæ consistentiæ.

VIRES & USUS.

In affectibus scorbuticis tam internè cum Decoctis vel Potionibus, quàm externè gargarismis, & fotibus oris commendatur.

Syrupus Coralliorum.

℞. Coralliorum rubicundiſſimorum grosse pulverisatorum Libram semis,
Succi Berberum perfectæ maturitatis depurati, ut materiam quatuor digitos superemineat, digerantur in calore Balnei vaporosi vel alio moderato per triduum, vel quoúsque Corallia bullulas emittant, dein quod dissolutum est, per inclinationem separetur, & recentem corallijs relictis succum depuratum rursùs affundendo, tantisper id reiteretur, usque dum tota soluta videantur. Pro hujus Succi corallinâ Essentiâ impregnati, Libris duabus, sumatur Sachari canti albi Libra una: lentâ in B. M. evaporatione redigantur in formam Syrupi.

VIRES & USUS.

Omnibus affectibus ab hepatis vitio ortis confert, præterea omnibus fluxionibus hepaticis, dyssentericis, & lientericis conducit.

Syrupus Cydoniorum.

℞. Succi Cydoniorum acidorum depurati Libras tres,
Sachari clarificati Libr: unam semis,
Fiat coquendo L. A. Syrupus.

VIRES ET USUS.

Langvidum Ventriculum recreat, nauseam ac vomitum sistit, lienteriam, ac alvi profluvium, cum fluxu hepatico sedat, & appetitum excitat.

Syrupus Diasereos Andernaci.

℞. Endiviæ,
Cichorij ana Manipulos tres,
Adianthi utriusque,
Agrimoniæ,
Ceterach,
Lupuli,

Lupuli,
Fumariæ ana Manipul: ſemis,
Granor: Halicacabi,
Cuſcutæ ana Drachmas tres,

Radic: Apij,
Fœniculi,
Aſparagi ana Unc: ſemis,
Polipodij querni Unciam unam,
Glycyrrhizæ Drachmas ſex,
Semin: Cnici Unc: unam ſemis,
Quatuor Frigid: major: ana Drach: duas,
Hordei non excorticati Pugillos duos,
Semin: Endiviæ,
Cichorij ana Drachmam unam ſemis,
Uvar: paſſar: Unciam unam,
Prunor: Damaſcenor: Nô. viginti,
Flor: Borraginis,
Bugloſſi,
Violar: ana Pugill: unum,
Myrobalanor: Citrinarum,
Chebular: ana Unc: ſemis,
Rhabarbari electi Uncias duas ſemis,
Agarici trochiſcati Unc: unam,
Fol: Senæ Unciam unam ſemis,
Zinziberis,
Cinnamomi ana Drachmam unam,

Coquantur S. A. in ſ. q. Aquæ ad tertias, colentur & exprimantur; colaturæ addendo Sachari optimi Libram unam,

Clarificetur, atque ad juſtam Syrupi conſiſtentiam coquatur, cui permiſceantur Syrupi Roſati ſolutivi Unciæ tres.

VIRES & USUS.

Vires ſunt ſatis notæ ad Viſcerum obſtructiones, cachexiam, hydropem, icterum, & enecandis vermibus. Doſis ab Uncia ſemis ad Unc: duas pro ratione ætatis. Vide Author: de Medicina veteri & nova Part: II. pag: 238. & 439.

Syrupus Emeticus Angeli Salæ.

℞. Vitri Antimonij ſubtiliſſimè pulveriſati Unc: unam,
Cinnamomi electi,
Zedoariæ,
Sem: Angelicæ ana Drachmas duas,
Sandali rubri Unciam ſemis,
Aceti Roſati Uncias viginti.

Infundantur omnia in B.M. per viginti quatuor horas, poſtea filtrentur per chartam bibulam: & cum ſachari clarificati, ultrà conſiſtentiam tabularum cocti ſufficienti quantitate ex: gr. Uncijs viginti aliquali evaporatione Fiat Syrupus.

Vires ex titulo patent ad vitioſos quoſcunque humores ex primis vijs eliminandos, hinc in febribus intermittentibus & morbis chronicis conducit. Dilutus datur vel aquâ ſimplici vel aliquâ ſtomachicâ, & carminativâ à Drachma una ad Unciam ſemis, per ſe verò ad Drachmam ſemis & ultra. Addi etiam ſolet clyſteribus ad Unciam unam & ultra in apoplexia, & catarrho ſuffocativo.

Syrupus Enulæ.

℞. Radic: Enuli recent: Libram ſemis,
Inci:

Inciſ: coqv. cum Aquæ fontanæ Libr: quatuor ad medietatis conſumptionem, dein clarificetur & cum Sachari albi Libra una ſemis Fiat S. A. Syrupus.

In aſthmate, raucedine, tuſſi, cruditatibus ventriculi, & obſtructionibus ureterum exhibetur.

Syrupus de Eryſimo Lobelij.

℞. Herbæ Eryſimi recentis cum toto Manipul: ſex,
Radic- Enulæ,
Tuſſilaginis,
Liquiritiæ,
Paſſular: mundatar: ana Uncias duas,
Herb: Borraginis,
Cichorij,
Capill. Vener. ana Manipul: unum ſemis,
Flor: Quatuor cordialium,
Stœchados,
Anthos ana Manipulum ſemis,
Sem: Aniſi Drachmas ſex,

Inciſa & contuſa coquantur in Aquæ Hordei & Hydromelitis ana Libris quatuor, Succi Irionis Uncijs ſex, ad remanentiam Librarum quatuor, facta expreſſione & colaturâ diſſolvantur in ea Sachari albi Libræ duæ. Fiat L. A. Syrupus.

Vires ejus ſunt pectorales, & magnoperè imprimis in raucedine commendatur.

Syrupus Farfaræ.

℞. Succi Farfaræ depurati Libras tres,
Sachari clarificati Libr: unam ſemis,

Decoquantur in Syrupum.

VIRES & USUS.

Refrigerat, lenit, & humectat, unde adquævis vitia pectoris emendanda ſalutaris eſt. Pari modô paratur:

Syrupus Fragorum.

Qui æſtuoſis febribus ac internis incendijs convenit: calculos itidem atterit, urinas movet, & renum arenulas expurgat.

Syrupus Fumariæ compoſitus Meſue.

℞. Myrobalanor: Citrinarum,
Chebular: ana Drach: viginti,
Flor: Borraginis,
Bugloſſi,
Violarum,
Abſinthij,
Cuſcutæ ana Unciam unam,
Glycyrrhizæ,
Roſarum ana Drach: quatuor,
Epithymi,
Polypodij ana Drach: ſeptem,
Prunorum Nô. centum,
Paſſular: major: ab arillis liberatar: Libram ſemis,
Tamarindorum,
Pulpæ caſſiæ ana uncias duas,
Aquæ fontanæ Libras decem,

Omnia lento igne S. A. additis in fine Tamarindis & caſſiâ, coquantur, & colentur: deinde verò addantur

Succi Fumariæ depurati Sacha-

Sachari albi ana Libras tres,
Clarificentur cum albumine ovi, & coquantur in formam Syrupi.

VIRES & USUS.

Pituitam ſalſam, & bilioſos humores educit, hinc ſcabioſis, aut aliâ impuritate cutanea laborantibus, ùt & lue venereâ affectis exhibetur, omnes enim obſtructiones reſerat, & viſcera firmat.

Syrupus Fumariæ ſimplex.

℞. Succi Fumariæ depurati Libras quatuor.
Sachari clarificati Libr. duas, ſemis,
Fiat ùt Artis eſt Syrupus.

VIRES & USUS.

Iiſdem affectibus utì compoſitus, dicatus eſt.

Syrupus Granatorum Acidorum.

℞. Succi Granator. acidor. depurati Libras quinque,
Sachari albiſſimi Libras duas ſemis,
Coquantur ſecundùm Artem in Syrupum.

VIRES & USUS.

Refrigerat, & humectat, ac vomitum biliosum reprimit, febribúſque bilioſis auxiliatur.

Syrupus Granatorum Dulcium.

Paratur eodem modo, quo Syrupus Granatorum acidorum.

VIRES & USUS.

Tuſſim ſedat, exſcreationes promovet, humectando ſitim mitigat, ac pectus lenit.

Syrupus Granorum Chermes.

℞. Coccinellæ Unciam unam,
Infundatur per noctem in
Aquæ Borraginis,
Totius Citri ana Libra una,
Colatura clarificata coquatur vaſe clauſo cum Sachari albi Libris duabus,
In fine coctionis addendo
Succi ſimplicis Granorũ Chermes monſpellienſis Unc: quatuor,

VIRES ET USUS.

Cordiale eſt ſpecificum in omnibus animi deliquijs, & febribus malignis.

Syrupus Hederæ terreſtris.

℞. Succi Hederæ terreſtris depurati Libras tres,
Sachari albiſſimi Libr: unam ſemis,
Coquatur, ùt eſt Artis, in Syrupum.

VIRES & USUS.

Ad internos abſceſſus, cruenta & ſanioſa ſputa ſalubris, phtyſi medetur, vaſa rupta glutinat, apoſtemata purulenta mundificat, & ſanat: urinas, menſes, ac ſudores promovet.

Syrupus de Hyſſopo.

℞. Hyſſopi,
Radic. Apij,
Fœniculi,
Petroſelini,
Glycyrrhizæ ana Drachmas decem,
Hordei mundi Unciam ſemis,
Tragacanthi,
Sem: Malvæ,
Cydonior: ana Drachmas tres,
Capillor: Veneris Drachmas ſex,
Jujubarum,
Uvar: paſſar: major: ab arillis mundatarum Unciam unam ſemis,
Dactylorum pingvium,
Caricarum ana Nô decem,
Aquæ Libras octo.

Coquantur ad Librarum quinque conſumptionem: Expreſſum cum Sachari albi Libris duabus in Syrupum ex arte percoquatur.

VIRES & USUS.

In morbis thoracis invaleſcentibus, ex frigida, craſſa, & lenta materia natis, ubi attenuatione, deterſione, ac expurgatione majore opus eſt, adhibetur: aſthmaticos, & tuſſiculoſos juvat, obſtructiones aperit, hypochondriorum dolori ac renum calculis utilis.

Syrupus de Jujubis.

℞. Jujubarum Nô. ſexaginta,
Violarum,
Sem: Malvæ ana Drach: quinque,
Capillor: Veneris,
Hordei mundi,
Glycyrrhizæ ana Unciam unam,

Sem: Papaveris albi,
Melonum,
Lactucæ,
Cydoniorum,
Tragacanthi ana Drachmas tres,
Aquæ fontanæ Libras novem,
Coquantur ad tertias, & colaturæ addendo
Sachari Libras duas,
Fiat ſ. A. Syrupus.

VIRES & USUS.

A Meſuè ad raucedinem, tuſſim, plevritidem, & omnes alios pectoris affectus, ac urinæ vitia commendatur.

Syrupus de Liquiritia.

℞. Glycyrrhizæ Uncias duas,
Capillor: Veneris Unc: unam,
Hyſſopi Unciam ſemis,
Aquæ Libras quatuor,
Species prædictæ in Aqua priùs fervefacta horis 24. macerentur, deinde decoquantur ad dimidias: colaturæ addendo:
Mellis deſpumati Uncias octo,
Sachari albi Uncias ſedecim,
Aquæ Roſarum Uncias ſex,
Fiat Syrupus ſecundùm Artem.

VIRES & USUS.

Eſt pectoralis: additur Eclegmatibus,

bus, Electuarijs & potionibus ac decoctis, qui tussi laborantibus destinantur.

Syrupus Mannatus.

℞. Species decoct: Flor: & Fruct: Uncias duas,
Flor: quatuor Cordialium ana Pugillos duos,
Fol: Senæ elector: Unc: quatuor,
Passularum minorum;
Polypodij ana uncias duas,
Sem: Anisi,
Fœniculi ana Drachmas duas,
Galangæ,
Macis,
Zinziberis ana Drachmam unam,
Coquantur in Aquæ fontanæ s. q.
In colatura solvantur
Mannæ Calabrinæ Unciæ sex,
Sachari albi Unciæ octodecim,
Fiat S. A. Syrupus.

Usus ejus frequens est ad alvum in pueruli laxandam.

Syrupus Menthæ.

Paratur ex Succo Menthæ crispæ, ut Syrupus Hederæ terrestris.

Cujus usus est stomachicus & carminativus, Pari passu fit

Syrupus Mercurialis.

Hujus Usus ad Enemata destinatur.

Syrupus Mororum.

Fit ad normam Syrupi Berberum. *Ità etiam paratur.*

Syrupus Myrtillorum.

Commendatur in Alvi fluxibus sistendis.

Syrupus Nymphææ Florum.

Fit ex Florum Nymphææ albæ infusione, prout Syrupus Rosarum.

Insigniter refrigerat, somnum conciliat, viscerum æstus mitigat, Veneris insomnia cohibet, semen immodicè fluens restringit, sitim temperat, ac febrium ardores compescit.

Syrupus Papaveris albi.

℞. Capit: Papaveris albi recentium cum seminibus Libram unam semis,
Coquantur in Aquæ pluviæ purissimæ Libris septem, ad remanentiam Librarum duarum. *Quibus colatis expressis adde.*
Sachari albi Libram unam semis,
Coquantur insimul ad consistentiam Syrupi ùt Artis est.

VIRES & USUS.

Tussi acri cum materia tenui irritante conducit, blande enim acrimoniam demulcet, & somnum conciliat. *Datur per se lingendus, quandóque etiam Emulsionibus addi solet.*

Syrupus Papaveris Erratici.

Fit ex Florum infusione ùt Syrupus

rupus de Rosis siccis, quamvis ex succo quoque parari possit, qui priore multò efficacior est.

Vires habet blandè anodynas & pectorales, quare julapijs, & Decoctis utiliter additur.

Syrupus Persicorum Florum.

℞. Flor: Persicorum recentium Libram unam,

Contundantur & macerentur horis duodecim in Libra una Aquæ calentis, postea exprimantur, & in colatura depurata solvendo Sachari albi clarificati, & ultrà consistentiam tabellarum cocti sufficientem quantitatem. *Fiat Syrupus.*

VIRES & USUS.

Serum & bilem educit, vermes enecat, & mesenterium infarctu liberans seroſos humores per alvum exturbat.

Syrupus Pœoniæ Florum.

Paratur ex Florum infusione more aliorum, quamvis & ex florum succo confici queat.

VIRES & USUS.

Epilepsiæ, convulsionibus, ac spasmo auxiliatur, uterinis quoque affectibus prodesse perhibetur.

Syrupus de Pomis Regis Sapor.

℞. Succi Pomorum dulcium,
Borraginis,
Bugloſſi, ana Libram unam semis,
Folliculor: Senæ Uncias duas,
Croci Drachmam unam,

Sena contrita horis 24. in succis maceretur, ac semel vel bis fervefiat, & coletur: Expressum cum Sachari Libris duabus, Additô circà finem Croco, coquatur s. A. in Syrupum.

VIRES & USUS.

Hic Syrupus Medorum Regi Sapor, à quo captus est Valerianus Imperator, attribuitur, & à Mesue describitur. Ad omnes affectus melancholicos commendatur, Cordis etiam robur augere creditur.

Syrupus de quinque Radicibus.

℞. Radic. Apij.
Fœniculi,
Petroselini,
Asparagi,
Ruſci ana Uncias duas,
Aquæ fontanæ Libras sex,

Coquantur ad tertiæ partis consumptionem: expressum coquatur denuo secundùm artem cum Sachari Libris tribus:

Addendo ad Finem
Aceti albi Uncias octo.

VIRES & USUS.

Humorum lentorem incidit, & præparat, obstructáque viscera potenter aperit.

Syrupus Ribium.

℞. Succi Ribiũ depurati Lib: tres,
Sa-

Sachari Libram unam ſemis,
Fiat ex Arte Syrupus.

VIRES & USUS.

Incendio febrili ſalubris eſt, excalefacta viſcera acoris ſui jucunditate plurimùm recreat, ſitim ſedat, nec non choleræ, cardiacíſque ſuccurrit.

Syrupus Roſarum ſolutivus cum Folijs ſenæ.

℞. Rhabarbari optimi,
Fol: ſenæ ſelect: ana Uncias duas ſemis,
Flor: Violarum Manipulum unum,
Cinnamomi Drachmam unã ſemis,
Zinzibéris Drachmam ſemis,
Aquar: Betonicæ,
Cichorij, ana Libram unam,
Bugloſſi

Fiat omnium infuſio per noctem: manè ebullitione & expreſſione factâ, colatura ſecundùm artem coquatur in Syrupum cum Sachari albi Uncijs ſedecim; cui addantur

Syrupi Roſarum ſolutivi ſimplicis Unciæ quatuor,

VIRES & USUS.

In Pharmacopœa Auguſtana dicitur Syrupus de Rhabarbaro ſoluti: vus, à potiori tamen à noſtris denominatur.

Citrà moleſtiam in pueris, & delicatulis alvum ſubducit, utrámque bilem deturbans, ac pituitam quoque leniter evacuans. Datur à duabus Drachmis ad Unciam ſemis.

Syrupus Roſarum Solutivus ſimplex.

℞. Flor. Roſar. Damaſcenar: recentium ex: gr: Libras duodecim.

Contundantur, & macerentur horis 24. in totidem aquæ claræ ferventiſſimæ Libris, poſtea exprimantur, additíſque ſachari albi Libris duabus, in Syrupum ſecundùm Artem coquantur.

VIRES & USUS.

Blandiùs quàm prior alvum lenit, unde commodiſſimum vehiculum pro quibusvis purgantibus exiſtit, Potiunculis laxantibus edulcorandis inſervire ſolet.

Syrupus de Roſis ſiccis.

℞. Roſar: rubrar: exſiccatarum Libram unam,

Infundantur in Aquæ calentis puræ ſ. q. horis 24. poſtea in expreſſione diluatur ſachari albiſſimi Libra una, & coquantur ex arte in Syrupum.

VIRES & USUS.

Ad omnem Alvi fluorem ſiſtendum commendatur; partes internas roborat, ulcera detergit, ac glutinat, vomitum compeſcit, nec non uteri rhevmatiſmum cohibet.

Syrupus Rubi Idæi.

℞. Suc-

℞. Succi Baccar: Rubi Idæi depurati Libras tres,
Sachari albi Libram unam ſemis,
Coque ſecundùm Artem in Syrupum.

VIRES & USUS.

Ob gratiſſimum ejus ſaporem Julapijs analepticis & refrigerantibus frequentiſſimè additur.

Syrupus Scabioſæ.

℞. Succi Scabioſæ defœcati Libras tres,
Sachari Libram unam ſemis,
Coque ex arte in Syrupum.

VIRES & USUS.

In affectibus Pectoris, & anhelosa ſenum tuſſi, ac Plevritide prodeſt, malignis febribus reſiſtit, & apoſtemata reſolvit.

Syrupus Scelotyrbicus.

℞. Succi Naſturtij aquatici, ſemis,
Beccabungæ ana Libr.
Fumariæ,
Lupuli ana Uncias tres,
Lento igne deſtillando abſtrahantur ejus Unciæ quatuor ſemis.
Reſiduum cum Sachari Uncijs octo clarificetur, & ultrà tabulati conſiſtentiam coctum cum Aqua deſtillata permiſceatur ad debitam Syrupi conſiſtentiam.

VIRES & USUS.

Scorbuto imprimis medetur, ejuſdemque ſymptomata varia mitigat; Lienis & venarum meſeraicarum obſtructiones aperit, eroſioni oris & gingivarum mirificè prodeſt.

Syrupus de Scordio.

℞. Succi Scordiij depurati Libras duas,
Sachari Libram unam ſemis,
Fiat ex Arte Syrupus,
Ejus Uſus eſt præcipuus in peſtilentibus & malignis febribus: internè namque putredini maximè adverſatur, atque humorum corruptiones emendat, lumbricos enecat, menſes ciet, venenis reluctatur, nec non ſudores prolicit.

Syrupus de Siliquis.

℞. Capit: Papaveris alb: cum Seminibus Nô. viginti,
Siliquarum dulcium Uncias tres,
Glycyrrhizæ raſæ Unci. duas,
Aquæ fontanæ Libras duodecim,
Eximantur è ſiliquis grana, poſtea decoquantur in aqua ad remanentiam Librarum trium, exprimantur, & colentur: Tandem additâ
Sachari Canti rubri Librâ unâ ſemis,
Decoquantur *S. A.* ad Mellis conſiſtentiam.

VIRES & USUS.

Dicitur aliàs Diacodion Joan: Bapt: Montani, *ſeu de* Capitibus Papaveris, *à quo ſummoperè commendatur in Tuſſi acri irritativa, ad materiam incraſſandam, & effe-*
ratum motum blandè compeſcendum.
Da-

Datur per parva cochlearia lingendus, præcipuè tempore vespertino.

Syrupus de Spina Cervina.

℞. Baccarum fruticis illius. quem spinam cervinam, seu infectoriam vocant, circà finem Septembris aut Octobris initio collectarum quantitatem sufficientem: Priùs calefactæ contundantur in pila lapidea, deinde exprimendo colentur: Succus expressus coquatur lento igne, donec quarta pars absumatur. In cujus colati Libris duabus Sachari Unciæ sedecim.

Solvantur, clarificentur, & coquantur, donec Syrupi benè cocti consistentiam acquirant, adjiciendo in fine

Anisi,
Mastiches ana Drachmas tres,
Zinziberis,
Cinnamomi.
Caryophyllorum ana Drachmã unam semis,

Fiat Syrupus.

ANIMADVERSIO & USUS.

1ò. *Dicitur etiam* Syrupus Domesticus *ex eo, quòd ejus usus familiarissimus sit à multis commendatus ad hydropem, cachexiam, arthritidem, & luem veneream curandam. Quin & nuper natis infantibus ad meconium expurgandum, & paulò adulterioribus ad coagulum lactis blandè educendum à Drachma una vel duabus & ultrà exhiberi solet. Et si quid cibi post assumptum illum assumatur, ex observatione citra tormina operatur.*

2dò. *Augustani admonent, nè Pharmacopæi pro Spinæ Cervinæ baccis ob similitudinem* Alaterni *baccas assumant; quanquam in nostris terris priores valde notæ sint, posteriores verò vix reperibiles.*

Syrupus de Symphito Fernelij.

℞. Radicum & Cymarum Symphiti majoris Manipulos sex,
Rosarum Rubrarum,
Betonicæ,
Plantaginis,
Pimpinellæ,
Polygoni,
Scabiosæ,
Tussilaginis ana Manipulos duos,

Ex tusis omnibus recentibus exprimatur succus, coquaturque ad Libras tres addendo

Sachari albi Libras duas semis,

Fiat ex Arte Syrupus.

VIRES ET USUS.

Tabidorum & ulceratorum pulmonum saniem et pus blandè, ac leniter sinè sangvinis erupturi metu extergit, pulmonésque pariter confirmat.

Syrupus Tunicæ Florum.

Fit ùt Syrupus Rosatus simplex,

Vires ei tribuuntur cordiales, analepticæ, & alexipharmacæ.

Syrupus Veronicæ.

℞. Suc-

℞. Succi Veronicæ depurati Libras tres,
Sachari albi Libram unam semis.
Coquantur s. A. in Syrupum.

VIRES & USUS.

In affectibus pectoris, nephriticis, & febribus pestilentialibus commendatur.

Syrupus Violarum.

℞. Florum Violarum Martialium Libram unam, eos diligenter è caliculis excerptos & à viridi caule repurgatos, in Libra una semis Aquæ per 24. horas infunde, postea cola & exprime; expressum cum Sachari clarificati ultrà consistentiam tabellarum cocti sufficiente quantitate. Fiat L. A. Syrupus.

VIRES & USUS.

Efficacissimus in pectoris ac faucium morbis calidis, in tenera ætate alvum solvit, unde puerulis à tenui destillatione tussientibus conducit.

T.

TABACA MEDICAMENTOSA FUMOSA.

℞. Folior: Nicotianæ, Manipulos duos,
Betonicæ,
Halicacabi ana Manip: unum,
Thuris Unciam semis.
Incisa serventur usui.

Tabaca Nasalis ex Floribus.

℞. Flor: Rosar: rubrar: Manipul: unum,
Pœoniæ Manipulum semis,
Violarum,
Lilior: Convallium,
Tunicæ,
Cyani,
Chamomillæ romanæ,
Salviæ,
Lavendulæ ana Pugillum unum,
Radic: Ellebori nigri Drachm: semis,
Ireos florent. Scrupulos quatuor semis,
Cassiæ ligneæ,
Caryophyllorum aromaticor:
Ligni Aloës,
Santali citrini ana Scrupulos duos,
Nucis moschatæ,
Macis ana grana duodecim,
Agarici trochiscati grana octo,
Concisa subtiliter fiat Pulvis nasalis.

Tabaca Nasalis lota D. D. Franchm.

℞. Tabacæ optimæ Brasilianæ q.p. Con-

Conciſæ minutim affundatur Aqua calida, lavetur, & rurſum exſiccetur, quæ lotio ter repetatur, ultimò verò cum Aqua Roſarum lavetur & exſiccetur.

℞. Hujus Tabacæ minutim inciſæ Libr: ſemis,
Aquæ Flor: Naphæ Drac: duas,
Olei Jaſmini Drachm. unam,
Balſami indici Drachm: ſemis,
Miſce pro uſu.

Tabaca Naſalis præſervativa.

℞. Herbæ Majoranæ Drachmas duas,
Betonicæ Unci. ſemis,
Flor: Lavendulæ,
Cubebarum,
Caryophyllorum,
Ireos florent: ana Drachmam unam,
Balſami apoplectici Scrupulum ſemis,
Inciſ: minutim miſce & pro Uſu ſerva.

Tabellæ de Althæa Viennenſium.

℞. Radic: Althææ albiſſimæ pulveriſatæ Unc. unam ſemis,
Sachari canarini Libr. unam,
Fiant L. A. cum ſ. q. Mucilaginis Tragacanthi Tabellæ.

Uſus earum præcipuus eſt in affectibus Veſicæ, Renum & Pectoris, Peripneumonia, Plevritide & conſimilibus morbis.

Tartarus Chalybeatus.

℞. Cremoris Tartari Uncias quatuor,
Vitrioli Martis Drach. duas,
Coquantur in Aqua ad diſſolutionem, dein filtrentur, & inſpiſſentur per evaporationem in cryſtallos.

VIRES & USUS.

In morbis Chronicis, ſcilicet obſtructionibus Hypochondriorum, quartana, Ictero, Cachexia, & alijs morbis ab atonia exortis commendatur. Datur ab aliquot granis ad Scrupulum unum & ultrà.

Tartarus Emeticus.

℞. Croci Metallorum,
Cryſtallorum Tartari ana Unciam unam,
Cum Aquæ fontanæ Libra una per biduum digerantur, ac poſtea factâ in arena ebullitione, filtrentur, liquor filtratus ad evaporandum reponatur, & Tartarus concreſcens exſiccetur.

VIRES ET USUS.

Ex nomine patent, dummodo debitè & prudenter adhibeatur. De cautelis in præparatione legi meretur D. D. Neumannus *in illis prælectionibus, ubi de Antimonio tractat* pag. 346. & 348. *de cautelis verò in exhibitione pulcherrimè diſſerit* Frid: Hoffmannus, *de Medicina emetica poſt iracundiam.* Doſis ad grana tria aut quatuor in robuſtioribus eſſe ſolet.

Tartarus Nitratus Mynſichti.

℞. Salis Tartari,
Nitri

Nitri præparati ana q. p.

Solvantur in Aqua Roſarum calida; poſtea filtrentur, & ſuper ignem incoquendo mediocriter, donec quaſi Cruſtam acquirat, reliquum in frigido concreſcat: ſic habebis cryſtallos, quos ad uſum repone.

VIRES & USUS.

Tanquam præſtantiſſimum medicamentum in obſtructionibus reſerandis, putredine humorum & gutturis inflammatione arcenda, in febribus putridis, Ungaricis, malignis, calculo & urina promovendis, ab Authore recommendatur. Doſis à Scrupulo uno ad Drachmam ſemis in vehiculis appropriatis.

Tartarus ſolubilis.

℞. Tartari crudi pulveriſati Libram unam,

Salis Tartari Libram ſemis,

Miſce, & in Aquæ fontanæ ſ. q. ſolve, ſolutionem calefac in ſartagine, cavendo, nè liquor qui in ſpumam abit, extra ſartaginem emergat. Tandem filtratus liquor evaporetur.

ANIMADVERSIO ET USUS.

1ò. *Obſervandum eſt, ut ſtatim ſub ipſa ſolutione, dum adhuc quodammodo ebullit, abſorbeatur per filtrum, cùm Tartarus depuratus facillimè connubium Salis Tartari deſerat, & fundum petat.*

2dò. *Egregium digeſtivum & aperitivum medicamentum in hypochondriacis ſuppeditat, quibus Cremor, & Cryſtalli Tartari aciditate ſua ſæpe tormina movent. Abſtergit Pituitam, Ventriculum & inteſtina obſidentem, & blanda irritatione alvum laxat. Unde in cura Acidularum, ſi alvus contumacior ſit, commodè exhibetur, cùm operationem illarum per ſeceſſum adjuvet.* Datur à Drachma ſemis ad Drachmam unam *in brodio aut alio vehiculo.*

Tartarus Vitriolatus.

℞. Olei Tartari per deliquium ſoluti & purificati Uncias quatuor,

Huic Spiritûs Vitrioli tantum inſtilletur, uſque dum non ampliùs ſimul efferveſcant, poſtea humiditate lento calore evocatâ, exſiccentur in cryſtallos.

ANIMADVERSIO & USUS.

1ò. *Mota eſt quæſtio, dum de Terra foliata Tartari in Animadverſionibus* pag: 82. *egiſſemus, an non præſtet Cinneres clavellatos, aut ſalia Herbarum in præparationibus ſimilibus, locò Salis Tartari aſſumere? proùt* Mynſichtus *Spiritum Vitrioli coagulatum cum Sale Acetoſæ parare docet, quem tanquam Divinum medicamentum depredicat, utì etiam* Tachenius *tradit minori ſumptu ejuſdem efficaciæ Sal obtineri poſſe, ſi ſolutiones Cinerum clavellatorum & Vitrioli communis miſceantur, filtrentur, & in Cryſtallos rediganter, cùm Cineres clavellati, repetitaſæpiùs depuratione, filtratione & cryſtal-*

cryſtalliſatione largiantur ſal neutrum, Tartaro Vitriolato planè analogum, aſt de his Chemici legi poſſunt, nos namque Methodô Auguſtana multiplici experientiâ & effectu comprobatâ contentamur.

2dò. *Tartarus hic Vitriolatus tanquam generale digeſtivum in omnibus obſtructionibus reſolvendis, in calculo, nephritide, ictero, menſium retentionibus, febribus, hydrope, ſplenis duritie multo cum fructu exhibetur.* Doſis eſt ad Drachmã ſemis.

Terebinthina potabilis D. D. L.

℞. Terebinthinæ venetæ vitellô ovi ſolutæ Unciam unam,
Infundatur per noctem in Aquæ Malvæ ſ. q. dein filtratæ adde
Sachari albiſſimi,
Succi Citri ana Unciam unam.
Decoquantur leniſſimo igne ad Syrupi conſiſtentiam.

VIRES & USUS.

In affectibus calculoſis, nephriticis, & alijs urinæ difficultatibus ad cochlear unum exhibetur.

Theriaca Andromachi.

Cùm prolixior & concinna in Claſſes diſtributio in Pharmacopæa Auguſtana jam poſita ſit, quæ nos tum in labore, tum in paginis ſublevat, ſupervacaneum foret, ſi ejuſdem Theriacæ Deſcriptionem, & per tot ſæcula probatiſſimum uſum repeteremus.

Theriaca Auguſtanorum.

℞. Radic: Enulæ Libr: ſemis, Uncias quinq; Drachmas ſeptem,
Ariſtolochiæ rotundæ veræ Libram ſemis, Unciam unam ſemis,
longæ Unciam unam ſemis,
Drach: duas,

Gentianæ,
Dictamni albi,
Tormentillæ,
Spicæ romanæ,
Calami aromatici ana Unc: unã ſemis,

Mei,
Phu,
Pimpinellæ ana Drachm. ſex,
Zedoariæ Uncias duas, Drachmas ſex,
Zinziberis Drachmas tres,
Fol. Scordij,
Chamædryos,
Chamæpityos ana Uncias tres, Drachmas ſex,

Scabioſæ,
Sabinæ ana unciam unam, Drachmas ſex,

Betonicæ,
Salviæ hortenſis,
Menthæ rubræ ana Drach: ſex,
Abſynthij,
Calaminthæ montanæ ana Drachmas tres,
Comarum Hyperici Unciam unã, Drachmas ſex,
Cortic: Citri Siccor: Uncias tres, Drachmam unam,
Semin: Rutæ Unciam unam, Drachmas ſex,

Ammeos,
Carvi ana Drachmas ſex,
Baccar: Lauri Unc: unam ſemis,
Granorum Juniperi Uncias tres,
Drachmas ſex,
Nucum Iuglandiũ Nô ſexaginta,
Sandali rubri,
Succini Citrini,
Macis ana Drachmas ſex,
Piperis nigri.
Caſtorei, ana Drachmas tres,
Vitrioli præparati Unc. unã ſemis,
Boli Armen: or: ppti Libra ſemis,
Opij Thebaici,
Sulphuris vivi ppti ana Unc: tres,
Drachmam unam,
Cornu Cervi ppti Unciam unam
ſemis, Drach: ſemis,
Olei Juniperi ex Baccis Unc: tres,
Oximellitis Scillini Libram unam,
Succi Corticum Fraxini Unc: tres,
Vini cretici Libram unam,
Mellis optimi deſpumati triplum.

Simplicibus ſingulis ſuo tempore collectis, & debitè præparatis, Fiat Theriaca in bona forma.

VIRES & USUS.

Theriacâ hac vulgus ad ſubitas morborum invaſiones, ubi contagij alicujus ſuſpicio ſubeſt, commodè quondam utebatur: ſudores enim potenter prolicit, humorum putredini adverſatur, eorúmque corruptionem emendat, unde malignarum febrium inſultus reprimit, ac contra venenati aut contaminati aëris noxas ſalubriter aſſumi ſolet; præterea colicos, inflatos, ex ventre, veſica ſtomacho aut utero dolentes adjuvat. Doſis ad Drahmam unam & ultra.

Theriaca Cœleſtis.

℞. Extracti Angelicæ,
Imperatoriæ,
Gentianæ,
Ariſtolochiæ rot:,
Tormentillæ,
Calami aromatici,
Zedoariæ,
Cardui Benedicti,
Rutæ,
Scordij ana Unciam unam ſemis,
Croci,
Myrrhæ ana Unciam unam,
Caſtorei Drach: duas,
Opij Uncias ſex,
Bezoär oriental:
Cornu Cervi phil: ppti,
Cinnabaris Antimonij ppti ana
Drachmas ſex,
Succini ppti Unciam ſemis,
Olei Macis,
Nucis Moſchatæ,
Angelicæ ana deſtillat:
Drachmam unam,
Camphoræ Drachmas tres,

Ex omnibus his ritè cõmixtis fiat Theriaca Cœleſtis, reliquis ob incertitudinem tam Doſium, quàm & ingredientũ farraginem longè anteferenda.

ANIMADVERSIO & USUS.

Ità eam parare conſulit Helfr: Juncken cap: XII. de Extractis pag: m. 595. *Viennenſes* Pulverem Viperarum, & Spiritum Theriacalem *congruè ſuperaddunt, ut meliùs in formam extracti redigi queat*

at. Primus hanc Theriacam parare docuit Greiffius Pharmacopæus Tubigenſis, *quem dein alij imitati ſunt, quia in parva Doſi, quod communis in majore, præſtat, unde in frequenti uſu hodie exiſtit, Doſis ejuſdem eſt à grano ſemis ad grana tria aut quatuor. Incompleta nonnunquam ſinè Camphora diſpenſatur.*

Theriaca Diateſſaron.

℞. Radic: Gentianæ,
Baccar: Lauri,
Myrrhæ,
Ariſtolochiæ rotundæ ana Uncias duas,
Pulveriſata cum Mellis deſpumati Libris duabus miſce.
Fiat Theriaca.

VIRES & USUS.

Theriaca hæc licet jumentis communiter deſtinetur, hominibus tamen identidem ſalutaris eſt contra peſtilentis luis infectionem aliorúmque morborum malignorū contagia, quam paſſim Agyrtæ & circumforanei circumferunt, & pro magna Theriaca venalem exhibent.

Theriaca Smaragdina.

℞. Smaragdi præpar: Drachmas tres,
Hyacinthi præp:
Radicum Pœoniæ,
Semin: ejuſdem,
Viſci quercini,
Cinnamomi,
Zedoariæ ana Drachm: duas,
Croci Drachmam ſemis,
Dictamni cretici,
Semin. Citri ana Drachmas tres,
Acetoſæ,
Coralliorum rubrorum præp: ana Drach: unam ſemis,
Raſuræ Unicornu,
Eboris ana Drach: duas,
Syrupi è Succo Limonum,
Mellis deſpumati ana q. ſ.
Fiat Electuarium molle.

VIRES & USUS.

Epilepticis, Vertiginoſis, Uterinis affectibus, Alvi profluvijs, Ventriculo debilitato & vomitionibus Symptomaticis maximè eſt proficua ad aliquot Drachmas exhibita.

Tinctura Aloës.

℞. Aloës Succotrinæ Uncias quatuor,
Cum Spiritûs Vini Tartariſati Libra una extrahatur Tinctura.
Cujus Vires internè ſtomachicæ & anthelminticæ ſunt, externè verò vulnerariæ & mundificantes.

Tinctura Amaricans.

℞. Extracti amari compoſiti Uncias tres,
Cum Spiritûs Vini tartariſati Libra una per digeſtionem triduanam extrahatur Tinctura ùt Artis eſt.
Cujus Vires cum Extracto correſpondent.

Tinctura Anodyna Ludovici.

℞. Extracti Opij Unciam unam,
Aquæ Apoplecticæ,

Spiritûs Vitrioli roridi ana
Uncias quatuor,
Mista stent donec Liquor probè tinctus & Opium ferè solutum extet.

VIRES & USUS.

Præstat hæc Tinctura in plurimis morbis circumspectè adhibita plùs quàm integra remediorum phalanx, v. g. in complurium malignarum principijs, Vomitu, Diarhœa, Nephritide, Rhevmatismo, & Colica. Dosis à guttis sex ad decem, *præcipuè noctu data.*

Tinctura Antimonij Anisata.

℞. Antimonij crudi Libr: unam,
Tartari crudi,
Nitri ana Uncias novem,
Limaturæ Martis Libr. semis,
Pulverisata & mixta successivè indita in crucibulum calcinentur per mediam horam, dein effundatur massa in vas martiale, pulverisentur de novo, & statim irroretur Olei Anisi Unciâ unâ, tandem affundantur
Spiritûs Vini rectificatissimi
Libræ duæ,
Et extrahatur L. A. Tinctura.

VIRES & USUS.

In viscositatibus obstructiones & flatus causantibus, discutiendo, resolvendo, & blandissimè subducendo usurpatur ad Drachmam semis & ultrà.

Tinctura Antimonij Tartarisata.

℞. Antimonij optimi Libr: semis,
Salis Tartari Libram unam,
Pulverisata & mixta igne satis valido fluant in crucibulo per integram horam, cavendo nè crucibulum perforetur; Tum effusam in mortarium ferreum calefactum Massam adhuc calentem in pulverem redige, quem antequam ab aëre humiditatem attrahat, vitro commodo inde, cui affundatur Spiritus Vini alkoholisatus ad quatuor aut quinque digitorum eminentiam, stent per aliquot dies in arena, donec optimè tingatur, dein filtretur, & servetur usui Tinctura.

VIRES & USUS.

Usus ejus est imprimis in depurando sangvine, unde hypochondriacis, cachecticis, ictericis, & scabiosis salutaris existit. De hac tinctura legi meretur Dissertatio inauguralis D. D. Mayeri Physici Ulmensis Altorfij An. 1727. *habita. Dari potest à Drachma semis ad integram, & si cum Spiritu* Cornu cervi *maritetur,* antispasmodica & tonica *evadit.*

Tinctura Balsamica D. D. Fuchs.

Proùt Spiritus ejus Balsamicus destillando, ità Tinctura per digestionem extracta parari solet.

Tinctura Benzoë.

℞. Gummi Benzoë selecti q. p.

Solvatur in s. q. Spiritûs Vini rectificatissimi, & extrahatur Tinctura

ctura rubicunda, quæ per chartam emporeticam à fœcibus coletur.

VIRES ET USUS.

Rarius in pectoris affectibus adhibetur, frequentior verò ejus usus est cosmeticus, dū Uncijs quatuor Aquæ Drachma una hujus Tincturæ infunditur, Liquor totus lacteſcit, & fit inde ſat innocens coſmeticum pro nitore cutis conciliando. Etiam in ſericis, ubi color obſoletus factus eſt, eundem reſtituit.

Tinctura Bezoärtica Michaëlis.

℞. Radic: Zedoariæ Uncias duas,
Angelicæ,
Pimpinellæ,
Valerianæ veræ,
Vincetoxici,
Calam: aromat: ana Unciam unam,
Coſti electi,
Cortic: Citri exter: recent:
Baccar: Juniperi ana Uncias duas,
Myrrhæ Uncias tres,
Herb: Scordij Manipul: tres,
Meliſſæ,
Milleſolij,
Rutæ ana Manipul: unū,
Camphoræ Unciam unam,
Theriacæ optimæ Libr: unam ſemis,
Spiritûs Vini boni Menſuras duas,

Poſt octiduanam Digeſtionem abſtrahantur in arena Spiritûs Libræ duæ, his adde

Spiritûs Theriacalis Libram unam ſemis,
Spirit. Vitrioli volatilis Uncias ſex,

Miſceantur, & tingantur cum fructu ſolani quadrifolij, quod vulgo Herba Paris dicitur, ac filtrentur.

VIRES & USUS.

Alexipharmaca eſt, ſudorifera, & diuretica, obſtructiones reſerat, febres tam intermittentes, quàm continuas abigit, hyſtericis etiam medetur. Datur ad guttas quadraginta.

Tinctura Coralliorum P. A. R.

Spiritum Mellis funde ſuper fragmenta Coralliorum rubicundiſſima pulveriſata, digerendo toties extrahe tincturam, donec corpus album & quaſi mortuum remanſerit. Omnes extractiones mixtas lento igne coagula, reſiduúmque denuò rectificatiſſimo Vini Spiritu extrahe & filtra.

VIRES & USUS.

Vis adſtringendi & confortandi ei adſcribitur, an non plùs Pulvis coralliorum ppt: ſatisfaciat, nemini ignotum eſt, qui novit, quantùm virtutis ex Iiſdem quocunque menſtruô extrahi queat.

Tinctura Coralliorum vivifica.

De hac vide *pag: 173.* ubi de Eſſentia vivifica egimus.

Tinctura Fuliginis.

℞. Fuliginis ſplendidæ Uncias duas;
Cinerum clavellator: Uncias ſex,
Salis ammoniaci Unc: unam,
Aquæ Pluviæ Libras tres,

Primò infundantur cineres clavellati in Aqua Pluviæ, dein Sal ammoniacum, quo ſolutô, addatur pulveriſata fuligo; ſtent inſimul vitrô probè clausô (media tamen parte ejus vacua manente) in digeſtione per viginti aliquot dies in loco tepido ſæpiùs de die agitata, dein filtrata tinctura ſervetur uſui.

VIRES & USUS.

Singulare Diaphoreticum, Diureticum, & ſangvinem purificativum remedium dilaudatur. Unde in omnibus defluxionibus revmaticis, catarrhoſis, & podagricis, febribus, vertigine, morbis ſpaſticis, ac paſſionibus hyſtericis tanquam ſingulare medicamentum commendatur. Doſis à guttis 20. ad 60. *Quidam pro libitu Camphoram ſuperaddunt.*

Tinctura Laccæ.

℞. Gummi Laccæ ſubtil: pulveriſati Unciam ſemis,
Aluminis crudi Drach: duas,
Mixtis affundatur Aquæ pluviæ deſtillatæ Uncia una ſemis, bulliant parùm, donec gummi & Alumen debitè ſolvantur, quibus refrigeratis adde

Aquæ Salviæ,
Roſarum, (unam,
Cochleariæ ana Unciam

Mixta, & per bibulam colata ſervetur.

VIRES & USUS.

Externè in laxitate, cruentatione, & ſcorbutica gingivarum exulceratione adhibetur; temperatur quandoque melle Roſarum vel aquilegiæ, & penicillô lineô illinitur.

Tinctura Lapidis Lazuli.

Rariſſimi uſûs eſt, & ferè nullius valoris, parari poteſt cum floribus Salis Ammoniaci & Spiritu Vini alkoholiſato.

Tinctura Lunæ.

℞. Argenti puriſſimi per Saturnum legitimè purgati
Uncias tres,
Spiritûs Nitri optimi q. ſ.

Solvatur Argentum, poſtea ſolutionem abſtrahe in cucurbita vitrea, ad cuticulam, ut refrigerata in cryſtallos, ſeu Vitriolum Lunæ convertatur, quod leni calore in patella vitrea ſiccetur; pulveriſato huic adde Salis Ammoniaci ſublimati duplum; mixta relinquantur aliquamdiu libero aëri expoſita, donec colore cœruleo imbuantur; tunc in cucurbitula ſublima in arena, & ſic anima Lunæ per reiteratas ſublimationes cum novo ſemper Sale Ammoniaco evehatur, poſtea verò per elixiviationem cum Aqua ſimplici à ſale rursùs liberetur: Tunc verò per Spiritum Vini ſummè rectificatum, & ſale volatili Microcoſmi eſſentificatum, repetitis affuſio-

fusionibus Tinctura extrahatur; Tandem Spiritus omnis tinctus paulisper abstrahatur in B. M. ad tres circiter Uncias; cui si cœruleus color disparuerit, nonnihil salis volatilis microcosmi addatur, & tunc servetur Tinctura.

VIRES & USUS.

Præ cæteris magni æstimat hanc Tincturam Zwelfferus. *Est* Diaphoretica, & *aliquantulùm* anodyna, Cerebri *inflammationi, nervorum convulsioni, morbo attonito, insaniæ & delirio ac melancholiæ maximè prodest. Omnia membra enim principaliora confortat, & Spiritus animales mirificè exsuscitat.* Dosis ab aliquot guttis ad guttas sex, in Aqua Melissæ, Betonicæ aut alia cordiali.

Tinctura Martis aperitiva Zwelfferi.

℞. Vitrioli Martis,
Arcani Tartari sicci, seu Terræ foliatæ Tartari ana q. p.

Misce in mortario vitreo, ac stent per aliquot dies, donec efflorescant crocei flosculi, tunc adde Spiritûs Vini rectificati ad eminentiam trium vel quatuor digitorum, & extrahe Tincturam.

VIRES.

In obstructionibus hypochondriorum, mesenterij, mensibus suppressis, morbo virgineo, & cachexia datur ad guttas viginti in vehiculo appropriato.

Tinctura Martis malvatica.

Paratur, dum prioris Tincturæ species coquuntur in Aquæ simplicis s. q. continuò agitandò, donec ad mellis consistentiam exhalet, cui demùm affunditur Vini malvatici aut canariensis sexdupla quantitas, mixta per triduum degeruntur & per emporeticam Tinctura filtrata usui asservatur.

Cujus vires æquivalent priori in Dosi largiori.

Tinctura Martis cum Succo Pomorum Rolfinckij.

℞. Limaturæ Martis repurgatæ Libram semis,
Succi Pomorum redolentium recenter expressi q. s.

Stent in digestione per aliquot dies, agitando sæpius vas, & Liquorem ipsum. Postea coletur Liquor per linteum subtile, residuo novus succus affundatur, digestione peracta, iterum quod tinctum decantetur. Conjuncti imprægnati succi exhalent ad medietatem & ultrà. Ut Tinctura durabilior & penetrantior evadat, tum

℞. Hujus Tincturæ Partes sex,
Spiritûs Uini rectificati Partes duas,

Misceantur, digerantur, & Tinctura filtrata servetur usui.

Vires cum prioribus æmulatur. Dosis ad Drachmam unam, aut duas.

Tinctura Metallorum Brandeburg:

℞. Reguli Antimonii martialis Uncias duas,
Jovis Anglici,
Veneris depuratæ ana Unciã unam,

Liquefiant in crucibulo forti, igne ſatis valido, primo loco Venus optimè depurata, & in bracteolas tenues exiguas diminuta, tum huic liquefactæ & ſatis liquide fluenti Regulum Antimonij Martialem ſuperadde, tandem & Jovem, quæ probè liquata miſceantur, tum infundantur in Conum fuſorium, ac in pulverem ſubtiliſſimum redigantur.

℞. Hujus Pulveris Uncias duas,
Nitri opt: depurati ſicciſſimi Uncias duodecim.

Commiſceantur exactè, & paulatim injiciantur in crucibulum ſatis capax, probè candens, quo facto crucibulum tege, & ignem auge, ut fluant inſtar aquæ, quo diutiùs eò meliùs, donec tota maſſa in ſcorias ſit redacta è cœruleo virideſcentes. Tunc in conum effuſa, quamprimùm indurueriť in mortario ferreo calefacta, in pulverem redigatur, & vitro commodo, dum adhuc calet pulvis, inditæ, Spiritûs Vini rectificatiſſimi Libræ duæ aut tres affundantur, ac digerantur, donec Tinctura ſit extracta pulcherrimè rubens, ſalibus Metallorum imprægnata.

VIRES ET USUS.

Viganum in Medulla Chemiæ pag. 18. *eam primum deſcripſiſſe teſtatur* Cl. Scholtzius. *Et cùm ſit acerrima Tinctura alcalina, ad humores viſcidos reſolvendos & excretiones intendendas miras poſſidet vires, adeoque in omnibus humorum impuritatibus, obſtructionibus, & infarctibus viſcerum, ac glandularum reſerandis, depurando ſangvine, vermibus quoque enecandis utiliſſimè adhibetur. Ob acrimoniam valde magnam ſufficienti vehiculo diluta ad guttas 30. vel 40. datur.*

Tinctura Proprietatis Mynſichti.

℞. Spiritus Aniſi Uncias ſedecim,
Elyxir Proprietatis Unciam unam,
Confectionis Alkermes inc: Unciam ſemis,
Flor: Tunicæ rubr: Drachm: unam,

Stent in digeſtione, donec perfectè tingantur, demùm Tinctura filtrata Sacharo clariſſimo edulcoretur.

VIRES & USUS.

In Ventriculi imbecillitate, Cardialgia & Vertigine commendatur. Doſis à Drachma una ad Unciam ſemis.

Tinctura Rhabarbari Americans.

℞. Rhabarbari optimi pulveriſati Unciam ſemis,
Salis Tartari albi Drachmas duas,
Aquæ Cichorij Libram ſemis,

Infuſa ſtent in loco tepido horis viginti quatuor, poſtea filtretur tinctura.

VI-

VIRES & USUS.

In bile acida corrigenda, & obſtructionibus meſenterij, ac alvi ſolvendis inſignes exerit vires. Doſis ad Dracham unam.

Tinctura Solis.

℞. Croci Solis, vel Auri obryſi & lamellati in Aqua Regiæ ſ. q. diſſoluti, ac Spiritu Salis Ammoniaci præcipitati edulcorati, ac ſinè ullo calore ſiccati, ac cautiſſimè pulveriſati. Cui affunde Spiritum Salis dulcem, aut Spiritum Salis Ammoniaci vinoſum rectificatum ad trium digitorum eminentiam, quæ inſimul leni calore digerantur, donec ſaturatâ Tincturâ Spiritus affuſus imbuatur, quem decanta, & alium Spiritum affunde, digere, & iterum decanta, idque toties, donec non amplius, tingatur. Tincturas omnes conjunctas leniſſimo balneiRoris calore aliquotam Spiritûs partem abſtrahe, uſquedum Tinctura aurei coloris conſiſtentiam nanciſcatur.

ANIMADVERSIO ET USUS.

Tot & tantæ paſſim circumferuntur Tincturæ Solis deſcriptiones, ùt meritò in dubio uſus earum trahi queat, ſiquidem quot Chymici in elaborando menſtruo Aurum ſolvente deſudârunt, tot de genuina ejus extractione, ut vera ejus irreducibilis Tinctura haberi poſſit, dubitant. Multi credunt pro ſolvendo & extrahendo ſole, Spiritum Vini Sale volatili urinoſo acuatum optimum fore menſtruum, multi iterum menſtruum illud Aurum blandè & radicaliter ſolvens, ac intimè ſibi indiſſolubili connubio copulans minimè eſſe corroſivum, aſt dum hoc adhuc in puteo Democriti profundè reconditum latere credunt, aliàs in vulgi opinionem & votum deſcriptiones ſuppeditant, proùt plura legere licet in Ephemeridibus Acad. Nat. Curioſ. Zwelffero, & alijs Libris Chemicis. *Cæterùm ſiquis tam fortunatus ſit, ut veram Tincturam ſolis poſſideat, maximas Vires tam reſtaurantes, & anodynas aſſequetur, in ſpiritibus tam Vitalibus, quàm animalibus, & naturalibus confortandis.*

Tinctura Stomachalis Stockhameri.

℞. Aloës Succotrinæ,
Myrrhæ electæ,
Florum Tunicæ,
Croci Auſt. ana Drach. duas,
Cortic. Aurantior. exter.
Radic. Galangæ ana Drachm. ſex,
Confect. Alkermes incompl. Unciam unam.

Inciſa miſce, quibus affundatur Elyxirij vitæ Mathioli Libra una ſemis, Spiritûs Vitrioli Drachma una. Stent in Vitro bene clauſo ad Tincturæ extractionem, quæ filtrata uſui ſervetur.

VIRES & USUS.

In debilitatibus ſtomachi, ejuſque cruditatibus, ac inde natis flatulentijs

tijs commendatur. Doſis ad Drachmam unam. Dum completa expetitur, medietati ejus aſſervatæ additur Eſſentiæ Ambræ liquidæ Drachma una.

Tinctura Tartari.

℞. Salis Tartari depurati q. v.

Funde illud in valido crucibulo igne intenſo, ac in fluxu tam diu conſerva, donec in colorem è rubro cæruleum tranſierit; effuſum in mortarium ferreum calefactum indito ſuperaffunde Spiritum Vini rectificatiſſimum, ad eminentiam trium digitorum; digerantur per aliquot dies in arena, interdum agitando, donec Spiritus Vini rubicundo colore tingatur; quo decantatô, novum reaffunde, quamdiu opus fuerit. Ultimò liquores tinctos filtra, & ad tertiæ partis remanentiam abſtrahe, quam, ad uſum ſerva. Abſtractus autem Spiritus, pro Spiritu Vini tartariſato inſervire poteſt.

VIRES & USUS.

Tinctura hæc ad tollendas viſcerum obſtructiones valet, Veſicam & Renes à ſuperfluis impuris humoribus, urinam largiter movendo, liberat. Doſis ad Guttas 30. & ultra. Frequentioris uſûs etiam nobis eſt Panacea Tartarea liquida Viennenſium, *aliàs* dicta:

Tinctura Tartari compoſita.

℞. Tartari crudi pulveriſati Libras duodecim,
Ligni Gvajaci Libras quatuor ſemis,
Saſſafras,
Radic: Sarſaparillæ ana Libr. unam ſemis,
Chinæ Libram ſemis,

Conciſa & contuſa indantur retortæ vitreæ, diſtillando per gradus, liquor ſeparetur ab oleo fætido, & in eo liquore infundantur:

Criſtallorum Tartari Libra ſemis,
Raſuræ Ligni ſancti,
Corticis ejuſdem ana Unciæ quatuor,
Ligni Saſſafras,
Fraxini,
Radic. Sarſaparillæ ana Uncia una ſemis,
Chinæ Unciæ duæ ſemis,
Sandali rubri Uncia una,
Spiritûs Vitrioli Drach: tres,

Stent omnia per aliquot dies in digeſtione, tum exprimantur, & filtretur Tinctura.

VIRES & USUS.

In defluxionibus Catarrhoſis, arthritide, gonorrhæa, aliiſque venereis affectibus inſigne eſt dulcificans.

Tinctura Terræ Catechu.

℞. Terræ Catechu, ſeu Japonicæ Libr. ſemis,
Spiritus Vini Tartariſati Libras duas,

Terræ ſubtiliſſimè pulveriſatæ affundatur Spiritus, degerantur inſimul, donec Spiritus optimè tingatur, demùm decantetur, ac reſiduò novus Spiritus affundatur, qui iterum poſt debitam di-

geſtio.

geſtionem decantetur, toties id reiterando, quamdiu Spiritus colore imbuitur; Tandem Tincturas extractas conjungendo, ac filtrando, aut etiam ſi non ſatis ſaturata, partem menſtrui abſtrahendo Tinctura aſſervetur.

VIRES & USUS.

Tribuitur ei vis adſtringens & tonica, unde in omnibus defluxionibus, & dejectionibus alvi morboſis commendatur. Doſis ad Drachmam ſemis.

Tinctura Trochiſcorum.

℞. Specier. Trochiſ. de Myrrha,
Abſinthio,
Evpatorio
Rhabarba.
Capparib9
Dialaccæ,
Diacurcumæ ana Unciam ſemis,
Hiſce pulveriſatis affundantur Spiritûs Vini Tartariſati Libræ duæ,
Extrahatur Tinctura per trium dierum digeſtionem, dein filtratæ addatur
Spiritus ſalis Ammoniaci martialis Libr. ſemis,

VIRES & USUS.

In Cachexia, ſuppreſſione Menſium, obſtructionibus, tympanitide & melancholia à Viennenſibus commendatur. Doſis ad Drachmam unam & ultrà dari poteſt in vehiculo convenienti.

Tragæa Aromatica ſtomachalis P. A. R.

℞. Cinnamomi acutiſſimi Drach. mas ſex,
Nucis Moſchatæ Drachmam unam,
Macis Drachmam ſemis,
Galangæ,
Caryophyllorum ana Drachmam unam ſemis,
Zinziberis albi Scrupul: quatuor,
Seminis Coriandri Drachmã ſemis,
Flor: Roſar: rubrar: Scrupulos duos,
Sachari albi Libras duas,
Miſce, fit Tragæa tenuis.

Cujus Vires & Uſus ex Titulo patent.

TROCHISCI.

Trochiſci de Abſinthio.

℞. Abſynthij Pontici,
Roſarum,
Aniſi ana Drach. duas,
Rhabarbari,
Succi Evpatorij,
Aſari,
Seminis Apij,
Amygdalorum amarorum,
Spicæ indicæ,
Maſtiches,
Folij indi ana Drachmam unã,
Succi Endiviæ quantum ſufficit.

Fiant Trochiſci.

VIRES ET USUS.

A Meſue ad obſtructiones Ventriculi,

culi, & Hepatis commendantur, quorum etiam dolores leniunt, febres inveteratas abigunt, & appetitum excitant. Dosis ad Drachmam unam & ultrà. *Nonnunquam etiam Speciebus pro Vino amaro addi solent.*

Trochisci de Agarico.

℞. Agarici Trochiscati Uncias tres,
Salis Gemmæ Unciam semis,
Zinziberis Drachmas tres,
Oximellitis simplicis q. s.
Formentur Trochisci.

ANIMADVERSIO ET USUS.

1ò. *Innuimus* pag. 16. *aliud esse* Agarium Trochiscatum, *& aliud* Trochiscos de Agarico, *qui potiùs compositum quoddam sunt, & in minima forma efformantur, trochiscatur autem Agaricus* (ùt dictum est) *ut meliùs in pulverem redigi queat, quia verò ob levitatem suam humoribus Ventriculi facilè innatet, stimulatur additis salinis & acribus, compingitúrque Oximellite simplici, nè intestinorum parietibus adhæreat, sed protinùs abstergatur.*

2dò. *Vetustatem nacti Trochisci, minùs sunt efficaces, unde recenter parati expeti solent, dari possunt ad* Drachmam unam & ultrà, *quamvis rariùs per se præscribantur. Adduntur quandoque Vinis medicatis, ubi à remotioribus partibus materiam evocare necesse est.*

Trochisci de Agno Casto.

℞. Sem: Agni casti Drach: quinq;,
Endiviæ,
Portulacæ ana Drachmas duas semis,
Cortic: Tamarisci Drachmas quinque,
Formentur Trochisci cum decocto Scolopendrij.

VIRES & USUS.

Profluvio seminis, & Gonorrhææ, morbis itidem splenis medentur.

Trochisci Alhandali.

℞. Gummi Tragacanthi.
Arabici,
Bdellij ana Drachmas duas,
Macerentur in Aqua Rosacea, donec liquescant, & cum majori parte hujus Mucilaginis Pulpæ colocynthidis à seminibus mundatæ, ac minutim incisæ Unciæ decem imbuantur, siccentur, pulverisentur, & tandem cum reliqua mucilagine formentur Trochisci.

VIRES ET USUS.

Pituitam, & humores crassos alios, ac glutinosos è profundis, & longè dissitis partibus, utpote cerebro, nervis &c. evacuant, hinc in Cephalalgia, Apoplexia, Vertigine, Asthmate, Thoracis angùstia, Ischiade, & alijs articularibus morbis frigidis optimo cum levamine usurpantur. Rariùs per se exhibentur, optimè tamen alijs purgantibus pro stimulo ad Grana tria vel quinque addi solent.

Tro-

Trochiſci Aliptæ moſchatæ.

℞. Ladani puriſſimi Uncias tres,
Styracis calamitæ Uncias duas ſemis,
Ligni Aloës veri Drachmas duas,
Ambræ Drachmam unam,
Camphoræ Drachmam ſemis,
Moſchi Scrupulum ſemis,
Aquæ Roſarum q. ſ.

Ladanum & Styrax, in mortario calido, piſtillo calido valide contuſa miſcentur, & emolliuntur, tunc lignum Aloës in tenuem pollinem tritum inſpergitur, & denique Ambra & Moſchus cum Camphora in ſ. q. Aquæ Roſarum odoratiſſimæ ſoluta adduntur, & omnia in paſtam coguntur, ut in Trochiſcos efformari queant.

VIRES & USUS.

Ad ſuffumigia pretioſa ſpectant, inſerviúntque varijs rebus odore imbuendis, internus uſus eorum rarior eſt, niſi Infantibus aſthmate & conſtrictione pectoris laborantibus & lac removentibus. Commendantur ad duo vel tria grana.

Trochiſci Alkekengi.

℞. Fructuum Halicacabi Drachmas tres,
Sem: Citrulli,
Anguriæ,
Cucurbitæ ana Drachm: tres ſemis,
Boli armenæ,
Gummi Arabici,
Thuris maſculi,
Sangvinis Draconis,
Amygdalor: amarorum,
Succi Glycyrrhizæ,
Tragacanthi,
Amyli, (mas ſex,
Sem: Papaveris albi ana Drach-
Apij,
Hyoſcyami,
Succini albi,
Terræ ſigillatæ,
Opij ana Drachmas duas,
Cum Succo Halicacabi, vel cum Aqua Roſacea, in qua ejuſdem fructus ſicci fuerint macerati, Fiant Trochiſci.

ANIMADVERSIO & USUS.

1ò. *Dicuntur etiam Diaphyſſalidon, & de Veſicaria. Ad Urinæ ardorem, in fiſtula urinaria, veſica, renibus, & ureteribus exulceratis feliciter exhibentur.*

2dò. *Inſunt quædam, quæ facilè rancescunt, & corrumpuntur, quare recenter parati peti debent, Drachma una ferè ſemialterum granum Opij continet, unde pro Doſi Drachma ſemis ſufficit,*

3tiò. *Proſtant etiam ſinè Opio parati, quorum Doſis largior eſſe poteſt.*

Trochiſci Bechici albi P. A. R.

℞. Sachari albiſſimi Libram unã, Uncias octo,
Ireos Unciam unam ſemis,
Amyli Uncias duas ſemis,
Mucilaginis Tragacanthi albiſſimi cum Aqua Roſarum factæ q. ſ.

Formentur Trochiſci parvi.

Trochiſci Bechici flavi.

℞. Sachari albi Libram unam,
Radic: Ireos Florentinæ,
Liquiritiæ ana Unciam unam,
Croci Scrupulos duos,
Cum ſ. q. Mucilaginis Tragacanthi. Fiant Trochiſci.

Trochiſci Bechici nigri.

℞. Succi Liquiritiæ inſpiſſati Uncias octo,
Sachari Libras duas,
Cum Mucilagine Tragacanthi fiant Trochiſci, in mortario calido maſſam miſcendo.

Trochiſci Bechici rubri.

℞. Specier: Trochiſcos albos conſtituentium Uncias duas,
Boli Armenæ orientalis præp. Drachmas duas, & Scrupulos duos,
Cum infuſo Tragacanthi facto in Aqua Roſarum, Fiant Trochiſci,
Singulorum Vires ſunt pectorales, Faucium námque aſperitati proſunt, ac tuſſientibus, & difficulter ſpirantibus opem ferunt.

Trochiſci de Camphora.

℞. Roſar: rubrarum Unciam ſemis,
Sachari albi,
Mannæ ana Drachmas tres,
Sandali Citrini Drachmas duas ſemis,
Glycyrrhizæ,
Spodij ana Drachmas duas,
Sem. quatuor frigid: major:
Gummi Arabici,
Tragacanthi,
Nardi indicæ,
Croci ana Drachm: unam,
Ligni Aloës,
Cardamomi majoris.
Amyli,
Camphoræ ana Scrupulos duos,

VIRES & USUS.

Ad Febres ardentes, bilis & ſanguinis fervorem, ventriculi & hepatis intemperiem calidam, icterum quoque, phtyſim, & hecticam à Meſue commendantur.

Trochiſci de Capparibus.

℞. Cortic: Radic: Capparum,
Sem: Agni caſti ana Drachmas ſex,
Nigellæ,
Naſturtij,
Calaminthæ,
Succi Evpatorij,
Acori,
Amygdalor: amarorum,
Folior: Rutæ,
Ariſtolochiæ rotundæ veræ,
Ammoniaci ana Drach: duas,
Cyperi rotundi,
Scolopendrij veri ana Drachmam unam,
Trita omnia cum Gummi Ammoniaco in aceto diſſoluto formentur in Trochiſcos.

VIRES & USUS.

Ad inflationem, & duritiem ſplenis, & hepatis à Meſue commendā-
tur.

tur. Dare jubet Drachmam unam cum Vino, cui incocta sint, Radix Capparum, Cortex Fraxini, & Tamarisci.

Trochisci de Carabe.

℞. Carabe Drachmas sex,
Cornu Cervi usti,
Gummi Arabici,
Corallij rubri,
Tragacanthi,
Succi Acaciæ,
Hypocistidis,
Balaustiorum,
Mastiches,
Laccæ,
Papaveris nigri ana Drachmas duas,
Thuris,
Croci,
Opij ana Drachmam unam; grana quindecim,
Mucilaginis Psyllij q. s. est,
Formentur Trochisci.

VIRES & USUS.

Tanquam certum remedium Hæmorrhagiarum cujuscunque Generis à Mesue commendantur, Dosis ad Scrupulum unum.

Trochisci Cypheos.

℞. Uvarum passarum majorum, seu Cybebarum,
Terebinthinæ coctæ ana Uncias tres,
Mirrhæ,
Schœnanthi ana Unc. un. sem.
Calami aromatici Drachmas novem,
Cinnamomi Drach: quatuor,
Bdellij electi,
Spicæ indicæ,
Cassiæ ligneæ veræ,
Cyperi,
Baccar: Juniperi ana Drachm: tres,
Asphalathi Drachmas duas semis,
Croci Drachmam unam,
Mellis quantum sufficit,
Vini cretici modicum.

Bdellium, Myhrra, & Terebinthina cocta in vino dissoluta redigantur ad crassitiem mellis, & carni Passularum ex melle diu tritæ misceantur: deinde reliqua in tenuissimum pulverem redacta adjiciantur, ac simul agitando commisceantur, formenturque Trochisci, qui in umbra siccentur.

Describuntur à Galeno 2. de Antidotis in Mythridatio Damocratis, cujus compositionem ingrediuntur. Quanquam per se quoque commodè ijs dentur, qui jecur, aut Pulmones, vel renes, aut aliud aliquod viscus exulceratum habent.

Trochisci Diagrydij præparati.

Vide Præparata.

Trochis. de Evpatorio Mesue.

℞. Mannæ,
Succi Evpatorij ana Unciam unam,
Rosarum Unciam semis,
Spodij ex Ebore Drach: tres semis,
Spicæ indicæ Drachmas tres,
Rhabarbari, Asari, Anisi ana Drachmas duas semis,

Cum aqua Cuſcutæ F. Trochiſci, qui in umbra ſiccati reponãtur.

VIRES & USUS.

Efficaces ſunt ad omnem Lienis & Hepatis obſtructionem, febribus antiquis, morbo regio, & hydropi incipienti ſuccurrunt, ſtomachicos juvant, & flatus diſcutiunt.

Trochiſci Fumales.

℞. Benzöin Uncias novem,
Styracis calamitæ Uncias ſex,
Corticis Thymianæ,
Maſtichis,
Gummi Ladani ana Drachmas decem,

Ex pulveriſatis cum mucilagine Tragacanthi fiant Trochiſci parvi. Pro completis additur Moſchi & Ambræ ana Scrupul: ſemis.

Trochiſci Galliæ Moſchatæ.

℞. Ligni Aloës Drach. quinque,
Ambræ Drachmas tres,
Moſchi Drachmam unam,

Mucilaginis Tragacanthi cum aqua Roſarum extractæ q: ſ. formentur Trochiſci.

VIRES & USUS.

Ad Cerebrum, Cor, Ventriculum & reliqua viſcera confortanda à Meſue commendantur, vomitum reprimunt, pectoris anguſtias & reſpirationis difficultatem juvant, oris halitum emendant, & ad varias compoſitiones expetuntur, ſuffitu, ac vaporatione gratiſſimi, nec non ad delicias odoris ſvavitate, quàm maximè accommodati.

Trochiſci Gordonij.

℞. Semin. quatuor frigid. major. mundatorum,
Papaveris albi,
Malvæ,
Bombacis,
Portulacæ,
Cydoniorum,
Baccarum myrtillorum.
Tragacanthi,
Gummi arabici,
Pinearum mundatarum,
Piſtaciorum,
Liquiritiæ mundæ,
Hordei mundi,
Mucilaginis Pſyllij,
Amygdalorum dulcium ana unciam unam,
Boli Armenæ,
Sanguinis Draconis,
Spodij,
Roſarum,
Myrrhæ ana unciam ſemis,

Sachari cantij uncias duas.

Cum Hydromellite fiant Trochiſci.

VIRES & USUS.

In mictu ſangvinis, Diabete gonorrhœa, ſtranguria, & omnis generis Renum & veſicæ morbis ab Auh. Lib. de Paſſionibus Renum, *par. 6. cap. 10. deſcripti commendantur.*

Trochiſci Hedichroi.

℞. Mari,
Radicum Aſari,
Amaraci,
Aſphalathi ana uncias duas,

Schoe-

Schœnanthi,
Calami odorati,
Phu-pontici,
Xylobalſami,
Opobalſami,
Cinnamomi,
Coſti ana Drachmas tres,
Myrrhæ,
Folij,
Nardi Indicæ,
Croci,
Caſſiæ Ligneæ ana Drachm: ſex,
Amomi Drachmas duodecim,
Maſtiches Drachm: unam,
Vini Falerni q. ſ.
Fiant Trochiſci.

Deſcribuntur à Galeno 1. de Antidoſis cap. 10. ad Theriaces compoſitionem expetiti.

Trochiſci de Lacca Meſue.

℞. Laccæ mundatæ,
Succi Glycyrrhizæ,
Evpatorij.
Abſinthij,
Berberum,
Rhabarbari,
Ariſtolochiæ longæ,
Coſti,
Aſari,
Amigdalorum amaror:
Rubiæ,
Aniſi,
Apij,
Schoenanth: ana Drachmam unam,

Cum Decocto Ariſtolochiæ & Schœnanthi, vel Succo - Evpatorij, aut Abſynthij Fiant Trochiſci.

VIRES & USUS.

Jecinoroſos, lienoſos, & hydropicos juvant, febréſque ex viſcerum obſtructione natas propulſant, ac urinam potenter movent. Dari poſſunt Adultis ad Drachmam unam *in Decocto conveniente.*

Trochiſci de Myhrra.

℞. Myhrræ Drachmas tres,
Lupinorum Drach: quinque,
Foliorum Rutæ,
Mentaſtri,
Pulegij,
Cumini,
Rubiæ,
Aſæ fœtidæ,
Sagapeni,
Opopanacis ana Drach. duas,

Diſſolvantur Gummia in aceto ſcillito, & cum ſucco Arthemiſiæ fingantur Trochiſci.

VIRES & USUS.

Deſcribuntur à Rhaſe 9. ad Almanſorem, *utiles in menſtruæ purgationis retentione, attenuant, incidunt, & infarctos meatus aperiunt, fœtum mortuum, & præcipuè ſecundinam tardantem expellunt. Exhibentur* ad Drachmam ſemis & ultrà *in Decocto Granorum Juniperi.*

Trochiſci Ramich Meſue.

℞. Gallarum recentium ſubtiliſſime tritarum Unciam unam ſemis,
Gummi Arabici Drach. ſex,
Santali citrini Drach: quinq:
Roſarum rubr: Unciam unam
Granorum Myrthi Unc. tres,
Sumach,
Spodij ana Unciam ſemis,

Caryophyllorum,
Ligni Aloës,
Macis,
Nucis Moſchatæ ana Drachmas duas,
Camphoræ Drachm. unam,
Omphacij Drachmas tres,
Succi Acetoſæ q. ſ.
Miſcendo & exactè ſubigendo, Fiant L. A. Trochiſci.

VIRES & USUS.

Ramich ſignificat compoſitionem adſtringentem ex talibus, quæ veteres frigida & ſicca exiſtimaverunt, de Viribus Author ſequentia ponit: Ventriculum, cor, hepar, imbecilla firmant, choleram ſiſtunt, acrimoniam obtundunt, animum reddunt tranquillum, hæmorrhagiam omnem cohibent, ob quam naribus ſangvine fluentibus, flando pulvis impellitur.

Trochiſci de Rhabarbaro.

℞. Rhabarbari optimi Drachmas decem,
Succi Evpatorij,
Amigdalorum amarorum ana Drachm: quatuor,
Roſar. rubrar. Drachm: tres,
Spicæ indicæ,
Aniſi,
Radic: Rubiæ,
Abſinthij,
Aſari,
Sem: Apij ana Drachm: unam,
Mucilaginis Tragacanthi cum aqua Cuſcutæ factæ q. ſ. Fiant Trochiſci.

VIRES & USUS.

Ad Hepatis obſtructionem, dolorem, tumores, hydropem, icterum & cachexiam à Meſue commendantur. Doſis ad Drachmam unam *cum Aqua vel Vino, aut decocto aperitivo.*

Trochiſci de Roſis.

℞. Roſar: rubrar: Unciam ſemis,
Ligni Aloës Drachmas duas,
Maſtiches Drachmam unam ſemis,
Cinnamomi,
Abſynthij pontici,
Nardi indicæ,
Caſſiæ Ligneæ,
Schœnanthi ana Drachm. unam,
Cum decocto quinque Radicum aperientium formentur Trochiſci.

VIRES & USUS.

Ad obſtructionem hepatis, febres antiquas, icterum, cachexiam, & hydropem incipientem è Meſue laudantur. Doſis ad Drachmam unam & ultrà.

Trochiſci Diarrhodon.

Parantur ex ſpeciebus incompletis cum Mucilagine Tragacanthi.

Tochiſci de Spodio P.A.R.

℞. Roſar: rubr: Unc. unam ſemis,
Spodij Drachmas decem,
Semin: Acetoſæ Drachm: ſex,
Portulacæ,
Coriandri,
Sumach ana Drachm: duas ſemis,
Amyli,

Amyli,
Balauſtiorum,
Berberũ ana Drachm. duas,
Gummi Arabici Drachmam unam ſemis,
Omphacij q. ſ.
Fiant Trochiſci.

VIRES & USUS.

In Febribus bilioſis cum alvi fluore præſtantes ſunt, inflammationem Ventriculi, & Hepatis, ac ſitim continuam ſedant.

Trochiſci de Squilla.

Scillam plenam & candidam, cortice primô detractô, & parte duriore, cui radiculæ adhærent, abjectâ, farinâ ſubactâ involves, & eouſque in clibano coques, donec farina cruſtam contraxerit, qua perforatâ, ſtylô ligneô explorabis, num ſcilla tenera ſit. Eam exemptam diligenter teres, & admiſcebis Pulveris ſubtiliſſimè triti Dictamni albi Uncias octo adſingulas Libras, formabíſque trochiſcos ponderis Drachmar: duarum, quos in umbra ſiccabis, ſæpiùs invertendo, donec probè ſiccati fuerint.

Deſcribuntur à Galeno 1. de Antidotis, & in Theriata ad Piſonem, ejus enim compoſitionem ingrediuntur.

Trochiſci ſtellati, ſeu Sternbergici.

℞. Cremoris Tartari Unc: unam,
Fœculæ acetoſellæ Scrupulũ unum,
Sachari albiſſimi Uncias tres,
Cum Succo citri mucilagine Tragacanthi ſubacto ſ. q. Fiant Trochiſci majores.

VIRES ET USUS.

In ariditate Lingvæ, & ſitiexpeti ſolent, ductus enim reſerando, ſalivam proliciunt, dum in ore lingendo circumvolvuntur. Pro majori gratia palato concilianda, paratur priùs Eleoſacharum, dum Sacharum flavedini Pomorum Citri & Aurantiorum atteritur.

Trochiſci Sublingvales.

℞. Pulver: Radic: Angelicæ Unciam ſemis,
Pimpinellæ,
Sem. Angelicæ,
Cort: Citri ſicci,
Zedoariæ, ana Scrupulos duos ſemis,
Sachari albi Unc. ſeptem,
Cum mucilagine Tragacanthi ex aqua Roſarum facta q. ſ. Formentur Trochiſci parvi.

Adhibentur pro præſervatione in peſte, & alijs morbis malignis.

Trochiſci de terra ſigillata.

℞. Sangvinis Draconis,
Gummi arabici,
Trochiſcorum Ramich,
Roſarum rubrarum,
Amyli,
Acaciæ,
Hypociſtidis,
Lapidis Hematitæ,
Balauſtiorum,
Boli armenæ,
Terræ ſigillatæ,

Corallij rubri,
Carabe ana Drachmam unam,
Spodij de Ebore,
Margaritarum præparat:,
Tragacanthi,
Semin. Papaveris nigri ana
Drachmam unam ſemis,
Roſarum Drach: unã,
Portulacæ,
Cornu cervi uſti,
Thuris maſculi,
Conorum cupreſſi,
Croci ana Drachmas duas,
Aquæ plantaginis q. ſ.
Fiant Trochiſci.

VIRES & USUS.

Meſue hos Trochiſcos admodum efficaces deprædicat ad Sputum ſangvinis cum ſucco Plantaginis exhibitos. Ad fluorem verò ſangvinis è naribus, fronti illitos; ad menſes immodicos, utero injectos, vel pubi illitos: ad mictum ſangvineum, in veſicam injectos, & ad alias hæmorrhagias, parti ſangvine fluenti impoſitos; Dyſſenterias, Diarrhœas & alia alvi profluvia compeſcunt, caſu graviore opium addere ſvadet.

Trochiſci ad Vermes.

℞. Mercurij dulcis rit: ppt: Drachmas duas,
Herbæ carlinæ,
Semin: Santonici,
Cornu cervi phil. ppt: ana
Drachmam unam,
Diagrydij Sulphurati Drachmam ſemis,
Cinnamomi acuti Scrupulum ſemis,
Sachari albiſſimi Unciam unã,
Ex pulveriſatis cum mucilagine Tragacathi, ex tempore recenter parari poſſunt Trochiſci.

Trochiſci de Viperis.

℞. Carnis Viperinæ, Anetho, Sale, & Aquâ coctæ, & poſt factam à ſpinis ſeparationem nonnihil exſiccatæ Uncias octo,
Panis triticei puriſſimi, bis cocti, triti & cribrati Uncias duas,
Formentur Trochiſci cum jure, in quo decoctæ fuerint carnes Viperinæ, priùs tamen coctura ad minorem mollem deducto, & inungantur Oleo Caryophillorũ, quod proximè accedit ad naturã Balſami. Siccentur in loco umbroſo & aëri pervio, ſæpe eos invertendo, deinde in vaſe vitreo, bene obturato, reponendo. Annum integrum perſeverant, quanquam longè meliùs fuerint, recentes ſemper pro conficienda Theriaca adhibere.

Cæterum cutaneis morbis, viperarum morſibus, & Febribus peſtilentialibus conveniunt, elephantiacos juvant, & viſum acuunt.

Trochiſci Vitæ Mynſichti.

℞. Man: Chryſti ſimpl: Unc: octo,
Confect: Alkermes compl: Unciam ſemis,
Margarit: trochiſc: noſt:
Ambræ gryſeæ ana Drachmã unam,
Moſchi laudatiſſimi,
Lapid: quinque pretioſ: ppt:
ana Scrupulum unum,

Elæo-

℞. Elæoſachari,
Cinnamomi,
Caryophyllorum ana Scrupulum ſemis,

Miſce, & cum Tragacantho in aqua fragrantiſſima Roſarum diſſoluto Fiant Trochiſci parvi.

Mirũ in modum in confortandis viribus, Vertigine, Epilepſia, & *Apoplexia ab Authore laudantur. Datur unus aut alter pro Doſi. Iis verò qui odora ferè nequeunt, haud exhibendi.*

Turpethum minerale.

℞. Mercurij purificati Uncias quatuor,
Spiritûs Sulphuris rectificati Uncias octo,

Miſce & digere per biduum in arena; deinde per retortam deſtilla cum tribus cohobijs, ultimò igne vehementi, ut retorta candeat. Maſſam albam relictam exime, & aquâ fontanâ calidâ ſæpiùs ablue, donec præcipitatum videas verſum in pulverem flaviſſimum, & inſipidum, qui exſiccetur.

ANIMADVERSIO ET USUS.

1mò. *Aliàs etiam dicitur* Turbith Minerale, *ex ea fors ratione, quòd, ùt Radix Turbith, quam etiam Turpethum vocant, ad purgationes expetatur, & per ly* minerale *diſtinguatur, propriè verò dicitur* Mercurius præcipitatus flavus.

2dò. *Uſus hujus medicamenti ſat circumſpectus ſit, opportet, nè hypecatharſis excitetur. Aliàs circumſpectè ad grana tria, & quinque exhibitum, in lue venerea, gonorrhœa virulenta, & elephantiaſi commendatur, quorum affectuum ſpecificâ quadam virtute venenum extinguit, retorridæque bilis, & malignorum humorum ferociam domat, & compeſcit, purificat ſangvinem in podagra, hydrope; & in omnibus febribus continuis, ùt ſummum arcanum æſtimatur.*

V.

VINUM CYDONIORUM & GRANATORUM.

Parantur ex ſuccis, ad quorum Libras ſingulas adduntur Sachari Unciæ duæ vel tres, quæ poſt unam ebullitionem colantur, & in lagenis ſuperaffuſô oleô amygdalorum dulcium conſervantur.

Vitriolum Martis.

Limaturæ Martis ſufficienti quantitati ſuperfundatur Spiritus Vitrioli cum tripla aquæ fontanæ quantitate dilutus, ut aliquot digitos ſuperemineat; digerantur in loco calido, uſquedum effervescere deſinant; liquor filtratus ultra dimidium, vel quouſque pelliculam in ſumitate contrahat, exhalet; ſic in frigido concreſcent cryſtalli viridiuſculi, qui exſiccentur, remanens verò liquor

ulteriùs, pro Vitriolo exin colligendo, debitè exhalet.

Præter vires aperitivas ad granum unum exhibitus, etiam usus ejus est ad multas præparationes Chymico-Pharmaceuticas.

Vitrioli Caput mortuum, seu Colcothar.

Est residuum à vitriolo destillationi commisso, extremam torturã ignis passum, quod adhuc salini quid in se fovet, unde Chyrurgis scopo styptico inservit.

Vitrum Antimonij.

℞. Antimonij Ungarici opt: triti q. l.

Calcinetur in humili olla non vitreata supra ignem lentum, rudiculâ continuè movendo, nè in grummos concrescat, donec fumum (qui cauendus est) ampliùs non emittat, & in pulverem cineres colore referentem convertatur, tum in crucibulo exactè tecto forti igne liquetur, & ubi colorem debitum pellucidum (quod ex massula ferro intincto adhærente cognoscitur) acquisiverit, mox supra pelvim æneam, vel in modulum pro libitu effigiatum effundatur.

ANIMADVERSIO ET USUS.

1mò. *Contingit quandoque, quòd inter calcinandum grumescat, unde frigefactum denuò pulverisandum, ac majori adhibitô studiô agitando porro calcinandum est.*

2dò. *Ut pellucidum magis obtineatur, serenô cælô institui debet calcinatio, et si ad perspicuitatem deduci nequeat injiciatur illi in crucibulo, dum fluit, aut liquatum est, frustulatim aliquid Sulphuris citrini crudi, quod antimonium illicò depurabit, & perspicuum reddet vitrum; quanquam ejus obscuritas parùm virtuti deroget, dummodò debitè calcinetur.*

3tiò. *Vitrum hoc neutiquam in substantia, sed in infuso in usum vocandum in morbis, quibus fortioris vomitûs concitatio prodest.*

UNGVENTA.

Ungventum Ægyptiacum.

℞. Aeruginis Drachmas quinq;
Mellis Drachmas duodecim,
Aceti fortis Drachm. septem,

Aerugo trita diluatur aceto, dein per setaceum colata, & melli permixta coquatur, donec fiat ungventum spissum, & colore purpureum.

VIRES & USUS.

Valentissimum ad saniem siccandam, sordes detergendas, & carnem absumendam, ulceribus malignis, putridis, & sinuosis convenit, Ossibus verò nè admoveatur, aliàs facilè propter æruginem cariem inducit.

Ungventum Agrippæ.

℞. Radic: Bryoniæ Libras duas,
Cucumeris Asinini Libram unam,
Scillæ Libram semis,

Ireos

Ireos Uncias tres,
Filicis,
Ebuli,
Tribulorum aquaticorum ana Uncias duas,
Ceræ albæ Uncias quindecim,
Olei Olivarum Libr. quatuor,

Radices omnes istæ recentes mundatæ, inciſæ, & contuſæ cum Tribulis macerentur in Oleo per octo dies. Deinde coquantur, exprimantur, & in colato ac expreſſo oleo reſolvatur Cera, fiátque Ungventum ſecundùm Artem.

VIRES & USUS.

Conducit ad Aquæ ſuffuſiones, partium tumores laxos œdematoſos, & nervorum contractiones, Ventri illitum alvum laxat, nephriticis conducit, & ſtranguriam ſedat.

Ungventum Alabaſtrinum.

℞. Florum & Herbarum.
Chamomillæ,
Rutæ ana Manipulos duos,
Roſarum,
Betonicæ ana Manipulum unum,
Radic: Althææ Uncias duas,
Olei Roſati Libram unam ſemis,

Contundantur, & ad aqueæ humiditatis exhalationem coquantur, poſtea colentur, & exprimantur. Ex colatura cum

Alabaſtri puri & pulveriſati Uncijs tribus, & Ceræ albæ ſ. q. Fiat Ungventum.

VIRES & USUS.

Deſcribitur à Benedicto Faventino in Empiric cap. 1. *de dolore capitis, & multis encomijs à* Jo: Langio epiſt: med: Lib: III. pag: 865. & 885. *dilaudatur in doloribus capitis, ſive is per eſſentiam, ſive per conſenſum ſit, ad tempora, frontem, plantas pedum, ac ſpinam dorſi applicatum.*

Ungventum Album Camphoratum.

℞. Olei Roſati,
Ceruſſæ ana Libram unam,
Ceræ albæ Uncias tres,
Album: ovor: Nô. ſex,
Camphoræ cum ſpiritu Roſar: dilutæ Drachmas duas,
Fiat Ungventum ſecundùm Artem,

VIRES & USUS.

Commendatur ad ambuſta, eryſipelata, ſcabiem, prurigines, ſerpiginem, attrita, & intemperiem ulcerum calidam.

Ungventum album ſimplex.

℞. Lithargyrij albi loti Unciam ſemis,
Ceruſæ lotæ Drachm. viginti,
Ceræ albæ Drachmas viginti octo,

Olei Roſati Uncias octo,
Album: Ovor. Nô. quatuor,

Ceræ in Oleo Roſato liquatæ injice ceruſſam & Lithargyrium probè contrita, miſce, ac poſtremò

remò adde albumina ovorum.

Dicitur etiam de ceruſſa Avicennæ. Eaſdem cum priori vires poſſidet.

Ungventum Althææ.

℞. Radic: Althææ Libram unam,
Semin: Lini,
Fœnugreci ana Libr. ſemis,
Butyri Libras quatuor,
Ceræ Libram unam,
Terebinthinæ Uncias duas,
Reſinæ Uncias ſex.

Radices & Semina contuſa macerentur in ſ. q. Aquæ, deinde coquantur, donec emittant craſſam, & viſcoſam mucilaginem, quæ exprimatur; & tum

℞. Expreſſæ Mucilaginis Libras duas:

Coque cum Butyro, & cum aquoſum illud in mucilagine conſumptum fuerit, Ceram cum Reſina liquatam & colatam, híſque ab igne depoſitis Terebinthinam cum Reſina addito, & fiat ut artis eſt Ungventum.

VIRES & USUS.

Celebre eſt ad emmolliendum & humectandum, pectoris dolorem lenit, & viſcerum durities laxat, ac ſtomachi inflationes diſcutit.

Ungventum Anodynum.

℞. Olei Lilior. albor. Unc. ſex,
Anethini,
Chamomillæ ana Uncias duas,
Amygdalor. dulc. Unciã unam,
Pingvedin. Anatis,
Gallinæ ana Uncias duas,
Ceræ albæ quantum ſatis eſt.

In Oleis & Pingvedinibus Ceram liquando Fiat Ungventum.

VIRES & USUS.

Dolores in quacunque corporis parte mitigat, temporibus, umbilico, carpis, talis, aut lumbis illitum.

Ungventum Apoſtolorum.

℞. Terebinthinæ,
Reſinæ,
Ceræ albæ,
Ammoniaci præparati ana Drachmas quatuordecim,
Ariſtolochiæ longæ.
Thuris maſculi,
Bdellij ana Drachmas ſex,
Myhrræ,
Galbani præparati ana Unciã ſemis,
Opopanacis præparati,
Æruginis ana Drachm. duas,
Lithagyrij Drachm. novem,
Olei communis Libr. tres.

Oleum cum Lithargyrio ſufficienter coquatur lento igne, poſtea immiſceatur Cera cum Reſina liquefacta & colata, atque his ab igne remotis & nonnihil refrigeratis, Ammoniacum, Galbanum, & opopanax cum Terebinthina ſoluta, ac tandem reliqua in pulverem contrita miſceantur.

VIRES & USUS.

Sic dictum, quod ex duodecim (exceptô Oleô) conſtet ſimplicibus, con-

conducit ad vulnera, & ulcera difficilia, ac fiſtulas, emendat ulcera ſordida, exſiccat, ac detergit, exeſáque putrilagine carnem reſtaurat, durámque emmollit.

Ungventum Arregon. Nicolai.

℞. Radic. Ari,
Cucumeris aſinini ana Uncias quatuor ſemis,
Bryoniæ Uncias tres,
Pyrethri Unc. unam,
Roris marini,
Majoranæ,
Serpilli, (mis,
Rutæ ana Uncias quatuor ſe
Folior: Cocognidij Uncias novem,
Cucumeris aſinini uncias ſex,
Lauri,
Salviæ,
Sabinæ ana Uncias tres,
Perſicariæ Uncias octo,
Calaminthæ Uncias ſex,
Maſtiches,
Olibani ana Drach. ſeptem,
Evphorbij,
Zinziberis,
Piperis ana Unciam unam,
Olei Moſchelini Unc. ſemis,
Cõmunis Libr. quinque,
Laurini,
Apidis Urſini ana Uncias tres,
Petrolei clari Unc. unam,
Butyri Uncias quatuor aut q.ſ. eſt,
Ceræ Libram unam, Uncias tres,
Herbæ & Radices recentes contuſæ cum Oleo cõmuni aliquamdiu macerentur, dein ſufficienter coquantur, & colentur. Colatô Oleô admiſce Ceram, Adipem, Butyrum, Olea, & aliqualiter refrigeratis cætera in pulverem redacta.

VIRES & USUS.

Aregon idem ſignificat, ac juvans, unde morbis frigidis, convulſionibus, paralyſi, & ſpaſmo auxilium ferre perhibetur, ſed admodùm rarò hodie ad uſum vocatur.

Ungventum de Arthanita.

℞. Radic: Cyclaminis Libr. tres,
Cucumeris agreſtis,
Butyri ana Libram unam,
Olei Irini Libras duas,
Pulpæ Colocynthidis Uncias quatuor,
Polypodij Uncias ſex,

Contundenda terantur, & macerentur in ſuccis ac oleis diebus octo in vaſe vitreo; poſtea additis

Fellis Tauri Drachm. ſeptem ſemis,

Coquantur ad aquoſarum partium conſumptionem; colentur, & exprimantur; in colato diſſolvantur

Ceræ Unciæ quinque,

Et ferè refrigeratis inſpergatur paulatim pulvis ſubſequens:

℞. Evphorbij Drachm. ſeptem,
Sagapeni,
Scammonij,
Aloës,
Colocynthidis,
Mezerei,

Turbith ana Drachmas ſeptem ſemis,
Salis Gemmæ Drachmas quatuor ſemis,
Myhrræ,
Piperis longi,
Zinziberis,
Chamæmeli ana Drachmas tres,
Miſce, fiat Ungventum.

VIRES & USUS.

Stomacho illitum vomitum ciet, hypogaſtrio verò inunctum alvum laxat, & ſerum evacuat, verméſque enecat; adhibetur ijs, qui purgans medicamentum ſumere nequeunt.

Ungventum Aureum
Meſue.

℞. Ceræ citrinæ Uncias ſex,
Olei Olivarum Libras duas ſemis,
Terebinthinæ Uncias duas,
Reſinæ,
Colophoniæ ana Unciam unam ſemis,
Thuris,
Maſtiches ana Unc. unam,
Croci Drachmam unam,

Confice ſecundùm artem, Oleo ceram cum Reſina & Colophonia, liquefactam, & collatam immiſcendo, poſtea Terebithinam & reliquorum pulveres addendo.

VIRES & USUS.

Aureum à colore & virium pretio dicitur, Vulnera glutinat, præſertim in corporibus mollioribus.

Ungventum Baſiliconis.

℞. Boracis Drachmas duas,
Camphoræ Drachmam unam
Corallij albi Drach. quatuor,
Amianthi Unciam unam,
Umbilici marini,
Tragacanthi albiſſimi,
Amyli,
Cryſtalli,
Antali,
Dentali,
Thuris,
Nitri ana Drachmas tres,
Marmoris albi, aut Alabaſtri Drachmas duas,
Gerſæ ſerpentariæ Unc. unam,
Ceruſſæ Uncias ſex,
Axungiæ porcinæ recentis mundæ Libram unam ſemis,
Sevi caprini præparati Unciã unam ſemis,
Apidis Gallinacei præparati Unciam unam,

Axungiam porcinam atque Adipem gallinaceum liqua ſimul, & impone tepidis adhuc Corticũ citri ſatis magnam quantitatem, & macerentur per menſem unum. Deinde eximito cortices, & ſevum caprinum addito: poſtea camphora in Spiritu Roſarum diluta, & reliqua tenuiſſimè trita addantur.

VIRES & USUS.

Citrinum Officinæ vocant, ob cortices citri additos. Aſpera levigat, facieimaculas & lentigines exterit, & cicatrices emendat, nec non ruborem oculorum aufert; dum cum melle Roſarum, & vitello ovi temperetur, optimum evadit digeſtivum & mundificans.

Un-

Ungventum Calendulæ.

℞. Flor: Calendulæ recentium Libram unam,
Butyri recentis non saliti Lib. ras duas,

Incisi Flores cum Butyro coquantur ad justam consistentiam ut peractâ colaturâ, & forti expressione Ungvento color flavus concilietur.

VIRES & USUS.

Aperit, discutit, tumores & obstructiones resolvit, ac flatus dissipat.

Ungventum Canis rubri D. D. Cassinis.

℞. Canem ruffum juvenẽ & pingvem Nô. unum.

Exemptis intestinis, ac comminutis ossibus & carne, coque in Vini generosi parte una, & Aquæ communis partibus duabus, ad consumptionem tertiæ partis, dein adde

Radic: Althææ Libras quatuor,
Malvæ Libras duas,
Lilior: alborum,
Semin: Lini,
Fœnugræci ana Libr: unam,
Axungiæ Porci Libram semis,

Iterum insimul coquantur, donec caro ab ossibus decidat, demùm factâ forti expressione Colaturæ adde

Ungventi Martiaton,
Althææ,
Agrippæ,
Axungiæ Gallinarum,
Anserinæ ana Unciam unam,
Taxi,
Vulpis,
Ursi,
Muris montani,
Spiritûs Vini optimi,
Aceti acerrimi ana Unciam unam semis,
Medullæ Ossis Cervi,
Vituli,
Olei Lilior: alborum,
Chamomillæ ana Uncias duas,
Axungiæ humanæ,
Serpentum ana Uncias quatuor,
Terebinthinæ venetæ Uncias sex,
Ceræ q. s. Fiat L. A Ungventum:

VIRES & USUS.

In omnis generis nervosi doloribus, Arthritide, Podagra, Paralysi, & contracturis commendatur.

Ungventum Carminativum.

℞. Flor: Chamomillæ Manipulos tres,
Sambuci, Manip: duos,
Herb: Menthæ,
Rutæ,
Abrotani, ana Manipulum unum,
Baccar: Lauri,
Semin: Anethi,
Carvi,
Fœniculi,
Cumini ana Unc. sem.

Contuſa, & conquaſſata omnia infundantur in
Olei Chamomillæ Libr. una,
Anethi,
Rutæ ana Uncia una,
Macerentur diebus quatuordecim, dein cum
Axungiæ Porci Libra una,
Decoquantur ad humiditatis conſumptionem, colaturæ expreſſæ adhuc calenti adde
Ceræ citrinæ Unc. duas vel q.ſ.
Sevi cervini,
Olei laurini ana Unc. unam.
Quibus inſimul commixtis & refrigeratis addantur
Olei deſtillati Carvi,
Anethi,
Menthæ,
Cumini ana
Drach. duas,
Miſce L. A. pro Ungvento.

VIRES & USUS.

In colicis, & torminoſis affectibus ſivè abdomini, & lumbis illinitum, ſive in clyſteribus additum commendatiſſimum exiſtit carminativum.

Ungventum Clyſmaticum.

℞. Herbar: Quinque Emmolien. tium ana Manip. quatuor-
Radic: Althææ, (quatuor,
Lilior: albor: ana Unc.
Flor: Chamomillæ,
Meliloti ana Manipulos tres,
Butyri recentis Lib. quinque,
Piſtentur ſimul, & ſic ſtent per Menſem: poſtea coquantur, & exprimantur.

VIRES & USUS.

Adhibetur in Enematibus, vel per ſe leni calore liquatum, vel Oleo, Lacti, aut decoctis junctum injicitur, emmollit enim, & lenit, ac dolores levat.

Ungventum Comitiſſæ.

℞. Cortic. medior. Glandium,
Caſtanearum,
Quercuum juniorum,
Baccar: Myrti,
Equiſeti,
Gallarum,
Corticum Fabarum,
Acinorum uvarum,
Calicum glandium,
Sorborum immaturor: ſiccor:
Meſpillor: acerbor: ſiccator:,
Folior: Capparis,
Pruni ſylveſtris,
Radic: Tormentillæ ana Unciam ſemis,
Contundantur aliquantulum, & coquantur in Aquæ ſimplicis ſ. q. donec media pars conſumpta fuerit; colatura ulterius coquatur cum
Olei Myrtillorum Libra una ſemis,
Ad humiditatis aquoſæ conſũptionem, poſtea in ea diſſolvantur
Ceræ novæ Unciæ octo ſemis,
Ab igne depoſitis addatur
Olei Maſtichini Lib. una ſem.
Atque inſpergatur ſequentium rerum tenuiſſimus pulvis:
℞. Cortic: med: Caſtanearum,
Glandium,
Quer-

Quercûs ana Unciam
Gallarum, (unam,
Succi Hypociſtidis,
Cinerum oſſium cruris bubuli,
Baccar: Myrti,
Acinorum Uvarum,
Sorborum immaturor: ana Unciam ſemis,
Trochiſcor: de Carabe Unciam duas,
Miſce fiat Ungventum.

VIRES ET USUS.

Guilielmus à Varignana Comitiſſæ cuidam Vandrenſi *gravidæ menſium nimio profluviô laboranti, cum fructu illud adhibuit, à quo deſcribitur* Lib: 16. de morb: cur: cap: 4. *uterum enim roborat & ſtringit, omnéſque hæmorrhagias, ac profluvia ſiſtit, femoribus dorſo & abdomini illinitum.*

Ungventum Deopilativum

℞. Flor: Chamomillæ recentium Uncias tres,
Cortic. Tamariſci,
Herb: Anethi,
Apij,
Fœniculi,
Ebuli,
Rutæ hort:
Menthæ criſpæ,
Radic: Bryoniæ ana Unc. duas,
Recentia incidantur, miſceantur & infundantur in
Axungiæ Porci Libris ſex,
Coquantur ad humiditatis aquoſæ conſumptionem, colentur, & exprimantur, & in colatura diſſolvantur
Axungiæ Anſerinæ Libra una,
Ceræ citrinæ Unciæ octo,
Ut fiat Ungventum.

VIRES & USUS.

Reſolvit, Flatus diſcutit, & tum hepatis, tum lienis obſtructiones tollit.

Ungventum Diapompholygos.

℞. Olei Roſacei Uncias ſex,
Ceræ albæ Uncias tres,
Succi fructûs uvæ Lupinæ Uncias quatuor,
Ceruſſæ uncias duas,
Plumbi uſti & loti,
Pompholygis,
Thuris puri ana unciam unã.
Confice ſ. A. Oleum cum ſucco ad humidi aquoſi exhalationẽ coquendo, poſtea ceram in eo liquefaciendo, & pulveres reliquorum immiſcendo.

VIRES & USUS.

Prodeſt ulceribus ab acrioribus & ſalſis humoribus exortis, ſiccat & conſolidat; ac abſque acrimoniæ ſenſu cicatricem inducit.

Ungventum Digeſtivum.

℞. Terebinthinæ claræ Lib. duas,
Olei hyperici Libram ſemis,
Vitellor: ovor: Nô. ſex,
Maſtichis,
Myrrhæ rubræ,
Olibani ana unciam unam,
Miſceantur in ungventum.

VIRES ET USUS.

In vulneribus materiam peccantem digerit, & adſuppurationem promovet. Quia verò cum Vitellis ovorum paratum minùs durabile exiſtit, ſolent ommitti, tempore usûs námque facile admiſcentur, attemperari etiam hoc Ungventum ſolet Oleo Roſarum.

Ungventum Felicis Würtzij purpureum.

℞. Herb: Scrophulariæ,
Chelidoniæ,
Veronicæ,
Polygoni ana Uncias tres.

Inciſæ & contuſæ ſtent in aceti optimi ſufficienti quantitate infuſæ per aliquot dies, expreſſis dein & colatis addantur

Terræ Vitrioli dulcis,
Phlegmatis Vitrioli ana Libra una,
Mellis deſpumati Libræ tres,
Viridis Æris Unciæ ſeptem,

Coquantur ad juſtam conſiſtentiam, ut fiat ungventum purpureum.

VIRES & USUS.

In tumoribus, ſcrophulis attenuando, incidendo, & abſtergendo conducit.

Ungventum Fuſcum.

℞. Olei communis Libram unam ſemis,
In quo diſſolve (quatuor,
Ceræ flavæ recentis uncias
Colophoniæ,
Picis navalis ana uncias duas,
Maſtiches,
Terebinthinæ ana unciam unam,

Colentur atque colato aliquatenus refrigerato admiſce in Vino diſſoluta, ſicque dupurata ac rurſùs aliquantum inſpiſſata:

Gummi Galbani,
Sagapeni,
Thuris electi ſubtiliſſ: triti ana unciam unam,
Pulveris Radic: Ariſtolochiæ rotund: unc: ſemis,

Miſce fiat L. A. ungventum.

VIRES & USUS.

Ad pus idoneum generandum, mundificando & digerendo, carnem generat, putridámque depaſcit.

Ungventum Infrigidans Galeni.

℞. Olei Roſati Libram unam,
Ceræ albæ Uncias tres.

Ceram in oleo liquabis, & pauxillum Aceti Roſati adjicies.

VIRES & USUS.

Ubicunque refrigeratione & humectatione opus eſt, adhibetur, hecticis prodeſt, nec non renum dolori à cauſa calida provenienti opem fert.

Ungventum de Linaria.

℞. Herbæ Linariæ cum floribus.
Adipis porcini ana Libr. unã,

Contundantur, coquantur ad aqueæ

aqueæ humiditatis consumptionem, & exprimantur.

VIRES & USUS.

Doloribus hæmorrhoidalibus medetur cum gossypio parti affectæ applicatum.

Ungventum de Lithargyrio.

℞. Lithargyrij Uncias duas,
Ceruſſæ Uncia mſemis,
Aceti Unciam unam,
Olei Roſati unc. duas ſemis,
Fiat ſ. A. ungventum in mortario plumbeo optimè agitatum.

VIRES & USUS.

Prodeſt ſcabiei & cutis vulneribus, pruritum ac deſquamata juvat, & ſiccat ſinè morſu. Sarcoticum eſt & epuloticum, difficiliáque ulcera perſanat, & cruenta glutinat.

Ungventum Majoranæ.

℞. Herb: Majoranæ recentis,
Butyri non ſaliti ana Libram unam,
Contundantur, & coquantur ad humidi conſumptionem, exprimantur & addantur
Olei Majoranæ deſtillati guttæ duodecim vel plures.

VIRES & USUS.

In affectibus nervorum, & doloribus capitis naribus inunctum ùt errhinum etiam in teneriore ætate adhibetur.

Ungventum Martiaton.

℞. Folior: Tamariſci uncias ſex,
Lauri,
Roris marini ana uncias octo,
Rutæ uncias ſeptem,
Ebuli,
Sabinæ,
Menthæ aquaticæ,
Salviæ,
Ocymi,
Polij veri,
Calaminthæ,
Arthemiſiæ,
Enulæ,
Betonicæ,
Branchæ urſinæ,
Aparines,
Parietariæ,
Pimpinellæ,
Agrimoniæ,
Abſynthij,
Primulæ veris,
Perſicariæ,
Cymarum ſambuci,
Millefolij,
Sempervivi utriuſque,
Chamedryos,
Centaurij,
Plantaginis minoris,
Fragariæ,
Orobi,
Quinquefolij ana uncias quatuor,
Radicum althææ,
Cumini,
Myrrhæ ana uncias tres,
Butyri unciam unam, Drachmas duas,
Semin: Fœnugræci Unciam unam ſemis,
Urticæ,
Violarum,

Papaveris albi,
Menthæ crispæ,
Menthastri,
Lapathi acuti,
Adianthi albi,
Cardui Benedicti,
Matrisylvæ,
Valerianæ,
Geranij odorati,
Trifolij acetosi,
Lingvæ cervinæ,
Cotulæ non fœtidæ,
Abrotani,
Medullæ cervinæ,
Styracis calamitæ ana Unciam semis,
Adipis ursini,
Gallinacei,
Mastiches,
Thuris ana unciam unam,
Olei nardini uncias duas,
Ceræ Libras duas,

Herbæ omnes recentes colligantur, & incisæ ac contusæ macerentur in

Olei communis Libris octo,

Coquantur s. a. colentur, exprimantur, atque cum ceræ circiter Libris duabus, & reliquis Fiat ungventum.

VIRES & USUS.

Conducit ad affectus à causa frigida enatos, convulsiones, nervorum resolutiones, tumores duros; præcipuè Lien obstructum & induratum emmollit.

Ungventum de Minio.

℞. Olei Rosati Libram unam semis,
Lithargyrij uncias duas,
Minij uncias tres,
Cerussæ unciam unam semis,
Tutiæ præparatæ,
Camphoræ ana Drachmas tres,
Ceræ albæ uncias duas,

Liquatam ceram cum Oleo, lento igne, misce in mortario plumbeo, cum reliquis rebus tenuissimè tritis.

VIRES & USUS.

Refrigerat & siccat potentissimè, ideóque igni sacro felicissimè adhibetur, cancros sanat, ulcera, quæ humorum acrimoniâ serpunt, eam namque obtundit; quadoque sinè camphora expetitur.

Ungventum Nervinum.

℞. Herb. Salviæ,
Chamæpytios,
Majoranæ,
Roriſmarini,
Menthæ,
Rutæ,
Lavendulæ,
Hyperici,
Paralyseos cum flore,
Flor: Chamomillæ,
Meliloti,
Sumit: Anethi,
Radic: Pyrethri ana Drach: duas,
Baccar: Juniperi,
Lauri ana Unciam unam,
Mastiches unciam semis,
Benzoë Drachmas sex,
Terebinthinæ uncias quatuor,
Olei Lumbricorum,
Vulpini,
Anethini,
Hyperici ana uncias tres,

Tere-

Terebinthinæ Unciam unam,
Axungiæ humanæ,
Cati ſylveſtris,
Canis ana Unc. ſemis,
Terebinthinæ cum Oleis & Axungijs liquatæ, reliqua in pulverem ſubtiliſſimum trita immiſceantur, & cum Ceræ ſ. q. Fiat ſ. A. Ungventum.

VIRES & USUS.

Frigidos nervorum morbos tollit, eorúmque doloribus opitulatur, ac atrophiâ laborantibus partibus ſuccurrit.

Ungventum de Nicotiana.

℞. Folior: Nicotianæ Lib. duas,
Pinguedinis porci recentis diligenter lotæ Libr. unam,
Succi Nicotianæ depurati Libram ſemis,
Herba recens contuſa cum ſucco & pinguedine per noctem maceretur, manè lento igne coquatur ad humiditatis aqueæ conſumptionem, coletur & exprimatur. In expreſſo liquefaciendo
Reſinæ Abietis Unc. quatuor,
Ceræ novæ ſ. q.
Additíſque
Ariſtolochiæ rotundæ ſubtiliſſimè pulveriſatæ Uncijs duabus,
Fiat Ungventum.

VIRES & USUS.

A Laurentio Jouberto *ad ſcrophulas diſſipandas recommendatur. Præterea egregiè conducit Vulneribus & Ulceribus tam recentibus, quàm antiquis ſanandis, ut & ambuſta, ac tineam capitis & ſcabiem cutis, depellendis.*

Ungventum Nihili.

℞. Tutiæ præparatæ,
Nihili albi ana Unc. unam.
Corallior. rubr. præpar.,
Matris Perlar. præp. ana Unciam ſemis,
Camphoræ Drachm. unam,
Pinguedinis Porci mundatæ Libram unam,
Fiat L. A. Ungventum.

VIRES & USUS.

Calidas oculorum fluxiones demulcet, ac ſiſtit, eorundem rubedinem, & inflammationem, nec non dolores inde natos aufert.

Ungventum Pectorale.

℞. Olei Amigdalar: dulcium Uncias quatuor,
Chamomillæ,
Violarum ana Unc. tres,
Butyri recentis Uncias ſex,
Adipis Gallinæ,
Anatis ana unc. duas,
Ireos Drachmas duas,
Croci Drachmam ſemis,
Ceræ albæ uncias tres,
Ceram & Adipes in oleis liquato, poſtea additô Ireos & Croci pulvere Fiat ſ. A. Ungventum.

VIRES & USUS.

Laterum ac pectoris dolores mitigat, tuſſim ſedat, maturat, exſcreationem juvat, humores craſſos digerit

gerit & attenuat, dummodo recens non rancidum adhibeatur.

Ungventum Pediculorum.

℞. Sem: Staphidis agriæ Uncias duas,
Hellebori albi Unciam unam,
Salis Drachmas duas,
Argenti vivi Uncias duas,
Axungiæ porcinæ Libr.unam.
Olei Laurini Uncias novem,
Saponis Veneti Libr. ſemis,

Sapo in Lixivio communi ſolutus, cum Oleo coquatur ad humiditatis aquoſæ conſumptionẽ, poſtea Mercurius cum Axungia ſubactus, & reliquorum pulvis commiſceantur.

Ungventum Pomatum.

℞. Axungiæ Suillæ Libras tres ſemis,
Styracis calamitæ,
Aſæ dulcis,
Radic: Ireos florent:
Cinnamomi,
Caryophyllor: ana Unc.unam,
Pomorum Citri,
Aurantiorum ana Nô. duo,
Borsdorfferianorum Nô quatuor.

Omnia ſecundùm artem ad humiditatis aqueæ conſumptionem coquantur, colentur, & junctâ ceræ albæ ſ. q. Fiat Ungventũ cum Spiritu Roſarum aliquamdiu agitandum.

VIRES & USUS.

Ad Oris fiſſuras, & decorem cuti conciliandum utiliter adhibetur.

Ungventum Populeonis.

℞. Oculorum ſive Gemmarum Populi arboris recentium Libram unam ſemis,
Axungiæ porcinæ purgatæ Libras duas,

Oculi Populi contundantur, & macerentur in Axungia, donec ſequentes Herbæ per æſtatem colligi queant; ſcilicet

℞. Cymarũ Rubi tenerrimarum,
Folior: Papaveris albi,
Mandragoræ,
Hyoſciami,
Herbæ Solani,
Sempervivi minoris,
Lactucæ,
Sempervivi majoris,
Bardanæ,
Violariæ,
Umbilici Veveris ana uncias tres,

Herbæ contundantur, & miſceantur Oculis Populi & Axungiæ, deinde coquantur lento igne ad humiditatis aqueæ conſumptionem, colentur & exprimantur.

VIRES & USUS.

Febrium ardoribus cum Roſaceo convenit, ſomnum conciliat, fronti, temporibus, aut manuum, ac pedum pulſibus illitum.

Ungventum Reſumptivum

℞. Semin: Lini,
Althææ,
Fœnugræci,
Gummi Arabici, (duas,
Tragacanthi ana Drachmas

Ma-

Macerentur, & bulliant in Libra ſemis aquæ ſimplicis, eliciatur mucilago, quæ cum Butyri recentis Libra dimidia,

Adipis Suilli,
Gallinæ,
Anſeris,
Anatis ana Uncijs duabus,

Coquatur ad humiditatis aquoſæ conſumptionem, poſtea addantur:

Oeſypi Uncia ſemis,
Olei Violarum,
Chamomillæ,
Amygdalor: dulc: ana Unciæ duæ,
Medullæ Vituli,
Ceræ albæ ana Libra ſemis,

Fiat ſ. A. Ungventum.

VIRES & USUS.

Aſthmaticis, hecticis, tabidis, plevriticis, ac è longo morbo emergentibus à Fernelio commendatur.

Ungventum Roſatum Album.

℞. Axungiæ porcinæ Libr. unam,

Lavetur ſæpiſſimè aquâ ſimplici, & tandem aquâ Roſarum quantum ſufficit, donec albiſſimum & bene odoratum redditum fuerit Ungventum.

Ungventum Roſatum Mefue.

℞. Axungiæ porcinæ Libram unam,

Lavetur aliquoties aquâ ſimplici, deinde addantur:

Roſar: albar: recentium Libræ duæ,

Probè terantur, & coquantur lento igne uſque ad humidi aquoſi conſumptionem, poſtea colentur.

VIRES & USUS.

Utrúmque conducit adverſùs cephalalgiam calidam, renum ac hæmorrhoidum inflammationem, ulcera ſerpentia & ſimilia.

Ungventum rubrum potabile.

℞. Butyri recentis non ſaliti Libram unam ſemis,
Radic: Rubiæ tinctorum,
Tormentillæ;
Sangvinis Hyrci præp.
Spermatis ceti ana Unciam ſemis.

Coquantur ſimul in Vino rubro ad conſumptionem Vini, Fiátque ſ. A. Ungventum.

VIRES & USUS.

Eorum qui ex alto ceciderunt vulnera interna glutinat, ſanguinem concretum diſſolvit, & concuſſis auxilio eſt; ſumitur recens paratum, non rancidum cum juſculo aut cereviſia calida. Patiſſimum, in affectibus pectoris commendatur.

Ungventum Santalinum.

℞. Boli Armenæ Drachmas ſex,
Flor: Papaveris Rheados recent: Unciam unam,

Rosar: rubrar: recent.
Uncias duas,
Santali albi,
Citrini ana Drach. sex,
Rubri Drach. decem,
In pulverem redacta & conquassata bulliant igne lento in Olei Rosati Libra una ad consumptionem humidi, colaturæ expressæ adde
Camphoræ Drachmas duas,
Ceræ albæ q. s.
Fiat ut artis est Ungventum.

VIRES & USUS.

Roborat, refrigerat & dolorem lenit, unde omnem intemperiem calidam Ventriculi, hepatis & lienis potentissimè extingvit.

Ungventum ad Scabiem.

℞. Styracis liquidi unc. unam.
Terebinthinæ venetæ,
Butyri ana Uncias duas,
Succi Limonum unc: unam semis,
Cerussæ lotæ Unciam unam,
Salis Uncias duas.
Fiat s. A. miscendo Ungventũ.
Confert ad scabiem, & pruritum, cujus fervorem temperat, humorem vitiosum cuti impactum extergit, & emendat.

Ungventum Somniferum.

℞. Ungventi Alabastrini.
Populeonis ana uncias duas,
Olei Nucistæ expressi,
Nymphææ albæ,
Papaveris albi, (duas,
Violarum ana Drachmas
Opij in aqua Rosarum soluti Drachmam unam,
Croci Drachmam semis,
Ceræ albæ q. s. ut Fiat Ungventum mediocris consistentiæ.

Ungventum Spasmodicum Mynsichti.

℞. Olei Limacum per descensum destillati,
Lumbricor: terrestrium.
Sessamini ana unc: unam semis,
Pingvedinis Arietis castrati,
Erinacei,
Vulpis ana Unc: unam,
Butyri majalis non saliti,
Medullæ cervinæ ana Unciam semis,
Spiritûs Juniperi Uncias tres,
Misce & coqu. ad Spiritus consumptionem, postea adde
Olei dest: Succini albi Drachmas tres,
Chamomillæ,
Laurini ana Drach. unam semis,
Roris marini, (unã,
Salviæ ana Drachm:
Misce & cum s. q. Ceræ albæ fiat Ungventum.

VIRES & USUS.

In convulsione, post debitam evacuationem, est præcipuum: membris enim spasmo correptis applicatum, nervorum origini inunctum, mollificat, resolvit, nervósque refocillat. Locus autem spasmodicus manè & vesperi calidè inungatur, & citò videbis alleviationem.

Un-

Ungventum Spleneticum Vienn:

℞. Cortic: Capparum,
Tamariſci,
Herbæ Ceterach,
Sem: Cumini ana Unciam unam,
Gummi Ammoniaci,
Bdellij ana acetôſquiliticô ſolutorum Unc: unam ſemis,
Olei Capparum,
Chamomillæ,
Anethi,
Ceræ citrinæ ana unc. quatuor
Miſceantur in Ungventum.

Virtutes ſunt calefacientes, emmollientes, reſolventes, aperientes, & confortantes.

Ungventum Stomachale Imperatoris.

℞. Olei Maſtichis,
Menthæ,
Cydonior: ana Unc: octo,
Nucis moſchatæ expreſſi Uncias duas,
Pulveris Ligni Aloës,
Calami aromatici,
Caryophyllorum,
Macis ana Unc: unam,
Balſami indici nigri Unciam ſemis,
Olei Caryophyllorum Scrupulos duos,
Aniſi Scrupul. unum.
Ceræ citrinæ Uncias octo,
Ex permixtis L. A. Fiat Ungventum.

Ungventum Stomachale Uſitatum.

℞. Herb: Abſynthij,
Menthæ,
Majoranæ,
Flor: Chamomillæ rom: ana recent: uncias quatuor,
Coquantur conquaſſata in Axungiæ porcinæ Libris quatuor ad humidi conſumptionem, dein colaturæ addatur
Pulveris Caryophyllorum,
Nucis Moſchatæ ana Uncia una,
Maſtichis Uncia una ſemis,
Et Fiat Ungventum.

Utrumque in Ventriculi debilitate, inappetentia, diarrhœa, aliiſque Alvi profluvijs commendatur.

Ungventum de Tutia Nicolai.

℞. Olei Roſati,
Ceræ albæ ana Unciam unam ſemis,
Succi Solani Drachmas duas,
Ceruſſæ lotæ Unciam ſemis,
Plumbi uſti & loti,
Tutiæ præparatæ ana Drachmas duas,
Thuris Drachmam unam,
Ceram liqua cum Oleo, lento igne, poſtea paulatim ſuccum ſupradictum inſtillato, & reliqua in pulverem redacta immiſceto.

VIRES ET USUS.

Ejuſdem penè facultatis eſt ac Ungventum Diapompholygos; Vulnera ſordida, tibiarúmque ulcera ſanat, eryſipelata ſiccat, putridáſque ac cancroſas oculorum exulcerationes mundificat.

Ungventum ad Vermes
P. A. R.

℞. Succi Abſynthij,
Abrotani,
Centaurij minoris,
Perſicariæ,
Folior: Perſici arboris,
Lupini,
Radic: Ebuli,
Porri,
Naſturtij aquatici ana
Uncias duas,
Balauſtiorum Drach. unam,
Olei Abſynthij Libram unam
ſemis,
Ceræ quantum ſufficit.

Fiat Ungventum, ſuccos cum Oleo coquendo, poſtea ceram in eo liquando, & pulverem Balauſtiorum immiſcendo.

VIRES ET USUS.

Umbilico ſuperimpoſitum ac Ventri inunctum, vermes enecat & expellit.

Ungventum Viride Reginæ.

℞. Foliorum Lauri,
Roris marini,
Salviæ,
Majoranæ,
Rutæ,
Millefolij,
Anagallidis aquaticæ,
Nigellæ cum Floribus & Seminibus ana Manip. duos,
Urticæ majoris,
minoris,
Hyſſopi,
Prunellæ,
Arthemiſiæ ana manip. unum,
Agrimoniæ,
Ceutinodij,
Plantaginis minoris,
Radicis Cichorij,
Bellidis,
Conſolidæ mediæ,
Saracenæ,
Vincæ pervincæ,
Lavendulæ,
Abſinthij,
Roſarum rubrarum,
albarum ana Manipulos tres,

Herb: & Radic. mundatæ incidantur, contundantúrque cum
Butyri recentis Libr. ſex,

Poſtea additis Cancris fluviatilibus Nô. quindecim vivis conquaſſatis, in
Olei Olivarum Libr. duabus,

Coquantur omnia lento igne, rudiculâ continuò agitando: colentur, & exprimantur, addatúrque
Ceræ albæ Libr. ſemis.
ac tandem:
Olibani & Maſtiches ſubtiliſſimè pulveriſatorum ana Unc. quatuor.

Redigantur in Ungventum.

VIRES ET USUS.

Non tam externè adhibetur, quàm internè datur ruptis, convulſis, ac ex alto prolapſis, ubi grumoſi ſangvinis ſuſpicio ſubeſt, admodum Ungventi rubri potabilis cum juſculo, aut cereviſia calida ad unum & duo cochlearia. Aliàs etiam illnitum ſugillata curat, & partium dolores lenit.

ERRORES benevolus Lector sic corrigat.

Pag. 27.	Colum. 1.	Lin. 1.	Locò	Drachmas tres.	Ponat,	Uncias tres.
27.	2.	16		Dirige		digere.
37.	2.	35		Unc. ſemis.		Unc. unam ſemis.
39.	1.	13		Unc. unam ſem.		Unc. duas ſemis.
100	2.	35		Libr. unam.		Libr. ſemis.
101	1.	27		Unc. tres		Unc. quatuor.
102	2.	28		Libra ſemis.		Libr. una ſemis
131	1.	21		externè		internè.
132	2.	13		Tellis		Fellis.
137	1.	21		Unc. ſemis.		unc. unam ſemis.
138	2.	31	ad	Ol. Irini.	addat.	ana unc. tres.
138	2.	33	poſt	Ol. Amygd.		lytharg. ⊙ drach. decem
144	2.	20	Locò	Aëris	ponat.	Æris.
147	1.	29		Unc. unam.		unc. unam ſemis.
150	1.	25		- - -	addat.	Aloës Hepat. Drach. ſemis
158	1.	22		- - -		Ol. laurin libr. ſemis.
162	2.	2.		Unc. tres:	ponat.	uncias quatuor.
169	2.	8.		Ligum		lignum.
188	2.	10		Contretur		concentretur.
196	1.	9.		Drach. un. ſem.		drachmam ſemis.
196	2.	1.		Drachm. tres.		drachmas duas.
206	2.	lin. ult.		Libr. tres.		libras ſex.
219	1.	3.		tepetendo.		repetendo.
219	2.	13		ana drach. un.		ana drachm. tres.
222	1.	28		alud		aliud
231	2.	24		Drachm. duas		drachm. tres.
249	2.	11		Drachm. ſex.		drachm. tres.
249	2.	19		iat		fiat.
251	1.	5.		Unciam		unc. unam.
265	1.	5.		Onodinis		Ononidis.
285	2.	18		Livivioſa.		lixivioſa.
286	2.	7.		Sarurni		Saturni.
295	2.	30		Drachm. ſemis		drachm. unam ſemis.
298	1.	32		- - -	addat.	Myhrræ.
302	2.	22		ana drach. ſex	ponat	drachmas tres.
303	2.	11		ana drachmas	addat.	drachm. quinque.
313	2.	16		Elexicacæ	ponat.	Alexicacæ.
316	1.	17		Criminativæ		Carminativæ.
320	1.	24		Una		ana
340	2.	6.		duæ		duas.
372	2.	38		Uncias duas		drachm. duas
378	2.	18		Drach. duodec.		quatuordecim.

Reliquas mendas typi benevolus Lector ingravatè emendet, ac inæqualitati chartæ ex incuria Typographi interpositæ benevolè condonet.